OPERA OMNIA FRACAST[illegible]

[illegible]158



5504

CIMELIA

Cim. Qu. 5504

Bibl. Jed.

HIERONYMI FRACASTORII VERONENSIS

Opera omnia, in vnum proxime post illius mortem collecta. quorum nomina sequens pagina plenius indicat.

ACCESSERVNT

ANDREAE NAVGERII, PATRICII VENETI,

Ex Bibliotheca Conventus Cracoviensis Ordinis Carmelitarum in Arenis B.M.V.

Orationes duae carminaq. nonnulla,

Amicorum cura ob id nuper simul impressa, ut eorum scripta, qui arcta inter se uiuentes necessitudine coniuncti fuerunt, in hominum quoque manus post eorum mortem iuncta pariter peruenirent.



Excellenti D. Antonio Szelbergiewo Andreas Vargocki D.D.

Cum Illustriss. Senatus Veneti decreto.

VENETIIS, APVD IVNTAS, M. D. LV.

INDEX OPERVM QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Bibl. Jag.

HIERONYMI FRACASTORII VITA.


IERONYMVS FRACASTORIVS Veronensis, FRACASTORIA perantiqua Veronę ac valde nobili, familia ortus, non antiquorum modo ciuium suorum Catulli & C. Plinij gloriam æmulari, sed omnes prorsus nostrę, & superioris ætatis homines præstanti omnis doctrinæ laude, & eximia in pangendis carminibus gloria, longo interuallo superare contendit. Is, Paulophilippo Fracastorio, & Camilla Mascarelia summæ probitatis parentibus ortus, atque à patre honeste, ac liberaliter educatus, vt primum per ætatem in luce hominum versari cœpit, tale de se specimen apud omnes præbuit, vt, iam tum ex eo adhuc puero, qui postea vir futurus esset, facile homines coniectarentur. quòd Deorum immortalium maturo quoque testimonio pridem fuerat confirmatum, quum penè infantem, & vix cunis egressum, à matre in vlnis blande pertractatum, ipsa fatali de cœlo icta fulmine, incolumis seruaretur. Patauium, ad capiendum animi cultum, adolescens adhuc à patre missus, ingenti cura, atque indefesso labore, iam tum ad summum gloriæ fastigium generosi spiritus indole sibi iter aperuit, quum post omnium bonarum literarum cognitionem ad arcana cuiusque doctrinæ, sed mathematicarum præcipue scientiarum infinita etiam lectione, inusitataq; memoria sibi esse penetrandum iudicasset. Sed quum philosophiæ studijs per multos annos operam dedisset, tanto animi ardore, atque alacritate genio suadente, se totum ad medicinam conuertit, tanta porrò contentione in gymnasio per quottidianas medicorum disceptationes sese exercuit, vt doctores ipsi atque æqualis iuuentus, eum ad omnia natum esse diuino quodam consilio faterentur, illiq; maximos suggestus honores tunc detulerint, quod Patauij ante illum nemini, nisi maturo in studijs, & perfectæ demum ætatis viro, contigerat. Studiorum socios & sodales habuit M. Antonium, Ioannem Baptistam, & Rhamundum, Turrianos nobilissimos fratres, quibuscum quottidiano fere in conuictu Patauij versabatur, quum Hieronymus eorum pater

exactæ doctrinæ, & auctoritatis vir, primum inter medicos, in ea ciuitate honestißimis conditionibus suggestus locum obtinebat. Sed, exorto demum bello, & euerso Patauino Gymnasio, quum nuntiata esset illi patris mors, & in patriam iter pararet, Liuianus Venetarum copiarum Imperator, musarum liberalis hospes, & ingeniorum censor longe grauißimus, honestißimis accitum conditionibus in Academiam ad Portum naonem institutam in Andreæ Naugerij Patricij Veneti, & Ioannis Cottę præcellentium poetarum conturbernium euocauit. Vbi cum diu, multumq; versatus esset, carminumq́; quę ab eo quottidie ex nobili semper occasione summæ dignitatis emanabant authoritate vniuersæ Italię carus ac iucundus esse cœpisset, illius scripta exinde publico semper excepta plausu, reliquorum ad hanc diem omnium famam oppresserunt. Sed quum pluribus bellis illum aliquandiu secutus esset, eo tum demum ex ipsa Gallorum ad Abduam victoria fuso ac capto, se in patriam sero contulit, quum omnia penè funditus euersa ac deuastata direptionibus & incendijs paterna bona exposita reperisset. Duxit vxorem viuo adhuc suadenteq; patre haud pari fœlicitate, quum non duorum modo, quos immature sibi ereptos nobili carmine acriter dolet, filiorum funeri interfuisset, nisi præter Paulumphilippum quem hodie Veronæ præclaro florentem ingenio admiramur, tertium quoque annis grauem & consilio maturum amisisset. Fuit Fracastorius parua quidem sed quadrata corporis statura, latis humeris, nigra coma prolixaq́; facie rotunda, subnigris oculis, naso, ab diutißime contemplandis stellis contracto, simoq; Cæterum totius oris aspectu miram probitatem sinceriq; animi candorem referente. Domum habuit Veronæ iuxta ædem D. Euphemiæ dicatam, quanquam secessu Caphio Melsineoq; plurimum oblectaretur, de quo quidem Caphio monte antequam sermo vlterius proferatur, pauca ideo dicenda esse videntur, ne, locus toto Veronensi agro hoc tam eximio cultore celeberrimus, quum is, ingenuo pudore detentus pauca admodum descripserit, omnino ignoretur. Est CAPHIVS mons ad radices Baldi xx. millia passuum Verona distans, inter Athesim & Benacum medius. ibi, quum paululum ascenderis, villa in collis iugo, in media planitie ad conspectum Benaci (non eximijs illa quidem vt reguli, ac beatioris fortunæ

homines

homines opibus ingenioq; validiores ſupra ciuilis fortunæ cenſum ædificarunt picturis exornata, ſed vno tantum loci genio, ac ſitus prærogatiua admirabilis) reperitur. Quadrata domus eſt, ac liberiori vndique præterquam ab aquilone, cœli facie coronata: nam qua ab oriente Atheſim ad radices montis ex intima Germania propè Baldum rapido curſu defluentem attingit, Veronam vrbem & circumfuſas innumerabiles in ſubiecta planitie villas longiſsime proſpectat: atque in his, omnis generis armenta errantia, & fumantia ſub veſperam tecta intuetur. ab occidente autem Benacum è conuerſo lætiſsima facies, excipit: pari hercle occurrentium collium varietate mirabilior ac iucundior: quum vel altos interdum Benaci fluctus, & beatam Catulli peninſulam, ac veliferas item claſſes, & piſcantium nauiculas longè aduenientes perſpectare, tum diuerſa oppida apricis promontorijs expoſita lubet contemplari. hinc Bardolinum ſubiectum: hinc frequenti olea & citrijs colles coronatos, hinc demum nemoroſa & læta virentibus paſcuis naſcentium montium iuga deſpectantur. noxios ventorum flatus ad meridiem paululum extans ante domum cubitus eminentibus pomiferis arboribus iucundus, ac Baldus mons ad aquilonem vergens, omnem hyemis duritiem procul expellit: ita tamen, vt & in media æſtate, quum ex alto Sol vrget, obortis ætesiis blandiſsime ventiletur, nec ardere in cœlo Sirium ſentiat: &, per hyemem, apricum ferè ſemper ſolem & nebulę omnis expertem diem admittat. Benacus porrò, qui maritimi littoris naturam æmulatus nunquam gelaſcit, atque omnem hyemis duritiem ſuauiter frangit, non parum momenti cæteris quoque affert commodis. Hic illum interior domus æſtiuis hybernisq; cubiculis atque interioribus conclauijs, vbi amicos benigne atque hilariter excipere conſueuerat, perquam commoda, quòd magnopere muſis expetitur, ſtrepitu vacua, atque alti plena ſilentij, omnibusq; munditijs nitida, ad ſecretiora accedentem ſtudia comiter accipiebat: quando æditis æternæ famæ carminibus, nobile illius caput ſertis, & virenti per omnem Europam laurea coronaret. Vitæ genus adamauit quietum, cunctis ſolutum curis & litibus, quum vir minime ambitioſus & paruo contentus, honeſtæ ac iucundæ vitæ ad bonam ſemper frugem percupidus, vnam tantum ſtudiorum laudem ſpectaret: hilari ac

frugi mensa exactissima semper ad tuendam valetudinem ratione instructa: tam aperto, liberali, & perblando semper ingenio, vt quum summa esset morum temperie, facilitateque naturæ, non eloquio, non cultu, fastum vllum ostenderet: nunquam in alieni operis censura amarulentus aut parcus laudator esse consueuisset: vt etiam Ioannis baptistæ Montani medici clarissimi, illius vel æmuli, vel, vt plures iudicabant, principatum in re medica acriter affectantis mortem, nobili epigrammate sit prosecutus. Medicinam, ad quam perdiscendam se totum ab adolescentia conuertit, & in qua, nominis celebritate primum inter illustres totius Europæ medicos locum obtinebat, toto vitæ tempore ita exercuit, vt in affectis corporibus sanandis, in quibus illi mirifica quædam & diuina prorsus vis fuit, nullius quęstus potiusquam officij rationem haberet. & quoniam, hac vitæ ratione multorum amicitiam suo sibi beneficio comparauerat, inimicum vero merito habebat neminem, omnes non Venetiæ tantum, atque illius oræ, sed externi etiam principes & reguli, vt de vel desperata vel dubia vitæ re illum consulerent, maximis ad se conditionibus accersebant: à quibus ille discedens, salute eisdem restituta, nullum prorsus precium præter amicum animum in patriam referebat. Delectabatur, cum in otio esset, antiquorum historias, & illustria clarissimorum virorum facta perlegere: Mathematicis item scientijs, sed præsertim Musicæ, oblectandi animi causa studium adhibere: sed, ex mitioribus omnibus disciplinis in vnam Cosmographiam incumbebat: quam tanto studio quandoque colere consueuerat, vt terrarum omnium ab Lusitanis primum in oriente, mox à Columbo in occidente superioribus annis inuentarum descriptiones & loca, ligneis orbibus ad amussim affabrefactis, altitudinum & latitudinum adhibitis dimensionibus deliniaret. Consuetudo assidua illi erat multum cogitandi, plurima secum animo voluendi, neque enim tempus vllum labi frustra vir nunquam otiosus patiebatur: ideoque & raro admodum & nisi plurimis adhortationibus inuitatus, loquebatur: tristemque ac seuerum homines existimabant, quum illius sermonibus ad hilaritatem sæpius conuersis, nihil lætius nihil vrbanius posset reperiri. Sed qui herbariæ facultati ac simplicibus medicamentis ex antiquorum libris accurate perdiscendis egregiam pridem operam naua-

uerat,

uerat, non obſcuræ laudis compoſitionem atque aduerſus peſtilentes febres miræ poteſtatis antidotũ, quod DIASCORDION appellant, medentibus ſimul & pharmacopolis neceſſarium ſuperioribus annis magna hercle noſtri ſeculi vtilitate parauit, quum multis præterea herbis ab antiquis pridem deſcriptis ſed noſtro æuo incerta ſimilitudine perobſcuris, eruditam claritatem attulerit. Amicos habuit nobiles quoſq; totius Europę atq; in omni doctrinę genere præſtantes viros: ne vllum aut alterum eorum hoc loco cōmemorem, tam fauſto, fœliciq; ſemper euentu, vt illum omnes, non vt ſummæ doctrinæ ac probitatis virum adamarent, ſed quaſi quoddam in terras delapſum numen mirarentur. Sed graſſante demum in vrbe peſtilentia quum primo quoq; tēpore in ſuos ſe Caphios tranſtuliſſet, & multum otij nactus eſſet, ſuperatis hercle omnibus, quicũq; plurimos ab hinc annos floruiſſent, poetis Syphilida ad Petrum Bembum Card. Leonis.x. Pont. Max. tunc à ſecretis miſſam, perenni atq; eo propè æterno carmine decantauit, tanta omnium admiratione, vt quum mox Neapolim ad Iacobum Sanazarium in lucem ædita deferretur, vir ille omnium noſtræ & ſuperioris ætatis diſertiſſimus, & Virgilianæ Maieſtatis aſſectator egregius, atque alieni carminis laudator alioqui parcus atque amarulentus, Hyppolito Medici Cardinali, qui forte ad eum ſalutandum, nobili eruditorum corona ſtipatus, atque adeo ipſo Montano acri æmulo acceſſerat, hunc vnum eſſe confeſſus ſit, à quo non Iouianus modo Pontanus, ſed ipſe quoque accurata carminis dignitate, viginti annorum lima ac labore perpoliti, eſſet victus. In amicitijs porrò alendis ac conſeruandis (vt pauci ſolent) fuit Hieronymus imprimis diligens ac circunſpectus. amabat omnes, omnium ſemper obſequijs, ac commodis erat intentus, vt, vel in media hyeme à Madrutio Principe Tridentino arcto ſibi beneuolentiæ, atque amoris vinculo coniuncto, valetudinis cauſa accerſitus, Tridentum magnis itineribus proficiſci non grauaretur, eorum vero, quorum fidem beneuolentiamq; in ſe cognitam atque exploratam habebat, mutuis atque ijs quidem ferè ſemper maioribus obſequijs proſequeretur, &, non viuentes ſolum, quod magnum eſt, coleret, ſed ſuam in vita functos etiam, quod præſtantius eſt, beneuolentiam, quantum in ſe eſſet, voluerit teſtatam relinquere. id quod ex poſtremis illius ſcriptis facile

cile patet, quibus Turrianorum præſertim fratrũm memoriam, cum eorum alterum in dialogo de intellectione acriter diſputantem, alterum in dialogo de anima multa diſſerentem & acute percunctantem induceret, poſteritati voluit commendare: Andreæ porrò Naugerij Patricij Veneti præaltam ingenij vim atq; eloquentiam, & Ioannis Iacobi Bardulonis Mantuani ſubtile ac valde acutum in omni philoſophia ingenium, quum vel nulla, vel ea certe pauca ſui monumenta reliquerint, ſuo de poetica dialogo Ioanni Baptiſtæ Rhamnuſio, tanquam veteri amico & ſodali dedicato, appoſite atque eleganter poſteris manare definiuit. Sed, quod ad illius gloriam vel maxime pertinet, tanta, vir eximius humilia hæc atque terrena ſemper deſpiciens, non apud ſuos Veronenſes, aut in reliquis tantum Italiæ ciuitatibus, ſed in omni etiam Europa authoritate fuit: vt ex innumerabili diuerſarum gentium & Illuſtrium alioqui virorum multitudine, quæ Piſcheriam ad Carolum V. Cæſarem ex Germania Mediolanum & Genuam proficiſcentem, atque inde in Algeriam expeditionem parantem viſendum conuenerat, ipſe quoq; qui è proximis Caphijs ſpectatum deſcenderat, ſolus demonſtrante illum palàm Madrutio Principe Tridentino greſſum Cæſaris huc illuc proſpectantis tenuerit. Sed poſtremo, quum chriſtianæ reip. quæ totius orbis Tridenti generale pridem concilium indixerat, ſuam non ſemel operam ac fidem præſtitiſſet in patriam eo ſe animo contulit, vt, abdicata prorſus omni antiquæ medicinæ opera, quæſtuq;, quicunq; ex ea poſſet prouenire, Aeſculapio ſacra facturus, læto animo ad muſarum vireta contenderet. quo alacriore mente extremum poſtea vitæ diem, qui exacte chriſtianam ſemper pietatem coluiſſet, quum grauis quotidie ætas præcipitante iam canitie properaret, fœliciter clauderet. Scripſit ſumma ingenij fertilitate nondum ſenex de ſtellis, aſtrologiæ omnis peritiſsimus, in Ioannis Mathæi Giberti antiſtitis Veronenſis, & gratiſsimi Mecenatis gratiam, librum ſummæ eruditionis Paulo III. Pontifici Maximo dicatum, in quo præter alia multa, quæ de ecentricis orbibus atque homocentricis diſſerit, de duobus illis præcipue motibus à Ioanne Baptiſta Turrio inuentis agit, quorum ope quum aditus ad multa eorum quæ in natura abditiſsima ſunt pateat, tum via ad ea ſine vlla obliquitate demonſtranda aperitur, quæcirca ſtellas appa-

rent.

rent. ſcripſit de criticis item diebus alterum, contra Galenum. Scripſit grauiori ætate, ac plane ſenex, de ſympathia & antipathia rerum, & contagionibus, & contagioſis morbis pari ingenij ſplendore libros ad Alexandrum Farneſium Cardinalem, atque inde præclaram nominis famam latiſsime propagauit. nouiſsime vero, dum duos dialogos accurate & eleganter de poetica vnum, & de intellectione alterum conſcriptos in manibus haberet iam iam æditurus, Tertium de anima, & Ioſephi hiſtoriam ſummo vate dignam, fatali morbo properante abſoluere non potuit. Carmina quædam ingenij ad maiora tendentis præludia, magni tamen atque ingentis illius ſpiritus vim referentia extant. Ex ijs, ea præſertim, quibus Cæſar Fregoſius Palladis virenti olea coronatæ caput, nobili gemma vel decenter cœlatum, Margaritæ Valeſiæ Nauarræ Reginæ Franciſci Gallorum regis ſorori, dono miſit. Citriorum Epigrammata, & perennis famæ odę, tenera quadam ac prædulci ad Malſeſenum ſuauitate decantatæ, ac nuſquam apud amicos repertę, ideo perierunt, quod eruditus vir, atque vna tantum ſciendi gloria contentus, omnem qui ex carminibus inani hercle ſi non ridenda antiquorum comparatione publicatis prouenit faſtum ita prorſus contempſit atque deſpexit, vt quod plerique alij ſumma ope nituntur ne illorum quidem archetypum apud ſe in hunc vſum eſſe vnquam pateretur. vt, hæc etiam qualiacunq; ſunt, quæ nunc in lucem emiſſa leguntur, non exiguo labore ac cura ab amicis hinc inde collecta, prout diſperſa prius quæque reperiebantur, in vnum redacta ſint. Fato fundus eſt ſeptuagenario maior, octauo Idus Auguſti MDLIII. dum pranderet, apoplexia correptus in menſa, quum nimio æſtu damnatos menſes, in ſuis Caphijs, vrbe ſecedens, deuitaret. eo quidem tranquilliore vitę exceſſu, quod Paulumphilippum filium tanti nominis hæredem relinqueret, cum bona etiam ſpe poſteritatis, quando iam ex eo plures auitæ indolis nepotes non ſemel aut iterum amplexus eſſet. Ferunt Hieronymum dum langueret, cognito fatali morbo, poſt multas amicas ſibi herbas in olfactum balbutiente lingua efflagitatas, amiſſo penitus ſermonis vſu, manu ſæpius in verticem exporrecta, ijs qui aderant innuere voluiſſe, vt celeriter cucurbitula affecto & laboranti cerebro, quo ille per oportuno remedio ſe Deo dicatam Veronę virginem curaſſe ad

huc


huc meminerat, subuenirent: sed re nequaquã intellecta, quum alij alia adhibenda tum esse remedia prędicarent, frustra expecta to remedio, leniter sub noctem expirasse. illius ossa Veronam in D. Euphemię templo, honorificentissimo relata funere, sunt condita: flebili id carmine celebrantibus omnibus poetis. Aenea illius & Andreæ Naugerij effigies scite expressa Pataui in fornice portæ iuxta pontem D. Benedicti, à patauina iuuentute atque vniuerso Gymnasio salutatur: Quam, Ioannes Baptista Rhamnusius supremum amicitiæ munus persoluens, addita antiquorum Aræ peruetusta dicatione ex ruinis Salonæ vrbis Dalmatiæ eruta, ad posteritatis solatium luculenter exornauit. vt eorum memoria, qui arcta viuentes inter se necessitudine coniuncti fuerant, & quorum ingenij monumenta in lucem ædita coniuncta legerentur, à posteris quoque eodem in loco pa riter spectaretur. Quum autem varijs elogijs ab amicis sepulchrum Veronæ ornaretur, Adami Fumani Veronensis carmen omnium consensu principem locum obtinuit.

ADAMI FVMANI
Veronensis.

Longe vir vnus omnium doctissimus,
Verona per quem non Marones Mantuæ
Nec nostra priscis inuident iam sæcula,
Virtute summam consecutus gloriam
Iam grandis æuo hic conditur FRASTORIVS.
Ad tristem acerbæ mortis eius nuntium
Vicina fleuit ora, flerunt vltimæ
Gentes, perisse musicorum candidum
Florem, optimarum & lumen artium omnium.

LVDOVICI NOGAROLAE
Comitis
Ad Paulum Rhamnusium
Venetum.

FRASTORI monumenta hoc tu dum PAVLE libello
Colligis, è cæcis eripiens tenebris,
Scilicet vt Vates, Medicaq; excelluit arte,
Percurritq; domos ætherias animo,
Ingenteis VERONA refert tibi nunc mea grates
Cum Baldo, Benacoq; suo, atq; Athesi.
Qui tanto assurgent plausu, quantum ipsa labore
Fama sui ciuis se efferet aucta tuo.





L. HELIO CÆSARE IMP.
P. Cœlio & Albino Vibullio Pio Coss.
VII Idus Octobres
Gn. Domitius Valens II Vir I D
Præeunte C. Iulio Seuero Pontif.
Legem dixit in ea verba quæ infra scripta sunt

Iuppiter optime maxime quãdoq; tibi hodie hanc Aram dabo dedicaboq; ollis legibus ollisq; regionibus dabo dedicaboq; quas hic hodie palam dixero vti infimum solum huius aræ est Siquis hic hostia sacrum faxit quod magmentum nec protollat itcirco tamen probe factum esto cęteræ Leges huic aræ eædem sunto quæ aræ Dianæ sunt in Auentino Monte dictæ hisce legibus hisce regionibus sicuti dixi hanc tibi Aram Iuppiter Optime Maxime dico dedicoq; vti sis volens propitius mihi collegisq; meis Decurionibus Colonis Incolis Coloniæ Martiæ Iuliæ Salonæ coniugibus liberisq; nostris.

HIERONYMI FRACASTORII VERONENSIS HOMOCENTRICA

AD PAVLVM III. PONTIFICEM MAX.



VAE in vita mortales inuenere summe Pont. Beatissime, nec ab vno omnia inuenta sunt: nec in lucem simul omnia prodiere, sed hæc vna ætate, illa alia, vt dies & rerum conditio tulit. Fortunatissima autem illa mihi fuisse videntur sæcula, quibus cõcessum fuit in difficilibus ac magnis dignum quidpiam inuenire potuisse, quod certe fœlicioribus illis priscorum sæculis large donatum fuit. nostram vero ætatem hanc quum mecum ipse considero, equidem non satis scio fœlicem ne an infœlicem hac in re debeam appellare, quando eorum quæ ab antiquis inuenta fuerãt, multa quidem aut prorsus interiere, aut vix tenuem sui vmbram nobis relinquere valuere. Contra vero multa alia, quæ ne antiqui quidem nouere, perinde ac enascentia ætate nostra comperta sunt: qua in re vel magnum quoddam fatum tempestas hæc habuisse videtur mihi, vt si priscis illis comparanda forte nõ sit, multis tamen anteponenda videatur. Maiores nostri (vt alia permulta taceam.) vltra Fortunatas insulas ab occasu, vltra Catygaram ab ortu nihil penè nouere, atque inferioris mundi huius, quem nos mortales colimus, vix dimidium attingere valuere: nunc tot Insulæ tot littora tot gentes patent, ac totum quodcunq; Maris Terræq; est, & cognitum nobis & nauigatum fuit. Sed certe & superioris quoq; mundi illius, quod Cœlum dicimus, magnam partem ipsis illis maioribus nostris ignotam fuisse possumus affirmare: nam ij & cœlestem regionem contemplati, nec sanè multos orbes agnouere, & præcipuos illorum motus vix duos deprehendere potuere. Nunc vero (quasi vtriusq; Mũdi cognitio fato quodam reseruata fuerit ætati nostræ.) & maiore numero & magis admirando cogniti orbes sunt, & præcipui duo alij motus adinuenti: per quos cum aditus ad multa eorum patet, quæ abditissima sunt in natura: tum via ad ea omnia sine vlla obliquitate demonstranda, quæ circa stellas apparent. qua de re nunc ego (quod tibi in primis tum reliquis omnibus, qui ætatis nostræ inuentis ornamentisq; gaudent, gratissimum futurum sperem.) non nulla scripturus sum. Non te latet quicunq; Astronomica

B

ſunt profeſsi, omnes ſemp in reddendis eorum cauſis, quæ circa ſydera C apparent, magnā habuiſſe difficultatem. duæ enim quū eſſent vię eas red dendi cauſas, altera per orbes illos, quos Homocentricos vocant: altera per eos, quos appellant Eccentricos, in vtraq; quidē ſuus labor, ſuus ſcopulus impendebat. Si.n. Homocentricis vterentur apparētia non demōſtrabant. ſi vero Eccentricis, melius quidē demonſtrare videbantur, ſed iniq; & quodāmodo impie de diuinis illis corporibus ſentiebant, ſituſq; illis ac figuras dabant, quę minime cœlum deceant. quas ob difficultates Eudoxū ex antiquioribus nec non & Calippū, qꝫ per homocentrica demonſtrare vellent, in multis defeciſſe accepimus. Hipparchū vero inter primos maluiſſe Eccētricos orbes recipere, q̄ ijs, quę apparebant, deeſſe. quem Ptolemęus Phęludienſis & ab eo mox penè oēs, ſecuti ſunt. Verū enim vero aduerſus hoſce (quantum ad Eccentricos pertinebat) omnis ſemper Philoſophia, imo ipſa Natura magis, ac orbes ipſi ſemp reclamauere. nemo.n. qui Philoſophus eſſet, hactenus inuentus eſt, qui inter diuina illa & perfectiſsima corpora monſtroſas ſphęras ſtatui audire poſſet. Ea de cauſa pleriq; diuerſis ętatibus, quo philoſophię ſimul & apparentibus ſatisfacerent, ſublatis è cœlo Eccentricis tentarunt alia quædā moliri, ſed alij quū pauliſper ꝓceſsiſſent, ſpe deſtituti ab inceptis deſtitere. Alij quū mala tentarent tollere, peiora multo intulere. Ita nullo hac in re (quod dignū eſſet) inuento mōſtroſa quidē hactenus, & magna ex D parte imperfecta permanſit Aſtronomia, & quēadmodū inferioris mundi, ita & ſuperioris magna pars mortalibus occulta fuit. Aetate noſtra Ioannes Baptiſta Turrius ciuis noſter maximi ac penè diuini ingenij vir, & ſecretioris cuiuſdā Philoſophię cultor admirandos duos in Sphęris motus inuenit: Illos (vt arbitror) quos tum Albateticus tū pleriq; alij Aſtronomi latere in ſtellis vaticinati ſunt. per quos ſibi ille viſus eſt aditum nactus ad multa eſſe. pręcipue vero ad ea ſine vllis eccentricis demonſtrāda quę circa ſtellas viſuntur. quā rem magna ille ſpe agitare animo cęperat quū aliter decernēte fortuna, ſub ipſis initijs ī matura inexpectataq; morte præuētus eſt. Iuuenis ętate, ingenio, ſtudijs, virtute, diſciplinaq; ferè omni florētiſsimus & admirādus. Moriturus aūt quum iam eſſet, (qualē Trimegiſtum Mercuriū ferunt morientē aſtantes amicos rogaſſe, vt memores forent illius nauis quā in medio ęthere perpetuo aſcendere, & deſcēdere docuiſſet) ita ille ad nos conuerſus, qui aſtabamus amici, quum multa alia dixiſſet, tū me reſpiciens quiddā, inquit, habeo Fracaſtori, qđ te ſupremum rogem. hortāte vero me vt diceret, memorē inquit te fore velim eorū circulorum, quos Timæus ad figurā X litteræ primum ſecat: mox ita retorquet, vt linearū capita inter ſe coeāt (Significabat autem à

ſe in-

A se inuẽtos motus) tum, qđ mihi nunc inuidet mors, si te præstaturũ spe
rem, ac cœptum per me negotiũ perfecturum, magna morięti mihi con
solatio futura est. cui ego memorẽ fore me, si opus fuisset, & desyderio il
lius satisfacturum promisi. Illo igitur (vt Dijs placuit) vita functo, quũ
decedere de animo pietas mihi illa non posset diem vnum tantum inge
niũ totq; inuenta condidisse, maxime aũt miserandum videretur infra-
ctum illud cęlestium rerũ ĩcœptum, mecum ipse agitare animo occepi,
num per me forte fieri posset, vt si non omnia, hoc saltẽ (quod promisis-
sem) stellarum negotiũ ab interitu defenderetur. quod si præstare possẽ,
videbar mihi ipse & satis memoriæ tanti amici fecisse, & non parũ dedis
si ætati nostræ, si eo inuento non fuisset frustrata, quod illi fata quodam-
modo reseruauissent. Ad hoc autẽ & nõ parum impulere me Ioan. Mat-
thæi Giberti religiosissimi nostræ vrbis Episcopi exhortationes, qui
quũ Ioan. Baptistam Turrium inenarrabili quadã beneuolentia semper
prosecutus fuisset, magnopere optabat memoriã illius inter mortales vi
uere. Ego vero desyderium eius adimplere, non solũ ob venerationẽ tan
ti Episcopi, sed ex debito quodã tenebar. per cuius liberalitatem esset fa-
ctum, vt quasi manumissus in libertatem, & ocyo frui possem, & omni
penè ea cõmoditate, quę ad studia literarum expetitur. Has ergo ob cau
B sas, tametsi rei difficultate nouitateq; non parũ deterrebar, appuli tamen
animũ ad totum Astronomicum negotiũ omni cura studioq; euoluen-
dum per inuenta à Ioanne Baptista principia. quanq̃ via, quam ille inire
cœperat, vti forte secretior, & rarioris cuiusdã intelligentiæ, ita minime
tentanda visa est, sed iter omnino aliud longe planius tenẽdum. quo de-
mum effectum est, vt nec mea me (vt arbitror) fefellerit spes: & plane co
gnouerim, quęcunq; circa stellas apparent, aptissime per homocentricos
orbes monstrari posse. Isthac igitur de re pręsens hoc opus scripsi. ac tum
forte absolui, quum te Pontificẽ Max. magna totius Christiani orbis læ-
titia factum fuisse nobis allatũ est. Quum vero à sanctissimorum tuorũ
pedum deosculatione ad nos reuersus esset Ioannes Matthæus Giber-
tus Episcopus, ego illi quasi fructus nuntiaturus eius ocij, quod ipse pe-
perisset mihi, dixi negotiũ de stellis perfecisse me: ac sub eius auspicio de
dicationeq;, si ita sibi videretur, ęditurum. qui quũ mihi gratulatus fuis-
set, minime inquit sub nostro, sed sub maiore auspicio ædes. meum. n. si
est hoc munus, placet vt nouo Pontifici nouum dicetur opus: qđ cœli ac
syderum cõtẽplationem cõplectatur, quorum ille claues atq; imperiũ
gerit. gratissimum. n. illi futurũ puto regno suo audire decus dignitatẽ-
que suã esse restitutam. præsertim ꝙ is post religionis, & Christianæ Rei
publi. curas nullo alio magis tenetur studio, q̃ totius Philosophiæ, præ-

cipue illius quæ circa ſydera,& cœleſtes orbes verſatur. Illi pręterea quũ C
cœli omnes omnis Dei terra gaudeat & gratuletur, fiet quidẽ hoc pacto vt & cœli quodãmodo ipſi & ſimul Verona tua,atq; ego pariter congau deamus,gratulatũq; eamus tanto Pontifici.quem Deus optimus ſuã tan dem Remp. miſeratus eccleſiæ periclitanti præfecit. Ergo tantum ego hoc auſpicium capiens,et deſyderio noſtri Epiſcopi morẽ gerendum du xi,& plane cognoui nulli conuenientius q̃ tibi deberi ſtellarum orbiũq; contemplationes,in quibus poteſtatẽ tantam vnus è mortalibus cunctis habeas. Aequiſsimũ pręterea eſt,vt & tu nouis pleriſq; orbibus,qui nunc primum cogniti ſunt,gratuleris,& illi tibi: quos fata tuũ in Pontificatũ quodãmodo reſeruauere,vt patente iam & terra omni nihil in inferiori hoc mundo ſit,nihil in ſuperiori,quod tibi non ſeſe aperiat ac gratuletᷣ. Quòd ſi & ea quoq; te tenebit tum digna tum neceſſaria cura, quæ Iuliũ Cæſarẽ Pon.Max.habuit,reformandi anni & ſolaris curſus ad vera ęqui noctia reducendi,ſuccurendiq; lapſis cyclis,hinc te non inuitabunt mo-do,ſed & apertiſsimam viã oſtendent ſydera, quibuſcum magna quædam eſſe tibi cognatio videtur. Illa naſcenti ſalutaria fœliciaq; adfuere: Romanũ,Frenenſemq; familia eſſe voluere: creſcentem fortunæ bonis, virtutibus,diſciplinisq; omnibus,ornauere:ac poſtremo in terris Pontifi cem ſummũ ac Dei Vicarium effecere. Tu igitur opus hoc (qualecunq; D
eſt,)quaſi eo te ſtellę cũ reliquis orbis gratulationibus ſalutatũ veniãt,be nignus accipies.ac ſi quando à Chriſtianę Reip.curis vacabis, ad remittẽ dum animũ leges. Cęterum non me latet quæ valde noua ſunt, præſertim & maiorum noſtrorũ placitis aduerſantia, ea & odium quoddã ſecum afferre conſueuiſſe,& ſuſpicionem temeritatis cuiuſdã. Quoſdam pręterea fore ſcio,quos nouorũ orbium numerus,multiplicitasq; offendat.alios qui quaſi adiecta rebus aſtronomicis difficultate horum lectionem refugiant. Verũ in ijs quę noua in lucem veniunt, æquũ eſt non ab authoribus ſumendũ eſſe iudicium,ſed ab ijs quæ ſcribuntur. quę lecta intellectaq; ſi recte tradita fuerint,delectare potius,ꝙ noua ſint, q̃ odio haberi debent. Aduerſari vero maioribus noſtris ea in re liceat nobis, in qua et ipſi maioribus eorũ & philoſophię omni ac ipſi demũ naturę ſunt aduerſati. Orbium aũt nouitatem numerũq; nemo ęgre ferre debet, qñ Callippo ſphæras quinq; & quinquaginta inducẽte neq; Ariſtoteles ne que totæ Athenæ eum numerũ ægre tulere. Porrò difficultatem aſtrono micis rebus additã nemo putet.quandoquidẽ illud nos vere pollicemur & priori aſtronomiæ lucem quandã aditũq; perfacilem eſſe per hæc adie ctum,& longe minus vnum quenq; in homocentricis noſtris laboraturum,q̃ in eccentricis aliorum.

A *De dignitate Vtilitateq́; Aſtronomiæ.* Cap. I.



STRONOMIAE aũt ſciẽtia tametſi vna ex ijs eſt, quæ ſubiectæ ſubalternæq́; dici conſueuere, nobiliſsima tamen exiſtimanda eſt,& digna,quę inter præcipuas cenſeatur, tũ quòd circa cœlum & diuina illa verſatur corpora,quæ ſyde ra appellamus,tũ quod mathematicæ diſciplinæ ſubiecta ex certiſſimis ma- gna ex parte ratiocinatur. Videtur autem & eo ſuper alias admiranda, quòd annorum ſupra mille tum pręteritos tum futuros vniuerſi cœli mo tus dicere poſſe,ſoliſque ac lunæ & aliorum cõuentus,oppoſitiones,defe ctus,& quicquid quæque ſęcula aſpectura in cœlo ſunt,nouiſſe, admira- tione profecto dignum eſt, & cognitio diuinitatis cuiuſdam particeps. At vero et non propter ſe ipſam ſolum,ſed & propter alia multa expeten da atque amplexanda videtur, ad quæ non modo vtilis,ſed & neceſſaria quodammodo eſt.nam quoniã quæ hic ſunt à ſuperioribus & reguntur, & varijs afficiuntur modis, ſuperiorum quidem ſtatus mutationesq́; co- gnouiſſe vtiliſſimum certe eſt,& in vita magnopere deſyderandum.quã ob rem & prognoſticæ facultati in multis,& medicinali, & nauticæ arti ac ruſticæ,& multis alijs ſummopere accõmoda eſt,tum vero & ad mul-

B tos vſus ciuitatum idonea,atque in vniuerſum ad omnia, in quibus vlla temporis et monumenti rerũ ratio eſt,potiſsimum autẽ & ad totam Gęo graphiam neceſsaria.Prӕterea et ad cõponendos quoq; animos non parũ conducere videtur hæc ſpeculatio,tum quidem quòd paruitatem noſtri- met & vitæ noſtræ non aliter magis cognoſcimus,quàm eorum immor talium corporum magnitudinem et perpetuitatem admirantes,tũ quòd animum ab his terreſtribus attollentes diuinorum commercijs aſſueſci- mus.Hinc primum de Dijs cognitio habita, hinc eorum amor & venera tio . hinc prima æternitatis admiratio fuit. In homocentricis autem no- ſtris non ſolum ea vtilitas inerit,quę totam ſequitur aſtronomiam,ſed et alia quædam magnopere deſyderanda . primum enim & ad veritatem ipſam, qua nihil optatius eſſe debet, & ad proprias cœleſtium motuum cauſas pernoſcendas facere videntur ſatis,deinde & ad qualitates motuũ ipſas,quarum multæ hactenus in ambiguo atq; obſcuro fuere. quod & in Aplane orbe,& in Sole perſpicere ſatis licet.qualis enim quotusq; ſit non errantiũ ſtellarum motus,& quomodo annua menſura tam uaria diuer- ſis temporibus inueniatur,& qua ratione ſolſtitiorum diuerſitas fiat nul li quidem(vt par erat,)hactenus tradidere.ſed ne tradendi quidem facul tatem & viam per cognitos hactenus motus vlli habuere,quod ætati no ſtrę(vt dies et fatũ affert,) reſeruabatur.Hac igitur de re acturi in primis illud

illud præfabimur,quod Ariſtoteles monet,in difficillimis & valde abdi- C
tis in natura ſatis eum feciſſe,qui rem ad id quod eſse poteſt,deduxit.qua propter & nos qui per homocentricos orbes demõſtrare pollicemur,quę circa ſtellas ſpectantur,ſatis quidẽ fecerimus,ſi in tam abdita re tã difficili nihil impoſsibile,nihil incõueniens & abſonũ induxerimus,quod certe ij faciunt,qui per Ecentricos orbes demonſtrare hactenus voluere. de quibus rationem habebimus loco ſuo.vbi oſtendemus nedũ neceſsarios nõ eſse propter ea quæ apparent,ſed ne poſse etiã eſse in natura.et apparẽtium multa non demonſtrare,pluribus etiã aduerſari. Is autẽ procedendi nobis erit modus,vt in ſingulis ante omnia pręponamus quæcunq; apparent,queq; obſeruata traduntur.mox quo pacto alij ea oſtẽdere conati ſint.tum demum quo pacto eadem nobis demõſtranda videantur per ea principia,quæ nuper inuenta ſunt. Nunc vero ad rem ipſam accingamur in primis nõnulla ceu ſuppoſita pręmittẽtes.quod diſciplinę omnes faciunt,præſertim ſubalternæ. Quòd ſi quædã à naturali Philoſophia nobis petita fuerint,nemo exiſtimet aliena nos ꝓſequi. quãdo Aſtronomia partim quidem mathematicæ diſciplinæ,partim & naturali ſubiecta eſt.

SECTIO. I. DE PRINCIPIIS.

Stellas per ſe non moueri,ſed in Sphæris duci. *Cap. 2.* D

ILlud igitur in primis ſtatuendũ eſt nobis, ſtellas, quas oriri atq; occidere & circũferri videmus,non ex ſe ac ſpõte moueri, ſed in orbibus incluſas duci. quod quidem etſi ab alijs(quantum eſse poterat ſatis)declaratum demonſtratumq; iam diu eſt,non ab re tamen fuerit & nũc quoq; mõſtrari.quandoquidem nonnulli ſunt non ex antiquis ſolum,ſed è recentioribus etiã vel magnę authoritatis viri,qui moueri per ſeſe ſtellas ac ſpõte circumagi perinde ac ętheris animalia quędã ſcripſere.ſed certe hi nulla ne dum vera,ſed ne veriſimili quidẽ ratione adducti ita ſunt opinati.quãdo & ratio omnis et ipſe etiã ſenſus docet ſtellas omnes Sphęris affixas vehi. Primum enim ſi ad eam ſyderum multitudinẽ,quę nõ errantia dicuntur,reſpiciamus,quaſi quidem depictam ante oculos formã Sphęrę ea vehentis ſydera cõſpiciemus.ea enim eſt Sphere ratio,vt quę in medio circulo partes ſunt, eę ſolæ Sphæra cõmotæ maximũ velociſsimũ & circa centrum deſcribant circulũ.reliquæ vero à medio quanto abſunt magis,tanto minores,tardiores,& à centro remotiores circulos ducant vſq; ad polos.vbi minimi,tardiſsimi,& à centro remotiſsimi circuli fiunt. ita tamen vt omnes inter ſe cõparati circuli æqualiter circumeant, atq; orbẽ expleant.Hæc autem omnia plane præſtare ſtellas videmus,quæ inerrantes dicuntur.nam quę in vocato ęquinoctiali circulo ſunt,eæ ſolæ maxi-

mum

A mum velociſsimũ & circa centrum circulũ ſignant.ab eo verò deinceps quanto aliquę recedunt magis,tãto minores,tardiores,& à centro remotiores circulos obeunt vſq; ad polos.Circa quos quæ ſunt ſtellæ & minimos,& tardiſsimos & à centro amotiſsimos agunt.qui tamen omnes circuli,ſi inter ſe comparentur,æqualiter quidem orbem peragãt,& ad idẽ reuertantur . quæ omnia quum in tota illa multitudine ſyderũ in vtraq; cœli medietate è libella reſpondeant,dubitare nemo debet in Sphæra aliqua conſtitutas coaffixasq; eſse,quæ ita feruntur ſtellæ,pręſertim quòd ſi ſponte moueri poſsent,nulla profectò eſset,quæ non circa centrum verteretur.ea enim natura ſuperiorum corporum eſt,vt circa centrum conuertãtur.Ad eos porrò,qui Planetæ dicuntur,ſi quis reſpiciat,& ipſos cõ ſimiliter videbit non ex ſe moueri,ſed in orbibus inſitos ferri.nã eos modo ante,modo retro, & nunc dextra, nunc ſiniſtra,& modo tardius modo velocius agi conſtat,quæ diuerſitas ab animali fortaſse & compoſito aliquo corpore,quod inſtrumenta plura & principia mouẽdi diuerſa habeat,fieri per ſe poſset.a ſimplici autem & immortali corpore,nõ, quale eſt cœlum & cœleſtia omnia.quod enim ſimplex eſt,vnum omnino eſt. vnum autem vnius eſt naturę,vna vero natura,vnius tãtum effectrix per ſe eſt. ex ſe igitur tam diuerſa obire planetas impoſsibile eſt, in Sphæris autem delatos non impoſsibile,vt in ſequentibus oſtendemus. At vero
B & alia etiamnum ratio monſtrat in orbibus rapi,quæ circumagũtur ſtellæ.ſi enim non ſunt in orbibus,ſed ſeſe agitant,oportet quidem aut in vacuo moueri, aut in alio corpore, quod ijs cędat.quemadmodum aer & aqua conſueuere.ac nec vacuum eſse,nec tale poteſt corpus, quod cedat, vbi enim corporum ceſsio vlla eſt,illic & rarefactionem eſse & addenſationem neceſse eſt. alioqui moto quolibet totũ moueri oporteret,quod intra mundum eſt,at certe rarefieri non poteſt corpus in quo ferũtur ſtellæ.tum quòd ſummam raritatem ſortitum rareſcere nõ vltra poteſt:tum quòd corruptibilium affectio quędam eſt rarefactio addenſatioque,& in ijs ſemper violentia verſatur,cœleſtia vero nec corruptibilia ſunt,nec violentiæ vlli obnoxia . atque ex his quidem & alijs multis non moueri per ſeſe ſydera vnuſquiſque,qui non ſit pertinax , poteſt exiſtimare.

Non vnam tantum Sphæram eſſe,ſed plures. Cap.3.

HOc quum ita ſe habeat,ſequi & illud videtur,vt non vna tantũ ſit Sphæra,ſed plures. Stellarum enim,quas videmus, aliæ ſemper eundẽ inter ſe ſitum,eandem rationẽ ſeruant,aliæ continenter euariant. quę ergo ad alias ſitum rationemq; euariant,eſse eadẽ in ſphęra non poſſunt,niſi per ſe mouerẽtur.at non per ſe moueri dictũ eſt,quotquot ergo

rationem

rationē ad alias mutant,tot oportet & sphæras esse,quę illas ferāt quę ve C
ro nō mutant,in eadē esse sphęra oēs consentaneū est.in pluribus enim si essent,sitū profecto respectumq; ad alias cōmutarent, earū orbibus diuersimode euariatis.Septē igitur quū sint stellę,quę perpetuo errātes sedē ad alias mutent,reliquę vero oēs,quarū infinita penè multitudo est, semper inter se eādē rationē conseruēt, octo ad summū cogniti orbes fuere, quibus stellę sunt a Dijs datę.quorū vnus assignatus ijs fuit, quæ nūquā oberrant sydera,qui & ob id Aplane fuit appellatus,quòd in eo infixa sydera nunquā errent.Septē vero tributi sunt ijs,qui ab errore illo perpetuo Planetę,hoc est Errones sunt appellati.At vero quòd & aliæ quoq; sint sphęrę ratione magis, q̃ stellarū aspectu cognitę,in sequētibus ostēdemus.

Quo ordine se habeant Sphæræ notæ. Cap.4.

CONtineri orbes vnum in alio vti manifestum,recipiendū est, quo autem ordine octo illi se habeant,qui stellis sunt insigniti nō vna apud antiquos opinio fuit.Aplanē tamen omnes vno consensu supra planetas statuunt.primum quidem ea ratione, quòd comparātes Aplanen planetis,uiderūt ocyus circunuerti Aplanen in occasum,serius autē planetas.rursus vero & Aplanen viderunt, quāquam citius conuerteretur, minus tamen ostendere motum suum,Planetas vero manifestiorem facere.quinimo et Aplanes stellas perspexerunt apparere ne quidem moue D
ri,nisi loca multi spatij comparassent,planetas vero per minus interuallum motum prodere animaduertêre.Apertissimum id signum fuit non errantia sydera longius abesse à nobis quàm planetas,quod iure fit. non cognoscitur enim motus nisi collatis locis, quę successiue post se reliquit id,quod mouetur.in propinquis autem facile est loca cōferre et distinguere,quāquam minimum etiam distent.at in longinquis nō facile. quoniā quod inter vnum & alium locum est interuallū, è longinquo basim nō facit,nec in oculo angulum,si parum sit, propter quod nec moueri apparent,quę valde distant,nisi loca multi interstitij comparauerimus.quam ob rem Aplanen longissime à nobis sitam animaduertêre. Esse præterea remotiora non errantia sydera alio etiamnum indicio deprehendêre,quòd ea scilicet micarēt, Planetæ autem non.tremulus quidē enim est visus,quod micare dicimus.neque enim ipsæ tremunt stellę,sed visus. quod tum fit,quum in magna distantia eundem locum tenere visu volumus.laborat enim quę sentit pars. Ad hæc autem planetæ sæpe visi sunt aliquas non errantium stellarum occultare.Propter hæc igitur supremā omnium Aplanen constituêre. Porrò & planetas quoque quum inter se cōparassent,viderunt & illos nō æqualiter in occasum verti.sed Saturnū

ocyus

A ocius circũferri,mox Iouem,mox Martem, tardiſsimam vero omnium Lunã.Solem vero,Venerem,&Mercuriũ inter ſe quidẽ æqualiter,at Luna tamen citius,tribus vero reliquis tardius.Saturnũ ergo ſupra alios cognouerunt eſse conſimili ratione,qua & Aplanẽ cognouerant.viderunt enim quãquam citius ille in occaſum cõuerteretur,tardiſsimũ tamen eo in motu videri.qui & ſi nõ micabat,propius tamẽ erat,vt micaret quàm reliqui.ſub Saturno Iouẽ collocauere eiſdem de cauſis.ſub Ioue Martẽ. Lunã vero omniũ imam cõſtituere.tũ quòd tardiſsima in occaſum acta, velociſsima tamẽ in eo motu videbat̃.tũ quòd ab ea planetas reliquos obſcurari manifeſtũ erat.in ſole autem Venere & Mercurio quum ea ratio non appareret,magna apud antiquos dubitatio fuit,quis eorũ ſuperior foret.Venerẽ tamen ſupra Mercurium(ſenſu ita perſuadente)collocauere. quis autẽ locus Soli daretur,non ſatis liquidũ fuit.Plato enim Aegyptios quoſdã ſecutus ſupra Lunã ſtatim cõſtituit Solẽ.ea fortaſse ratione,quòd conuenientiſsime prope terrã ea locantur ſydera,quæ maxime beneficio terrarũ ſunt facta.cum quo & id quoq; accedit,quòd ſi Sol ſupra Venerẽ & Mercurium foret,oporteret ab ijs aliquantiſper obſcurari,quũ ſuppoſiti ſoli eſsent.nihil autem quum pati ab ijs videatur Sol,exiſtimare aliquis poteſt non ſupra eſse.Priſci vero ante Platonẽ omnes & recentiores oẽs poſt ipſum,ſupra Venerem & Mercurium Solem locãt. quòd paruã ſatis
B diſtantiam a cẽtro terrę ad Lunæ globum viderent.magnã vero ad Solẽ. quare tantum quum interſit inter vtrunq;,conuenientiſsime medij Venus Mercuriusq; cõſtituentur. Verũ tam hæ quàm oppoſitæ rationes ex ijs certe ſunt, quæ communia dici ſolent,neceſsarium nihil continentes. Nos in ambigua re maiorem hominũ partem atq; ipſum Ptolemęum ſecuti ita ſphęrarũ ordinẽ ſtatuemus,vt prima ſupremaq; omniũ ſit Aplane,ſecundus Saturnus,tertius Iuppiter,quartus Mars, quintus Sol, ſexta Venus,ſeptimus Mercuri⁹,octaua & vltima omniũ Luna,ad nos prima.

Vnum orbem non niſi vnum motum habere. Cap.5.

RECipiendum præterea eſt vnũ orbem non niſi vnum motũ habere,atq; eum ſimplicem & vniformem.Simplex autem eſt motus, qui ſuper duobus polis per ſe immotis ab eodẽ in idem redit.Ita autẽ eſse neceſse eſt propter prædictã cauſam,quòd ſimplex eſt orbiũ vnuſquiſq;. ſimplex autem omne vnum eſt,& vnius naturę.Siue igitur orbis a ſeipſo moueatur,ſiue a mẽte aliqua & vocata intelligentia, vno tantum modo moueri neceſse eſt.quoniã vnum & naturæ vnius eſt principium, quod mouet.a duabus enim intelligentijs vnũ orbẽ moueri nemo eſt,qui dixerit.vna igitur ſi eſt quæ mouet intelligentia,nec duos quidẽ prębere mo-

tus potest,nec vnũ diuersimode se habentẽ,si simplex est & vnũ. Per voluntatẽ autem & ex libito mouere(tametsi pius nemo simpliciter negare debet)at in orbibus tamen induci non potest, quorum motus naturales omnino sunt.omne enim corpus naturalẽ sibi aliquẽ motũ poscit. Igitur si intelligẽtia eo semper motu mouet,q orbi pro natura debetur,vno quidẽ semper mouebit motu;si vero nõ eodẽ semper motu mouet,sed quandoq; & contrario,incõueniens certe erit pugnãtiã vimq; intercedere inter mouẽtem intelligentiã,& motum orbem,diuinũ corpus & imortale. C

Superiorum orbium motu agi & inferiores,ab inferioribus vero nihil superiores pati. Cap.6.

AD hæc autem recipiendum & illud est superiorum orbium motu simul & inferiores agi,inferiores vero nihil in illos facere,qui supra sunt. vtrunque autem & ex signis probari,& ex suis causis potest. Primum enim quòd inferiores nihil in eos operentur,qui supra siti sunt, ex eo manifestum est,quòd superiores nihil in suis motibus immutãtur: oporteret autem & tardari sæpe,& citari,& retro etiã duci,si quicquam ab inferioribus,paterentur.quare videremus & primum orbem modo tardiorem, modo velociorem agi: Aplanẽ a Saturno retroferri, ab Ioue Saturnum.quæ quum minime videantur,manifestum indicium præbẽt inferiores motus nihil in superiores efficere. quòd vero inferiores orbes D ijs agitentur motibus,quibus & superiores,videre licet in primo orbe,cuius motu & reliqui quoq; circunferuntur.Idem & in Aplane spectatur, cuius conuersione constat inferiores omnes circunduci.at vero circa Lunam idem spectare possumus in eo orbe, qui deferẽs Draconis vocatur: secum enim ille vehit,quicunq; sub ipso orbes sunt.quod quum in prædictis appareat,& in omnibus consimiliter esse cẽsendum est:eadem enim omnium ratio.quòd vero in quibusdam non idem spectetur,accidit quidem propter quosdã contrauectos orbes(vt in sequentibus aperiemus.) Causa vero cur horum vnũquodq; fit,manifesta fiet,si illud iam inquiratur,quo pacto orbis mouere orbem possit:quod quidem & non paruam habet difficultatem,& non vnam opinionem.

Vtrũ plures orbes ab vna cõmuni intelligentia duci possint. Cap.7.

FVere in primis,qui putarint non a primo orbe moueri ab ortu in occasum inferiores reliquos,sed esse communem vnam intelligentiã, quę vniuerso cœlo per se applicita ipsum totum,quatenus totum,primo mouet atque agitat,partes vero quodãmodo per accidens.sicut enim anima ipsum animal primo ceu totum motat,membra vero deinceps:ita &

A intelligētia quæ cœli totius anima eſt,ipſum vniuerſum primo impellit, mox & ſphęras omnes,ceu membra,ab ortu in occaſum uertit.quam ob rem nõ ita eſſe,vt vnus orbis alium trahat,ſed ſimul omnes eodem motu duci. Verum enim vero quòd cõmunis hæc intelligentia effingi nõ poſ ſit,ex ijs fortaſſe poterit aliquis exiſtimare.primum quidem quia queádmodũ motu primi reliqui alij aguntur,ita & motu Aplanes ferri omnes alios cõſtat,qui infra illam ſunt.aut ergo & hic neceſſaria erit alia cõmunis intelligentia,quæ omnes ſimul moueat:aut ſufficiet Aplane ipſa reliquos alios ducere,qui infra ſunt.quòd ſi alia cõmunis intelligentia requiritur,iam igitur tres erunt intelligentiæ,quæ orbem vnum moueant, vt Saturnum, aut Iouem,duæ quidem cõmunes,& vna ꝓpria.imo in Luna quatuor requirentur,quæ penè ridicula ſunt. Si vero in Aplane neceſſaria non eſt cõmunis intelligentia,ſed ipſa ſufficiens eſt inferiores orbes ducere:pari ratione nec in motu primi orbis neceſſaria erit intelligentia cõmunis: quando ſat erit primus ipſe,qui reliquos omnes trahat. Præterea coniunctũ è ſphęris oĩbus nihil certe aliud eſt quàm ſphæræ ipſæ,è quibus nihil vnum conflatur,quod vnius naturę & rationis per ſe ſit.non poteſt igitur cõmunis illa intelligentia eſſe illius forma,quod vnũ per ſe nõ ſit.at certe intellectum omnem alicuius formã eſſe neceſſe eſt. quam ob cauſam ſingulis tantum orbibus ſingulæ intelligentię ſunt datæ. Ad hęc
B autem impoſſibile eſt intelligentiã vnã plures ſphæras mouere:aut enim vna habitudine,atq; vna ratione mouebit,aut pluribus.at pluribus quidẽ ſi moueat,iam ſimplex & vnũ non erit.vna autem habitudine & ratione mouere,quæ plura ſunt,quatenus plura ſpecie,mole,& natura differẽtia impoſſibile eſt.vnum enim quatenus vnum ad plura proportionem habere nõ poteſt,nec plura ad vnum.indigere autem diuerſis proportionibus diuerſos orbes, illud indicat,quòd alij pro natura tardius,alij velocius mouẽtur.Poſtremo quod(vt opinor)conuincit,illud eſt,quòd ꝓprij motus orbium oppoſiti ſunt cõmuni:vt qui Saturni,aut Solis eſt motus, illi contrarius eſt,qui ab ortu in occaſum ſit.impoſſibile autem eſt in eodẽ duas eſſe formas,quæ in oppoſita per ſe moueant.nam & quod mouetur duas habebit oppoſitas inclinationes(ad vtranq; enim formam inclinatre neceſſe eſt)& mouentium aut vtrunque aut alterum fruſtrari accidet,quoniam circa idem operantur,& alterum in oppoſitum alteri mouet,quare vtrunque fruſtrabitur,ſi vtrunq; validũ ſit:aut alterum,ſi alterum longe potentius fuerit.oppoſitos autem eſſe motus illos ſtatim oſtẽdemus,quãquam obliqui ſint,& non ſuper eiſdem polis. Ex his igitur quòd non ſit vlla communis intelligẽtia in vniuerſum monſtratum ſit, in parte autem demonſtrabitur & in ſequentibus.


Quòd vnus orbis alium ducat sine resistentia. Cap. 8. C

REctius ergo illi (vt mihi videtur) existimant, qui orbem moueri ab orbe, quatenus corpus a corpore, putant: verũ & hoc suas quoque difficultates habet. primum enim illud in dubio est, vtrum vllo modo resistat orbis, qui ab alio trahitur, an non. resistere enim debere videtur quoniam nullum est corpus, quod vim renitentiamq; non faciat, quum in contrarium illi parti trahitur, in quam per naturam inclinat. videntur autem planetæ omnes in ortum per se eniti. quare & primo orbi resistere, a quo in occasum retrahuntur. at si resistant, quomodo fit vt non laboret qui trahit, & non retardetur a resistente? Præterea & illud simul quærendum est, quis nam motus sit ille, quo orbis orbem ducit, tractio'ne, an impulsio, an vectio, an aliud. Ad priorem igitur difficultatem passim dici consueuit non resistere tractum orbem, nec contrarios esse planetarum motus cum primo: quoniam non super eisdem polis fiant, nec per eandem lineam, sed per obliquam, qualis est c d cum a b. contrarij autem forent, si per eandem lineam vterq; fieret vt per a b. sed certe hi neque difficultatem euadunt: neque recte illud dicunt, contrarios fore motus si super eadem linea fierent. non euadunt quidem difficultatem, quia obliquus omnis motus partim longitudinis, partim latitudinis particeps est, signum cuius illud est, quòd si Sol aut alius planeta nihil a supioribus impediretur, vtique simul & in orientem, & septentrionem, vel meridiem versus moueretur. nunc autem motum in longitudinem simpliciter non operatur, raptus a primo continente in occidentem, sed solum eum quòd in latus fit, quique cum alio stat. si igitur cõtrarij essent planetarũ motus cũ primo, si vtriq; per eandem lineam forent, ita profecto & contrarij sunt, quum per obliquã aguntur. nã quãquam nõ opponatur obliquus motus quatenus in latus fit, at opponitur tamen quatenus & in longũ ferri nititur. demonstrant autem hoc grauia & leuia. quorum hæc si deorsum, illa sursum trahantur siue per rectam, siue per obliquam lineam, semper trahenti resistunt. quapropter difficultatem non euitant. Sol enim & si nõ vim patitur a motu primi, qua in latus sese mouet, at pati tamen videtur, qua in longitudine impeditur. nec impeditur solum sed prorsus eũ amittit motum. nam simpliciter Sol in orientem motu proprio nõ fertur, sed solum secundum quid, vt statim declarabitur.

D

Nos

A Nos autem dicimus motus orbium qualeſcunq; ſint ſiue in idem,ſiue
in oppoſita,ſiue per eandē lineam,ſiue per obliquam,nullā vnquàm con
trarietatem inter ſe habere,nullā reſiſtentiam facere qui trahuntur,nihil
laborare qui trahunt.ſuperiores itē dicimus retroducere alios poſſe. hos
autē nihilominus ſemper motus proprios efficere,qui nec vnquā vllo pa
cto,vllo caſu tolli,aut impediri poſsint,ne fiāt,quāquam etiā retroducāt
aliquis orbis per eandē & rectam lineam ac ſuper eiſdē polis. Quare om-
nia vt commodius oſtendamus,in primis illud ſupponamus mediū circu
lum qui per naturā ſemel factus eſt in aliquo moto orbe,ipſum nūquam
mutari orbe illo quocunq; lubet modo mutato.



vt ſi eius orbis qui eſt a b c d medius circulus
ſemel per ſe factus ſit a c, ille quidem nūquam
mutabitur.quāquam orbis ipſe diuerſimode va
rietur. ſi enim polus d transferatur vbi e, re-
manebit tamen idem medius circulus a c,qui
per e f agetur. medium autē circulum voco,
qui moto orbe,medius inter polos & maximus
omnium ac velociſsimus deſignatur.cauſa au-
tem quòd is nūquam mutetur,iccirco eſt,quòd
ea orbis pars per naturam medium deſcribit circulum quæ iu eo orbe cę-
B teris per ſe præſtantior ac pollentior eſt.ſi enim nūc primum moueri ali-
quis orbis inciperet, vtique per naturam pars illa prius motum inchoa-
ret,quæ præſtantior ac valentior eſſet.quare & ab illa medius deſcribere
tur circulus.nihil autem refert ſiue incipiat moueri orbis,ſiue etiam æter
no tempore dimotus ſit.idem enim omnino pro natura fit.hac de cauſa
Planetæ ſemper in medijs circulis locum habent.quoniam ſtella præſtā-
tiſsima eſt in toto orbe pars,& ab ea ille producitur circulus,qui medius
ac maximus eſt. Igitur ſemel facto per naturam circulo medio in aliquo
orbe,idem ille ſemper manet, quoniam eadem natura ſemper perſtat,
& partes eædem ſemper ſunt, quanquam orbis ipſe varie commutetur
& transferatur. Ex his ſequitur vt quædam accidant orbibus & aduen-
titia ſint,quędam vero per ſe inſint.accidūt quidē vniuerſi partes oriens,
occidens,ſeptentrio,& meridies.quòd enim aut in occaſum aut in ortū
ferantur,per accidens habēt, & forinſecus aduenit.ſi enim per ſe ineſſet
certam in partem moueri,mutato quidem orbe & polis eius, mutaretur
& medius circulus.ſiquidem oporteret moueri orbem eam in partē,quę
per ſe et pro natura indita foret,quod quidem per alium mediū circulum
eueniret.vt ſi orbis a b c d per ſe haberet moueri ab occaſu in ortum per
lineam certam,ceu per æquinoctialem,trāſlato quidem polo d vbi c,mu

taretur,& medius circulus qui prius fuit,vt a c, fieretq; alius nouus, qui per æquinoctialem protéderetur.hoc autem quum fieri nullo pacto possit,vt mutetur medius circulus pro natura semel factus,mutentur autem orbes ipsi diuermoside,& poli eorũ,necesse est vniuersi partes omnes accidere orbibus,neq; eos hanc magis quàm illam per se respicere,sedindifferẽtes ipsos per sese existere,quocunq; vertãtur,quod cũ in planetis alijs tum in Luna videre manifestissimũ licet.nam quãquam qui Draco in ea vocatur,perpetuò quodãmodo varietur,& nunc caput in vno signohabeat,nunc in alio:ipse tamen Lunæ orbis per eundẽ semper mediũ circulum circumuertitur:vt accidit modo in hanc,modo in illam partem agi. Idẽ & in planetis reliquis euenit:ac in primo etiãnum orbe cõtingeret, si supra haberet aliquid,quod dimouere ipsum de situ posset: nihil autem quũ supra habeat,a quo dimoueatur,vtpote primus,inde obtinet vt vnã in partem feratur semper. tametsi Aristoteli videtur finẽ quendã habere hoc in natura.Vniuersi igitur partes quum aduentitiæ sint orbibus, atq; illis accidant,tum id solum per se inesse ijs videtur,vt per medium circulum suum certo partiũ ordine conuertantur. sicut enim quædam partes per naturam medium circulum faciunt,ita & quædam certum ordinem in motu prębẽt, vt ab hac et in hanc solum fiat.at hoc vnum per se &(vt aiunt)essentiale est,reliqua omnia accidunt: siue enim in ortum siue in occasum vertatur orbis,siue dextra siue sinistra,indifferens ipse est,& natus verti in omnia,dum suo sese et per naturam indito motu agitet.si qua igitur oppositio inter orbes versatur,in eo certe est,quod per accidens diximus,hoc est circa vniuersi partes,in quibus & tardari, & sisti, & retroduci,& citari orbes,vnus ab alio potuere. verum contrarietas,& vis dici hæc non potest:si quidem violẽtia tum solum fit,quum quid contra naturam propriam torquetur.in eo autẽ quod per se diximus,nulla vis,nulla contrarietas accidit:quoniã in eo nihil pati orbes possunt,non tardari, non citari,non sisti,non retroduci,& ad summũ nihil impediri vllo pacto:quãdo motus ille,qui per se inest ac proprius orbibus, idẽ semper manet, & eodẽ modo fit semper,quocunque in vniuerso per accidens orbis vertatur. qua de causa nec laborat qui trahit,nec resistit qui trahitur, quoniã in contrarium non nititur,quum ad vniuersum nõ in vnã magis quàm in aliam partem inclinet. Dubitabit autem fortasse aliquis in ijs orbibus,qui retroducuntur,(præsertim si qui per eandem lineã retroagãtur),quo modo fieri possit,vt retro aliquis orbis ducatur,propriũ tamen ipse motum conficiat.primum enim mutari videtur nõ solum quod per accidẽs est,partes,scilicet vniuersi,sed & id quod per se dictum est, ordo scilicet partium in medio circulo.quæ enim præcedebat prius nũc sequitur,

C

D

A tur,& è contrario. Præterea & qui retroducitur orbis,prorſus proprio motu priuari videtur:nõ enim cognoſcitur motus vllus niſi per fixũ aliquid in vniuerſo,ad quod vel accedit vel recedit,ſi quid moueri debet.at retroductus orbis ad nullũ fixum in vniuerſo accedit,vel recedit per motũ proprium,ſed per raptum ſolũ. Porrò nec moueri is orbis dicitur,qui non circa centrũ conuertitur:at retroductus circa centrum non vertitur alio motu quàm raptu,per ſe igitur non videtur vllo pacto moueri.

Diſtinguendum ergo eſt de eo,quod moueri dicitur & quieſcere. eſt enim & per ſe moueri,& per accidens:ſimiliter & per ſe quieſcere,& per accidens.per ſe id mouetur,quod ratione ſui partes cõmutat in eo, quod coextenditur ſibi:quieſcit autem per ſe,quod ratione ſui partes non mutat in eo qđ coëxtenditur ſibi. per accidẽs autem mouetur,qđ partes mutat in vniuerſo & in cõmuni loco,verum non ratione ſui,ſed ratione coextenti.per accidens vero quieſcit,quod per ſe motum in loco proprio, partes in loco cõmuni & in vniuerſo non mutat,nõ autẽ ratione ſui, ſed alterius,in quo eſt. Per ſe igitur in oppoſita moueri impoſsibile: & per ſe moueri & quieſcere, impoſsibile.ſimiliter & per accidens in oppoſita moueri,aut moueri,&quieſcere impoſsibile.per ſe autem moueri in vnã partem,per accidens in aliã:aut per ſe moueri, per accidens quieſcere nõ impoſsibile.ſimiliter per ſe quieſcere, per accidens moueri non impoſsibile.

B bile.Qui igitur aduerſo amne tm̃ in naui currit,quantũ amnis cõtrafert, & mouetur,& quieſcit.ſed non ſcđm idem: mouetur quidẽ per ſe in naui ceu in ꝓprio loco,quieſcit aũt per accidens: in vniuerſo.n.quieſcit, & non rõne ſui,ſed nauis & amnis,qui contraferunt.Idem ſi minus currat, ꝙ nauis cõtrauehat,in oppoſita quidẽ mouebitur, nõ aũt ſcđm idem,ſed per ſe in occidentẽ in loco ꝓprio, in orientẽ vero per accidens,in vniuerſo,quo nauis ducit. Idẽ & de orbibus dicẽdũ eſt:nã Saturnus quidem,& Sol & oriẽtẽ verſus mouet̃,& verſus occidentẽ.ſed ꝑ ſe in orientẽ:ſignato .n.certo puncto in loco,in quo eſt,vt in Aplane,ab eo ſemꝑ magis & magis orientẽ verſus recedit,per accidens autem in occidentẽ fertur ſi enim ad vniuerſum cõparetur,& ad cõem locũ,partes quidẽ cõtinenter mutabit verſus occidentem,verum non ratione ſui,ſed alterius,in quo eſt: ex vehente enim orbe & vecto vnum totale motum fit, quod in loco vtriq; communi,& in vniuerſo verſus occidentem transfertur. Idem Saturnus ſi per ſe tantum moueret̃ in orientem, quantum per accidens retrotrahitur in occidentẽ,& moueretur,& quieſceret.ſed per ſe quidẽ moueretur in loco ſuo,per accidens autẽ quieſceret in vniuerſo.Ad obeundũ igitur propriũ motum nõ neceſse eſt in vniuerſo moueri(per id enim non menſuratur proprius motus)ſed ſatis eſt per ſe moueri,& in loco proprio par

tes

tes mutare, penes quod proprius motus & attēditur & mēsurat̃.atq; hoc C
nec īpediri vllo pacto potest,nec vlla ratione mutari.nā quāquā retroducatur orbis siue per eandem lineam siue per obliquā in vniuerso,per se tamen & ad propriū locū comparatus semper eodē modo mouebitur:semper suū atq; innatum motū conficiet:qua de causa nulla vis nulla contrarietas in eiusmodi motu versatur.in eo vero quod per accidens diximus, & impediri orbes possunt,& tardari, & citari.sed neque in hoc violentia & labor est.quoniam orbis non in vnam magis quam in aliam partem inclinat in vniuerso. Si igitur ordo partium mutari videtur in retroducto orbe,hoc certe est in eo,quod per accidens diximus, ratione ad vniuersum habita,non in eo quod per se est.quare & proprius motus nihilo secius fit ac prius,& eodem partium ordine per se, quāquam retro orbis ducatur.per fixum vero aliquid in vniuerso,non mensurari nō cognosci oportet proprium motum,sed per fixum aliquid in loco proprio. à quo vel ad quod semper recedit vel accedit orbis per se.Idem & semper circa centrum per se cōuertitur,quāquam per accidēs retrorsum circa idē centrum ducatur.quod satis est ad eū exercendum motum,qui proprius est. Dupliciter autē quum Sol & alij planetę moueri dicantur & per se in ortū,& per accidens in occasum,si quærat quis simpliciter quorsum moueatur Sol,in occasum fortasse dicendū est:secundum quid autē in ortū.simpliciter enim est,quod ad vniuersum est.secūdum quid vero quod ad lo D
cum proprium cōparatur.hic tamen & motus est,& per se motus ac proprius. Quòd igitur nulla vis, nulla resistentia inter orbes per se versetur, & quomodo retroduci orbes possint,at proprios tamen motus efficere, & quid sit per se,& quid per accidens in orbium motu,hactenus dictum est.vnus quis motus ille sit, quo orbis orbem ducit,expediamus.

Quòd vectio quædam sit,qua orbis orbem ducit. Cap.9.

DIfficillimum autem a me semper habitū illud fuit,quis nā motus ille sit,quo vnū orbem alium secum ducere videmus,vtrū tractio an pulsio,an vectio, an aliud quid. ac primum quidem tractio non videtur,quoniam quæ sese trahūt omnia aut per asperas & inæquales superficies trahuntur, aut alligata nexu aliquo.alia quidem continuitate communi ob vacuum, alia vinculo aliquo,alia spirituali specie,quali ferrum ad Magnetem trahitur.at in cœlo inæquales superficies non sunt, sed planissimæ & læuissimæ omnes (alioqui vacuum inter ipsas intercidat) neque orbis orbi succedit ob vacuum.nec vinculo vllo colligati sunt inuicem. sed nec spirituali specie (quod maxime dicendum videretur) si enim superior inferiorem duceret.quòd illi esset alligatus ea specie, vtique

que


A que & inferiores in opposita acti eadem alligatione resisterent, impedirentq; trahentes, & tardarent, ac retro etiam ducerent, quoniam multi inferiorum velociores multo sunt: constat autem inferiores nihil in eos facere, qui supra sunt, vt declaratũ iã est. Eisdem de causis neque impulsio videtur esse motus ille: nam & ipsa aut per inæquales superficies fit: aut mole, qua impellit, quod sibi obuiat corpus: aut spirituali specie (vt antiparistasi multorum patet) at nullo horum cœlum pellere cœlum potest. At vero nec vectio videtur esse, quod enim vehitur alligatum semper est cum vehente, & semper attractio aliqua fieri in vectione videtur: aut enim simul defertur vectum, ob inæquales superficies attractum, aut innititur atque insidet in vehente: hoc autem est illi alligari: pondere enim fit ne diuelli possit, quod vehitur: at cœlum cœlo non innititur, nec vllo alligatur modo. Propter hæc quibusdam neq; attractioneq; impulsio neq; vectio videtur is motus, sed opus virtutis & spiritualis speciei a superiori orbe demissæ, nõ quidem quæ orbes alliget, sed quæ eo motu inferiorem moueat, quo & superior agitur: quæ proprie neque tractio, neq; pulsio est, neque vectio, sed naturalis motus ceu a forma datus. Verum & hoc cõsimiles habet difficultates: si enim superior orbis speciem in inferiorem dimittit, vtique & inferior speciem mittet in superiorem: Circulo enim & in orbem diffunduntur spiritualia hæc, vt in lumine, & so-
B no, & alijs patet: quare & superiores impediri & transmutari accidet ab inferioribus. Præterea si a primo orbe species dimittitur, quæ reliquos omnes mouet, fortius quidem eos mouere necesse est, qui propinquiores sunt primo: quo igitur modo Sol, Venus, & Mercurius æqualiter moueri poterunt Sole propius existente? Item & illud quæri potest, nunquid quæ reliquos mouet species, & ipsum etiam primum moueat, an non. si quidem nõ mouet: mirum certe videtur mouere alios, ipsum autem in quo est, non mouere: at si mouet: si quidem & intelligentia etiam ipsa mouet, duo erunt vnius mouentia præter necessitatem. si vero sola species mouet, erit igitur primum mouens natura posterius primo mobili, & in magnitudine, & diuisibile.

Videtur igitur mihi vectionis species quædam esse, qua orbis orbem ducit. Omne enim contentum in alio, natum est cum eo atque in eo conuehi, nisi resistentiam faciat, & in oppositam partem inclinet: at cœlum cœlo nihil resistit (vt dictum est) neque in vnam partẽ magis, quàm in aliam inclinat. quid igitur prohibet continente moto ne simul & contentum quoque commoueatur, quando simul sunt, & alterum in altero? Neque illud verum est vectionem omnem cum attractione fieri, nisi in his quæ hic sunt, & contrarietatem inter se habent, atque oppositas

inclinationes: in ijs enim alligatio quædam requiritur, si vehi debent. C
at in quibus resistentia, & contrarietas nulla versatur, nec opposita inclinatio, nihil aliud requiritur, quàm simul esse, & alterum in altero. propter quod primus orbis reliquos omnes vehit: nec solum illos, sed & ignis sphæram, atque aeris, quàm diu resistentia non fit: verum vbi ad eas partes aeris ventum est, quæ aliquo pacto resistunt, tum circunductio aeris cessat, atque in his solum corporibus sphæricis & diuinis vera vectio inuenitur, quia contrarietatem nullã inter se habent, in alijs autem non proprie vectio est, sed tractio quædam magis. Nos autẽ propter consuetudinem eorum, quę hic videmus, non plane possumus cœlestem illam ac simplicem orbium vectionem imaginatione comprehendere. Si igitur hęc ita se habent, iam tandem & illud manifestum esse potest, cur superiorum orbium motu circunducantur & inferiores, hi vero nihil in superiores efficiant: siue enim motus ille sit vectio quædam (vt par est credere) siue fiat ab intelligentia communi, clarum est motu superiorum agi & inferiores, horum vero motu nihil superiores pati.

Si duo orbes in idẽ mouentur, minorẽ semper velocius moueri. *Cap. 10.*

AD hæc & illud supponendum est, si duo orbes in idem ferantur, minorem ac contentum semper velocius moueri, tum autem maxime quum subalterni fuerint, mox quanto anguli minores, atque acutiores extiterint. dico autem subalternos orbes, quorum circuli medij D
alter sub altero est, & poli sub polis. necesse autem est minorem orbem, contentumque velociorem reddi, quàm continentem, quoniam in eo vehitur. quare omnem in primis velocitatem acquirit, quam habet continens, deinde & suam ipse, ac propriam superaddit, non aliter quàm qui in naui vehitur, si in idem cum naui ipse sese agat, quãquam tardissime, semper tamen velocius omni puncto feretur, cum quo moueri cæpit. tum autẽ velocissimus fit orbis minor, quum subalterni fuerint, quoniam subalterna linea rectæ similis est, quæ omnium est breuissima, & totus motus in rectum fit. quum vero subalterni non sunt, sed sese intersecant, totus quidem motus non in rectũ est, sed & in latus: quæ linea similis est curuę. in spatium. n. e c citius peruenitur per lineam b c, quàm per b e: & per b e citius quàm per b d: quia trianguli b e c maius latus est b e, opponitur. n. maiori angulo.



& simi-


A & ſimiliter trianguli b d e maius latus eſt b d. Non exiſtentibus autem ſubalternis tanto velocior eſt motus, quanto anguli acutiores ſunt, quoniam motus ſubalterno propinquior eſt, & plus recti habet: vbi vero anguli maiores ſunt, motus magis a ſubalternatione remotior eſt.

Si duo orbes in oppoſita ferantur, minorem ſemper impediri. Cap. 11.

SI vero duo orbes in oppoſitas ferantur partes, minorem ſemper impediri neceſſe eſt, & aut tardari ſolum aut ſiſti, aut etiam retroduci. cauſa autem eſt, quòd vectio in vnam partem fert, proprius motus in aliam. ſi igitur æquales fuerint vectio, & motus proprius, ſiſti minorem continget: neq; enim in hanc, neq; in illã aget partẽ, æquatis potentijs in diuerſa mouentibus. at ſi maior ſit vectio, retroducetur minor ſuperante vectione: ſi vero minor vectio fuerit, præualebit quidem proprius motus, ne aut ſiſtatur aut retroducatur orbis, at tardabitur tamen. maxime autem fient hæc, quum ſubalterni orbes erunt, mox quanto anguli minores atque acutiores extiterint. Intelligenda autem ſunt hęc ratione ad vniuerſum habita, quod per accidẽs ineſſe orbibus dictum eſt. ſic enim nihil inconuenit & tardari, & ſiſti, & retroduci etiam orbes, quum nihilominus per ſe ipſi ſemper ſuos motus efficiant.

B *In natura ſphærarum non ſolum eſſe motum in longitudinem, ſed & in latitudinem factum.* Cap. 12.

ILlud præterea nobis ponendum eſt, in natura ſphærarum non ſolũ eſſe eum motum, qui in longitudinem agitur, ſed & alios quoq;, qui in latitudinem. dico autem aũt longitudinem ab oriente in occidentem vel è contrario: latitudinem vero à Septentrione in Meridiem, vel contra. Principaliſsimi autẽ motus, qui in ea natura eſſe poſsint, tres tantum videntur eſſe, non plures, nec pauciores, illi ſcilicet, qui ſeſe inuicẽ ſecant ad rectos angulos: hi enim ſoli (quẽadmodũ & axes ſuper quibus fiunt) determinati ac certi ſunt, reliqui vero indeterminati & infiniti ſunt: propter quod nec in natura eſſe per ſe poſſunt: ſi enim vnus eorum eſſe C poſſet per ſe in natura, pari ratione et omnes poſſent: at infinitum nullum & indeterminatum per ſe eſſe poteſt in natura: qua re nec plures axes per ſe, nec plures motus eſſe poſſunt, q̃ tres illi, qui ſeſe ad rectos ſecant angulos. ſed nec pauciores quidẽ contingit eſſe: quoniã ſi is eſt, qui ſuper a b fit, cur non ſit & ille, qui ſuper c d? & ſi hic, cur nõ et, qui ſuper e f? Eo-




rum autem motuum,qui in latitudinem fiunt ad rectos angulos cũ ęqui C
noctiali, ab Hipparchi quidem temporibus vſque ad noſtra aut nulla co
gnitio fuiſſe videtur,aut nulla opinio. ſi quidẽ Ptolemæus inter primas
ſuppoſitiones recipit,non eſſe alios in ſphæris motus,q̃ duos, alterũ qui
ab ortu in occaſum per æquinoctialem fit,alterum qui ab occaſu ad or
tum oblique per zodiacum contragatur.ante Hipparchum vero quan-
dam de ijs motibus opinionem fuiſſe apud Eudoxum, & Callipum cõ-
iecturã licet ex ijs accipere,quæ Ariſtoteles circa primam philoſophiam
reliquit:refert enim eos ſphæram quandam poſuiſſe,cuius poli in zodia
co ſiti eſſent. At vero & antiquiorem de his motibus opinionem exti-
tiſſe apud vetuſtiſsimam illam Aegyptiorum gentem,fidem quandam
præbent ea quæ,Pomponius Mela ex Herodoto accepta,de ea gẽte ſcri-
bit his verbis.mandatumq; literis ſeruant,ex quo Aegyptij ſunt, quater
curſus ſuos vertiſſe ſydera,ac Solem bis iam occidiſſe,vnde nunc oritur,
atq; ortum, vbi nunc occidit. Atqui occidiſſe vnquã Solem, vnde nunc
oritur,nulla prorſus via alia intelligi poteſt, quàm per prædictos motus:
de quo in ſequentibus non nulla dicemus.

Primus ætate noſtra Ioan.Baptiſta Turrius inter alia multa,quæ diui
no penè ingenio inuenit, vidit in ſphærarum natura oportere tres illos
motus per ſe eſſe,reliquos autem alios omnes per accidens inexiſtere. p
ſe autem dico eſſe nõ vna in ſphęra,ſed in vniuerſa ea natura,in qua prin D
cipales etiam naturales ſunt tres illi prædicti motus. oportere autem ita
eſſe,veriſimiles quidem rationes ſatis habet.primum quidem quia ijs a-
ſcitis,& facillime & regulariter ea omnia monſtrari poſſunt, quæ circa
ſydera apparent:non aſcitis autem,non poſſunt,niſi per abſurda,& incõ
uenientia plurima.at vero & propter bonum ac finem neceſſarij in natu
ra ſphærarum videntur. ſic enim non ſolum perfecta erit ſphæræ ratio,
ſed & alia perficiet magis.per hoſce enim motus fieri paulo poſt oſtende
mus,vt punctus omnis qui in ſphæra eſt,quandoque vbiq; fiat,& ad om
nia & vndequaq; ſeſe conuertat.quod neceſſarium quidem videtur,quo
virtutes, quæ ab orbibus huc demittuntur, vndiq; & ad punctum om-
nem impartiantur,& quæcunq; poſsibilia ſunt in natura fieri,quandoq;
etiam fiant.aliæ profecto generationes in mundo fierent, ſi forte fortu-
na Sol per æquinoctialem(vti per Eclipticam)iter teneret. Futurum igi-
tur eſt,vt Sol quandoq; viam illam teneat,quo fiant illæ generationes.in
natura enim quod poſsibile eſt,neceſſarium etiam eſt. ad ipſas præterea
inſularum montiũq; generationes ſi quis reſpiciat, videatq; tempus il-
lud fuiſſe,quum è mari facti,& olim mari contecti fuerint,futurũq; rur-
ſus,vt quà mare nunc integit,habitabile olim fiat, quodq; habitatur, ac
colitur,

A colitur, condendum quandoq; Oceano fore: tum videat maximas illas terræ mutationes, eluuiones, exarſiones, magnasq; æſtates illas, atq; hyemes, quas Ariſtoteles refert: agnoſcet quidem in Cœlo mutationes eſſe oportere, quæ tanta efficiant longe alias, & maiores, q̃ illæ ſint, quas quotidie videmus in anguſto admodum conſtitutas. atq; equidem crediderim hoſce motus eos ipſos eſſe, quos in ſtellis latere primum vaticinatus eſt Albatenius: mox & ſummus vir Ioannes è Regio monte quodãmodo eſt auguratus, quum ſcripſit. Siue igitur inſtrumentorum incertitudo hanc varietatem immiſerit, ſiue motum quendam adhuc nobis occultum ſtellis fixis natura indiderit, difficile admodum eſt, & erit, huius motus qualitatem metiri.

Si duo orbes ſeſe ad rectos angulos ſecẽt, minorem motu ſuo in omnia oppoſita ſucceſſiue mouere. Cap. 13.

SVpponendum deinde & illud eſt, duorum orbium ſi medij circuli ſeſe ad rectos angulos ſecent, minorem motu proprio ſucceſsiue in oppoſita omnia mouere. vt ſi orbis maior a b c d habeat medium circulum b d. qui ſecet medium circulum alterius orbis a e c f ad rectos angulos, primum quidem circunducetur orbis




B minor in latitudinem. quoniam motus qui in latus fiunt non ſeſe impediunt, & maiores ducere minores, & contentos dictum eſt. quo fiet vt minor circunductus in latitudinẽ motu proprio in oppoſita oĩa ſucceſsiue p̃ ſe moueat in occidentem, in Oriẽtem, in Septentrionem, & Meridiẽ. cuius cauſa eſt, ꝙ circũducto orbe in latitudinẽ partes permutantur, & quæ ſupra erat, fit infra: & è contrario. permutatis autẽ partibus neceſſe eſt & motum propriũ permutari. vnius. n. circuli ſi ſuperior pars in occaſum, inferior in ortum mouet. Si igitur partes illę permutẽtur, totus motus cõmutabitur. quod facile eſt ſic videre. intelligatur minoris motus eſſe a c in a per f ab oriẽte ſcilicet in occidentem in vna medietate: in alia vero eſſe ab a m c per e. ab occidente in orientem. quoniam igitur circulus hic a e c f circunducitur à maiore orbe in latitudinem per b d, palam ꝙ f quandoque fiet vbi d, quandoq; vbi e, quandoq; vbi b, & poſtremo iterum vbi f. Ergo ſi nunc mouet ab oriente in occidẽtem, quũ erit vbi d, fiet motus a ſeptentrione in meridiem: quum vero erit vbi e, motus erit ab occidente in orientem: quum autem vbi b, motus agetur a meridie in ſeptentrionem: ac poſtremo redeunte f ad primum locum motus redibit ab oriente in

te in

te in occidentem. Considerãda autem sunt & intermedia loca. Horũ C autem duorum orbium maiorem illum, qui circũducit, vocemus Circũducentem, minorem vero, qui circũducitur, ac proprio motu succesiue in omnia opposita mouet, vocemus Circitorẽ: vti enim his nominibus necessarium sæpe nobis erit: quare vt q̃ facilime intelligamur, legẽtes rogamus, vt ad hæc nomina bene ac memoriter aduertant, vt si quando à nobis adducentur, planè intelligamur, quid per ea significemus.

Si Circitori alicui alius orbis contraferatur in latitudinem super polis Circunducentis, hunc contraueꝍtum moueri à Circitore motu trepidationis. Cap. 14.

POstremo & illud nobis recipiatur, si Circitori orbi alius inferior contraferatur in latitudinem, & super polis Circunducentis, contraueꝍtum hunc à Circitore eo admirabili motu, aut consimili moueri, quem trepidationem, vel accessum & recessum vocant. Est autem motus is, quem trepidationem appellãt, vt duo puncta è diametro opposita (qualia essent æquinoctia) ita agantur, vt paruos describant circulos lationibus semper oppositis.




D

Punctus autem medius, qui tropici vicem supplet, modo versus vnum eorum punctorum duorum, modo versus alium accedat in eadẽ semper linea manens: vt si a & b sunt æquinoctia, c tropicus, parui quidem circuli erunt a d e f ex parte a: ex parte b autem b g h k. verum perfecti circuli non sunt hi, sed ouales quodammodo: perfecti autem solum sunt duo alij, quos describũt duo pũcta ab æquinoctijs distantia, quanta est semidiameter circulorum priorum, circa a quidem l m n o, circa b vero p q r s. Hoc ergo motu agi necesse est, si aliquis orbis minor Circitori contraferatur in latitudinem. quoniã enim omnis Circitor duos habet motus, vnum datum a Circuducẽte, quo circũfertur in latitudinem, alterum proprium, quo succesiue mouet in omnia opposita, ꝑ priorem quidem motum nihil mouebit contraueꝍtum hunc tertium in latitudinem, quo-


niam

A niam illi contrafertur æqualiter, per proprium autem motum mouebit, trepidationem vocatam afferens. nam quoniam Circitor per motũ suũ mouet in omnia opposita (vt dictum est) fit quidem, vt æquinoctia puncta contrauecti orbis, quæ potissimum Circitor respicit vti polos circunductionis, motu suo & ipsa in opposita omnia successiue ducãtur, ante, retro, dextra, & sinistra, & in intermedia, atq; in summa taliter, vt ab ijs parui circuli describantur, quorum semidiameter tanta erit, quantũ Circitor mouere potest in vna quarta circunductionis in latitudinem suæ. erunt autem oppositæ semper lationes æquinoctiorum, quoniam vnius circuli si vnus punctus mouetur in vnam partem, oppositus in oppositã semper agitur. quum igitur a ante ducetur, b retro ferri necesse est: & quum a dextra, b sinistra flectere. Sit medius circulus contrauecti orbis u z t y, per quem in latitudinem contrafertur, diuidaturq; circũductio Circitoris in quatuor quartas, moueat autem per quartam u z, quæ sit septentrionalis inferior, palam ꝙ partim in longum, partim in latus mouebit: quare polos cõtrauecti, quos potissimum respicit, & in longũ, & in latus aget lationibus semper oppositis: atq; a quidem in latus mouebit versus meridiem, in longum vero versus orientem. quocirca ab a describetur arcus a d: c vero in latus quidem versus septentrionem, in lõgum versus occidentem ducetur, describeturq; ab ipso arcus b k. Rursus B vero moueat Circitor per aliam quartam circunductionis z t, quæ est inferior meridionalis, d quidem mouebitur in longum versus orientem, in latus vero versus septentrionem, duceturque ab eo arcus d e: k vero oppositus in longum versus occidẽtem agetur, in latus versus meridiẽ, designabitq; arcum k h. Porrò Circitore mouente per aliam quartam t y, quæ est meridionalis superior, e in longum versus occidentem flectet, in latus versus septẽtrionem, facto arcu e f: at h oppositus arcum trahet h g. Postremo per vltimam quartam y u, quæ est superior septentrionalis, f à Circitore mouebitur in longum quidem versus occidentem, in latus versus meridiem: fietq; arcus f a, peracto circulo a d e f a, g vero oppositus describet arcum g b, facto circulo b k h g b. Non sunt autem hi perfecti omnino circuli, sed oblongi magis, quàm lati, quoniam linea a c b quandoq; fit m c f, quãdoq; o c q, & latitudo maxima est m o, quæ continenter versus punctum medium angustatur: vnde fit, vt diameter longitudinis a e maior sit, quàm diameter latitudinis d f. Perfecti autem circuli soli sunt ij duo, quos describunt l ab vna parte, & p ab alia, horum enim tanta est diameter longitudinis, quanta & latitudinis, quoniam circa maximam latitudinem fiunt. ab ijs vero omnes alij ouales sunt, & tanto oblongi magis quàm lati, quanto pũcto medio ꝓximiores

ximiores sunt. Dubitet autē fortasse aliquis circa ea quæ dicta sunt. C
videntur enim contrauecti orbis poli debere à Circitore moueri, nō ita vt circulos faciant in idem redeuntes, sed helices magis, & vmbilicos, qui ab angusto sese continē ter magis, & magis expandant, qualis est a b c d e f. ita autem esse oportere videtur, signato medio circulo contrauecti orbis, quem Circitor motu proprio de puncto in punctum successiue secat, atq; eleuat. videtur enim continue magis & magis tollere eum debere. quod si fiat, necesse est & polos continue magis & magis per vmbilicum actos expandi, non autem per paruos circulos in idem reuerti, (vt dictum est.)



Ad quod dicimus falli nimirum, si quis ita existimet contrauectum orbem moueri, vt per vmbilicos agatur: neq; enim id accidit, vt medius circulus eius continenter magis & magis tollatur. quandoquidem nihilo plus eleuari ille potest, quo Circitor tollere in vna quarta circunductionis valet. vt si medius circulus contrauecti sit a b c d e. Circitor autem in vna quarta suę circunductionis nō plus tollere ipsum possit, quàm sit b g, dico ꝙ medius circulus ille nunquam eleuabitur supra lineam g f h. sit enim ꝙ in vna quarta Circitor eleuauerit b vsq; ad g facto semicirculo a g c. tunc fiet, vt punctus omnis post g successiue tollatur in g f h. D



in fine autem quartæ & ipsum e inuenietur vbi f, facto alio semicirculo b f d. supra f autem non tolletur c, quoniam si supra tolleretur, vt in k, sequeretur quidem, vt Circitor plus mouere posset in vna quarta, & eleuare, quàm esset b g, quod est contra suppositum. similiter & d tolletur vsque ad h, non v tra propter eandem rationem. & ita de alijs omnibus punctis successiue dicendum est. nullus enim supra lineam g f h eleuabitur, sed omnes successiue illam tangent de puncto in punctum. vnde & successiue noui, & noui semicirculi fient alijs punctis sublatis, alijs subsidentibus in coronam, & quodam quasi tripudio. qua re & motus iste, si recte consideretur, tripudiatio magis vocari, q̃ trepidatio mereretur, eo ꝙ puncta omnia ceu tripudiantia vnum post aliud, hęc quidē tolluntur, illa subsistūt, hac de causa quantum medius circulus eleuari

potest


A potest à Circitore in vna quarta, tanta & diameter est paruorum circulorum, qui describuntur à polis contrauecti orbis. De principijs igitur, ac suppositis hactenus determinatum sit satis.

SECTIO SECVNDA.


De ijs quæ apparent in motu ab ortu in occasum. Cap. I.



VNC autem quæ circa sydera visuntur, & eorum causas prosequamur à primis, & vniuersalissimis incipientes. Eorum autem, quæ apparent, alia vel omnibus manifesta esse possunt, alia nō nisi Astronomis nota obseruataq; sunt: quibus adhibenda videtur fides, ijs præsertim, qui tū magni circa disciplinas fuere, tum Philosophiæ, & veritatis amatores: qui quidem neq; falli, neq; fallere nati sunt: qualis Ptolomæus diuinus certe vir, & cæteris anteponendus: tum & Hipparchus, & pleriq; alij egregij: quos ad tantū laboris, ac studij nihil certe aliud potuit impulisse, q̃ amor veritatis, & eorum diuinorum corporum, circa quæ mentiri nefas, atq; impium sit. Ex omnibus autem quæ apparent, ille & primus, & communissimus sese offert motus, qui ab ortu in occasum tanta celeritate cō uertitur: eo cōstat circumagi stellas omnes, atq; orbes qui manifesti sunt nobis: verum non æqualiter iter omnes, sed alios citius, alios tardius: citissime quidem omnium Aplanen, mox Saturnum, mox Iouem, deinde

B Martem, tardissimam vero omnium Lunam: Solem autem, Venerem, ac Mercurium æqualiter quidem inter se, superioribus vero tribus planetis, & Aplane tardius. Hęc igitur ita se habere illis credendum est, qui cuncta diligentissime obseruauere. Adhæc autem, & illud in hoc motu constat, circulos qui describuntur à stellis, tum inerrantibus, tum planetis in idem nō redire: vt si ab a inceperint, nō redibunt quidem per b in a sed in c: & rursus non in c per d, sed in e: quare nō veros fieri circulos manifestum est, sed helices, ac spiras magis: non quidem quæ cōtinenter ꝓcedant, sed quæ intra certos terminos cōcludantur hinc quidē in meridie, inde in septētrione cōstitutos. Porrò & circa conspectū ortūq;, atq; occasum syderū differētia mortalium nō parua est: alij stellas oēs quæ in vniuerso sunt cœlo circūspicere possunt: alij quasdam solū: quibusdā certa sydera nunquam conduntur: certa nunq̃ spectātur: certa oriuntur, & occidunt: & quę oriuntur, & occidunt, alijs citius, alijs tardius, quanq̃ sub eodem meridiano degant.



NObis igitur de apparentium causis agentibus quædam cum alijs communia erunt, quædam non communia: in multis enim, illis debēdum est, qui primi de rebus Astronomicis tractauere: in multis vero si & nos principium demus, nobis illi gratias habere poterunt, qui ea à nobis acceperint: in primis igitur ea mortalium differentia, quæ circa conspectum syderum, ortumq; atq; occasum eorum versatur, è diuersitate horizontium pendet: quorum alij recti sunt: qualis c d ad æquinoctialē a b: alij obliqui, qualis e f. qui igitur rectum habent Horizōtem, ij stellas omnes quæ in vniuerso cœlo sunt, videre possunt: quoniam in æquinoctiali habitant, & æqualiter ad Polum vtrunq; spectant. Eorum vero, quibus obliquus est Horizon, nulli stellas omnes videre possunt: sed quasdā nūquam vident, quasdam semper in conspectu habent: quædam ijs oriuntur, & occidunt: quoniam obliqui Horizontis semper vna pars supra alterum Polorum eleuatur, vt k e, alia infra alium deprimitur, vt k f, Poli sunt c & d, Horizon obliquus e f. quæ igitur stellæ intra Polum c & circulum e g ab e descriptum continentur, illæ nūquam ab ijs videntur, quibus obliquus Horizon est e f. quæ vero continentur intra Polum d, & circulum f h descriptum ab f, illæ semper in eorum prospectu sunt, & nunquam occidunt: reliquæ omnes & oriuntur, & occidunt. ita & de alijs obliquis Horizontibus dicendum est. Qui vero sub polis degunt, neq; ortum, neq; occasum vllius stellæ habent, sed stellas vnius medietatis omnes semper vident, alterius nullas spectare possunt, quoniam eorū Horizon est æquinoctialis: vltra quam, quæ sunt stellæ semper conduntur, quæ citra, semper in propatulo sunt. Porrò quæ sunt in ea medietate, in qua sub Polo Horizon premitur, illæ citius ijs oriuntur, qui depresiiorem Horizontem habent: citius enim redeūt stellæ in k d, quàm in k f, & k h. quæ vero sunt in medietate illa, in qua supra polum eleuatū Horizon, eę citius ijs oriuntur, qui minus eleuatum habent Horizontem: citius enim perueniunt in k g, quàm in k e, & k c. Cur autem circuli qui hoc in motu describuntur à stellis nō





A in idem redeant, sed spiras trahant, causa non alia esse potest, nisi ꝙ motus ille, quo stellæ in occasum circunferuntur, vnus & simplex non est, sed compositus è duobus. dictum est enim in suppositionibus primis motum simplicem esse, qui ab eodem in idem redit: hic ergo, quum in idem non reuertatur, simplex & vnus esse nõ potest, sed duo commisti simul, quorum vnus in longum, alius in latus fit: eiusmodi autem motum nulli orbi proprium esse posse manifestum est è suppositis à principio: diximus enim vnum orbem non nisi vnum motum per se habere posse, & eum simplicem. duo igitur quũ sint motus, si alter per se vlli orbi inerit, alter de necessitate per accidens erit, & ab alio dabitur. ergo de vtroque quærendum est, qualis quisque sit, & cui orbium per se, cui per accidens insit: prius autem de eo agamus, qui in longitudinem fit, quo orbes omnes, & stellæ circumaguntur in occasum, medius autem circulus est ęquinoctialis, poli vero vniuersi. hoc ergo motu quum omnes circunducantur orbes, necesse est, aut omnes per se eum motum habere, aut omnes ꝑ accidens, aut aliquos per se, aliquos per accidens: nam, qui horum vnumquodque dixerint, inuenti sunt.

Quòd motus in longitudinem per se insit primo orbi, alijs per accidẽs. Cap. 3.

B FVere in primis non nulli, qui putarint omnibus orbibus innatum, ac per se inesse ab ortu in occasum in longitudinem ferri: quare nõ solum primum orbem hoc motu agi, sed & Saturnum, & Iouẽ, & alios: videri autem in orientem per se ferri, non quidem ꝙ ita sit, sed ꝙ appareat solum, quoniam serius aliquantisper planetæ, q̃ Aplane in occasum redeant: & inter ipsos, alios etiam tardius, alios tarde minus. quo fit, vt redeunte ad occasum Aplane diebus singulis paululum quid derelinquantur ab occasu planetæ: quod in dies repetitum facit, vt quotidie magis & magis secedere ab occasu orientem versus videatur, quum nihilominus per se semper in occasum ferantur: sed certe vel magnopere fallũtur hi: primum quidem quia si motus iste rectus in longitudinẽ factus ab oriente in occidentem per se planetis inest, vt proprius, per accidens certe inerit obliquus ille alius, quo totum zodiacum obeunt, Saturnus quidem annis 30, Iupiter annis 12, Mars duob⁹, Sol Venus, & Mercurius vno, Luna diebus 27, horis 8. quare motus hi ab alio dabuntur planetis. at certe si hoc dicatur, magna nimirũ incõueniẽtia, atq; absurda consequentur: impossibile enim est in aliquo orbe hæc duo simul esse, vt motus in longitudinem per se sit, motus vero in latus insit per accidens, & à superiori alio detur: tum quia orbis dans motum in latus semper obliquabit motum in longum factum, & medium circulum flectet, vt nõ per ęquinoctialẽ

 feratur.

feratur,ac si eueniet,vt motus rectus,& in longum actus nunquam per C
æquinoctialem agatur,cuius contrarium apparet:tum quia sequeret Solem,& Planetas alios non in eadem medietate oriri,atq; occidere:sed si in Septentrione oriantur,accidet in meridie occidere: quod apertissime falsum est.sequitur autem hoc,quoniã flexo medio circulo Solis, & aliorum ab eo orbe,qui motum in latus præbet,pars eius erit in septẽtrione, pars in meridie:quum autem per posita percurratur quotidie à Sole, & alijs per se circulus ille, qui fert in occasum,fiet quidem,vt si in septẽtrione oriatur Sol,occidat procul dubio in meridie(quod plane falsum est.) Constat enim in eadem parte & oriri,& occidere. Præterea si obliquus motus ab aliquo superiori datur, coguntur quidem hi fateri superiores orbes ducere & inferiores:quod si sit,frustra quidem est dicere planetas per se moueri ab ortu in occasum,quando sufficit superior orbis, aut cõmunis intelligentia,qui eum motum dent. ac postremo impossibile est planetas in idem cum Aplane,& primo orbe ferri,serius autem circũuerti,& derelinqui quotidie ab occasu,(vt ipsi aiunt:)dictum est enim si vlli orbes in idem feruntur, inferiores semper velocius agi, q̃ superiores. quum igitur illud manifestissimum sit planetas tardius in occasum verti quàm Aplanen,& primum orbem,impossibile est ipsos per se motum illum habere,qui in occasum fert.

Alij vero sunt, qui penitus contraria opinantes dicant nulli orbi per se D
inesse in occasum moueri,sed per accidens omnibus. ponunt autem hi communem(de qua supra diximus)intelligentiam,quæ per se nulli seorsum orbi applicita totum ipsum primo mouet,ceu animal vnum, cuius partes sunt orbes,ipsa vero ceu anima:de quo, quoniam satis dictum est supra,nihil in præsentiarum videtur aliud dicendum: non enim vt existimamus, effingi potest communis vna forma, quæ id moueat, quod vnum per se non sit.

Rectius ergo est existimare motum in longitudinem,qui per æquinoctialem fert,primo orbi proprium esse,& illi per se competere, reliquis vero per accidens,& à primo illis dari: ꝙ enim is motus primo orbi debeatur,ex his manifestum esse potest:qui enim primo debetur,simplicissimum esse oportet,cuius neq; poli,neq; circulus medius mutationẽ vnquam recipiant:talis autem solus ille est,qui ab ortu in occasum per ęquinoctialem fit: etenim nec poli eius,nec circulus medius hoc est æquinoctialis mutationem vnquam recepere:quandoquidem in quo situ nunc sunt,in eodem semper,& patres nostri,& nationes omnes obseruauere: reliquorum vero omnium,tum poli tum medij circuli mutationem pati,& situm variare cõspiciuntur. Si igitur primo debetur qui in longitu


dinem

A dinem motus ſit, primus autem reliquos vehere poteſt (vt dictũ eſt,) manifeſtum quidem eſt ꝙ reliquis alijs per accidens ineſt, & à primo datur, non quidem immediate omnibus, ſed ſecundo ſtatim, tertio autem per ſecundum, & ita reliquis, ijs mediantibus qui prope ſunt. ita igitur ſe habet motus qui in longitudinem ab ortu in occaſum fit.

De altero motu, qui in latus fit. *Cap. 4.*

NVnc autem de eo motu, qui in latus fit, percurramus. Hic ergo in primo ineſſe nullo pacto poteſt, ſi quidem vnus orbis vnũ tantum motum habet, (vt dictum fuit.) at primus alterum illũ habebat motum, qui in longitudinem agitur, hunc ergo per ſe habere nõ poteſt, ſed nec per accidẽs, quum primus ſit, ſupra quem nullus eſt alius, à quo per accidens detur: reliquis autem alijs per ſe ineſſe omnibus neceſſe eſt, quoniam alter motus per accidens illis inerat.

De eo igitur quęrẽdum eſt, qualis nam ſit, vtrum ſimpliciter in latus, hoc eſt ad rectos angulos cũ alio motu, qualis c d cum a b, an magis obliquus tantum, qualis e f cum a b: non eſſe autem ſimpliciter in latus, & ad rectos angulos cũ alio motu, è duobus maxime cognitum fuit: primũ ꝙ motus ille, & latitudinis ſimul, & longitu-



B dinis particeps eſt: dico autem longitudinis eſſe participem non ſolũ qua rapitur a diurno motu, ſed & qua proprius eſt: ſiquidẽ dato certo puncto in zodiaco continenter ab eo magis & magis abſcedere in longitudinẽ ſtellæ videntur: quod fieri quidem non poſſet, ſi motus ille ſimpliciter in latitudinem foret: poſſet enim planeta latitudinem quidem zodiaci mutare, longitudinem autem non. deinde & alio etiamnum indicio cognitum idem fuit: quoniam quæ fiebant à ſtellis helices in toto eo motu, non continenter procedebant ſeſe augendo vſque ad polos (quod fieri oportuiſſet motu in latitudinem ſimpliciter exiſtente,) ſed intra certos terminos claudebantur in ſeptentrione concluſos, & meridie. Ex quibus manifeſtũ cuilibet eſſe poteſt ꝓprios motus planetarũ obliquos eſſe, & ſecare alterũ motũ nõ ad rectos ãgulos, ſed acutos, qualis eſt e f ad a b.

Quòd proprij motus planetarum non ſint in idem cum alio motu, ſed in oppoſita. *Cap. 5.*

OBliquis igitur exiſtentibus planetarum motibus quæri & illud poteſt, vtrum in idem fiant cũ alio motu, an in oppoſita: ſi enim

rectus

rectus motus sit à b in a, quæri potest an obliquus sit ab e in f, an econtrario ab f in e: non enim desunt, qui putant planetas proprijs motibus non ab occasu in ortum, sed cum primo concordes ab ortu in occasum ferri: videri autem contraferri, non q ita sit, sed q appareat, propter causam quæ & supra prædicta fuit, q scilicet derelinquãtur planetæ aliquantisper ab occasu à primo orbe, & ab Aplane. serius enim paululo nescio quo circunuertuntur: vnde fit vt in dies magis & magis derelicti ab occasu videantur in orientem ferri, quum tamen in occasum agantur. differunt autem qui ita dicunt à prioribus, illi enim dicebant planetas per se in occidentem moueri, tardius quidem Aplane: hi autem non per se id planetas habere dicũt, sed per accidens causa raptus. virtutem enim, quæ orbes omnes in occasum mouet, fortius quidem, ac citius mouere primum, tardius vero alios, & inter ipsos tardius etiamnum, qui longius à primo absunt. Virtutes enim omnes valentius in ꝓpinquiora, segnius in remotiora operari, cuius signum & illud afferunt, q Saturnus qui primo propinquior est, ocyus in occasum rapitur, post ipsum Iuppiter, deinde Mars, Luna vero tardissime omnium, quæ remotissima est: quocirca orbes omnes in idem cum primo ferri, tum proprijs motibus, tum & raptu, videri autem contra moueri, quòd tardius, vt dictum est, circũducãtur in occasum, quàm primus. C

Sed certe & hi non minus falli q̃ priores videntur mihi: primum quidem quia quod ipsi signum afferunt, eosdemmet redarguit: cõstat enim (vt prius diximus) Solem, Venerem, & Mercuriũ æqualiter in occasum verti: quum nihilominus vnus eorum primo orbi propinquior sit, alius remotior: quomodo igitur dicunt virtutem orbes mouẽtem fortius mouere, qui propinquiores sunt? Pręterea locum nõ habet in cœlestibus, quod dicunt, virtutes fortius in propinquiora, debilius in remotiora operari: Virtus enim, quę in occasum omnes simul orbes mouet, aut est intelligentia communis, aut vectio, (vt demõstratum est.) si igitur est intelligentia communis, illa quidem indiuisibilis est, & æqualiter omnibus applicita, & æqualiter omnes mouens: si autem est vectio, impossibile est tardius planetas circunferri, quàm primum orbem, si in idem mouẽtur: diximus enim, si aliqui orbes in idem agantur, minores semper velocius ferri: sequitur igitur proprios planetarum motus non esse in idem cũ primo orbe, sed oppositos: atq; hęc quidem sola causa est, cur in occasu derelinquantur à primo, hoc est, cur tardius in occasum circunuertantur, & eorum alij tarde magis, alij minus. Tres enim tantum possunt assignari causæ, cur illi derelinquantur à primo, quarũ vna esset, si planetæ per se in idem mouerentur cum primo orbe, tardius autem illo, & inter se D

A alij tardius, alij minus tarde: quod ſupra improbatum à nobis fuit. Alia cauſa eſſet, ſi raptu fieret, quòd omnes tardius primo circunferrentur, & inter ſe alij magis, alij minus tarde, quod pariter falſum eſt demonſtratũ à nobis. Tertia vero cauſa eſt, ſi proprij motus planetarum in contrarium primo orbi agantur: igitur quum è tribus his cauſis, duæ primæ reiectæ ſint vti irrationales & falſæ, ſupereſt vt ſola tertia recipi poſsit, hoc enim ſolum, quòd motus planetarum proprij oppoſiti ferantur primo orbi, facit, vt diebus ſingulis derelinquantur ab occaſu planetæ, & tardius diem obeant. quoniam enim obliquus omnis motus partim & recti particeps eſt, fit quidem vt contrauecti planetæ contra raptum quotidie aliquid de raptu demant, tantũ ſcilicet, quantum quiſq; in vna die contraferri poteſt: vnde & illud pariter euenit, vt inter ſe alij citius circunducantur ad occaſum, alij tardius: citius quidem qui per naturam tardiores ſunt, minus enim contraferuntur, & minus de raptu demũt, tardius autem raptantur, qui per ſe velociores ſunt, magis enim contra feruntur, & raptum magis tardant. qua da cauſa Saturnus, qui per ſe tardiſsimus eſt, citiſsime omnium in occaſum circunfertur, minime enim omnium contra agitur, vnde & rapitur omnium maxime: Luna vero, quia per ſe velociſsima ſit, tardiſsime omnium in occaſum ducitur, maxime enim contrafertur, & maxime raptum tardat. ex alijs vero Iuppiter citius occidit, quòd tardior per ſe eſt inferioribus cunctis, mox Mars, Sol

B vero, Venus, & Mercurius, quoniam proprios motus æquales habent, æqualiter etiam in occaſum vertuntur, tardius autem tribus ſuperioribus, quoniam illis velociores per ſe ſunt: Luna autem citius, quoniam illa ſunt tardiores. Quòd igitur obliqui ſint planetarum motus, & quòd nõ in idem cum primo, ſed in oppoſitum agantur, & qua de cauſa omnes tardius primo, & inter ſe alij magis, alij minus tarde in occaſum circunuertantur, ac de toto motu, qui ab oriente in occidẽtem ducit orbes omnes, & ſtellas omnes, hactenus dictum ſit.

Cur orbes primo propinquiores non tamen per ſe uelociores ſint alijs. Cap. 6.

QVærat autem ad hæc fortaſſe aliquis, cur orbes primo propinquiores non tamen velociores ſint proprijs motibus, quod fieri debere videtur: ſi enim velocitas cõſequitur magnitudinem, (vt in primo eſt videre) cõſentaneum erat & eos, qui primo propiores eſſent, eadem de cauſa velociores fore: quod certe non modo non eſt, ſed contrarium magis ſpectatur: Saturnus enim, qui Aplane propinquior eſt, tardior

multo

multo reliquis alijs in suo motu videtur, deinde Iuppiter, deinde Mars: C
Luna vero quæ omnium est remotissima, per se velocissima cernitur.


Videtur igitur Aristoteli à primo orbe impediri omnes, qui ĩfra sunt, quiq; in oppositum per se nituntur, ac magis illi impediri, qui primo ꝓximiores sunt: propter quod Saturnum dicit tardissimum omniũ, quod maxime impediatur: Lunam vero velocissimam, ꝙ minime. quod certe (si licet de tanto Philosopho dicere,) aut non verum est, aut non ad quæsitum. primũ quidem falsum est illud, impediri magis eos orbes, qui primo proximiores sint, cõstat enim (vt diximus) Solem Venerem, & Mercurium æqualiter per se circunuerti, quum nihilominus vnus alio ꝓpinquior primo sit. Præterea quod dicit impediri à primo planetas, dupliciter intelligi potest, vno modo ꝙ impediãtur in eo quod per se est in motu proprio eorum, alio modo ꝙ impediantur, in eo quod per accidens est, hoc est ad vniuersum: siquidem intelligit impediri planetas in eo qđ per se est, hoc certe verum non est: supra enim ostendimus impediri nullo pacto orbes posse in proprijs motibus per se: cuius signum est, ꝙ si Saturnus nihil traheretur à primo, sed derelinqueretur in natura sua, nihilominus motum proprium perficeret annis. 30. sicut & nunc facit à primo raptus. raptus igitur nihil officit ad proprios motus conficiẽdos per se. Si vero intelligit in eo, quod per accidens est, impediri planetas ratione scilicet ad vniuersum habita, sic quidem verum dicit: impediuntur. n. D
planetæ, & illi magis, qui primo proximiores sunt, velocius enim rapiuntur, q̃ remotiores: verum hoc non est ad quæsitum: nõ. n. quærimus hoc, sed cur proprij motus planetarum nõ sint velociores, quãto propinquiores sunt primo: nam derelicti naturis proprijs Saturnus per se tardior est alijs, mox Iuppiter, & Mars: adhoc autem nihil facit raptus, quoniam ꝓprij motus per se non mensurãtur per id, quod in vniuerso est, sed per zodiacum, aut per partes loci proprij, & spherarum in quibus sunt: sic enim & Saturni, & Solis motus mensurantur & aliorum. igitur siue rapiatur, siue non rapiatur Saturnus, annis. 30. motum suum explet, & valde respectu aliorum tarde: quod mirum est, quum amplioris magnitudinis sit, & primo, qui velocissimus est, propinquior. Aliter igitur fortasse dicendum est velocitatem propriam, & tarditatem orbium non solũ sequi magnitudinem, sed & quædam alia esse, ad quæ velocitas, & tarditas consequatur, vt densitas molis, & altitudo superficierum. dico autem altitudinem superficierum spatium illud, quod inter concauam, & deuexam superficiem interiacet: potest enim esse orbis aliquis magnitudine quidem amplus, at mole rarissimus, & altitudinis superficierum paruæ: potest & minor esse, at densissimus, & longe distantium superficierum: potest &

omnia

A omnia habere: ꝓpinquitas autem ad primum vti multum facit ad id, qđ per accidens habent orbes, hoc eſt quantum ad vniuerſi partes, ita ad id, quod per ſe eſt, nihil aut conferre, aut officere videtur: hoc enim & non ad vniuerſum menſuratur, ſed ad locum proprium, & immutabile eſt, & perpetuum.


Cur ſtellæ omnes modo propinquiores, & maiores, modo minores, & remotiores appareant ſecundum Aſtronomos. Cap. 7.

PRoſequamur autẽ & quędam alia communia, quæ circa ſtellas apparent: et enim ſtellis omnibus id videtur accidere, vt modo maiores, & ꝓpinquiores, modo minores, et remotiores videantur: cuius rei multæ tradũtur ab Aſtronomis cauſę, in quibus partim nobis cum alijs cõuenit, partim non conuenit. ac vna in primis ab ijs aſsignatur, quã ne dum non verã, ſed ne poſſibilem quidem exiſtimamus: dicũt enim in ſtellis non apparere, modo vt remotiores, & propinquiores ſpectentur, ſed & re quoq; ita eſſe: duobus autem modis euenire dicunt, vt
B ſtellæ modo propinquiores, modo remotiores à nobis fiant: vno modo per vocatos ab ipſis Ecentricos orbes, alio per Epicyclos.



Ecentricum autem appellant orbem, cuius ſuperficies, aut vna, aut ambæ non æqualiter à centro diſtant, ſed ſi lineæ rectæ ad eas ducantur à medio, vna longior, alia breuior erit: punctus autem, ad quem longiſsima pertingit linea, Abſis ab ijs vocatur, ad quem vero breuiſsima, Antabſis. Simpliciter autem Ecentricum vocant, qui vtraq; ſuperficie cõcaua, & deuexa inæqualiter à centro diſtat: qualis a b c d ad centrum e, linea longior e a, breuior e c: non ſimpliciter autem Ecentricũ vocant, qui altera ſolũ ſupficie extra cẽtrum vniuerſi eſt qualis a f c g ad cẽtrum b, qui deuexa ſolum ſuperficie Eceutricus eſt: aut qualis a h c k ad cẽtrũ b: qui concaua ſolum ſuperficie à centro exit. orbes igitur in quibus infixi ſunt planetæ, ſimpliciter Ecẽtricos ſtatuũt


circa quos duos alios locant, quos deferentes appellant, non quidem sim- C
pliciter Ecentricos, sed altera solum superficie, superiorem concaua, inferiorem deuexa: deferens maior, vbi a, minor, vbi b: Ecentricus simpliciter vbi c. Epicyclum autem vocant paruã quandam sphæram intra orbem sitã, quales sunt nodi in tabula, verum non continuam cum orbe, sed contiguam solum: propter quod moueri Epicyclus potest in seipsum reuolutus: in cuius superficie est planetę stella, veluti gẽma in anulo. Epicyclus, vbi d e, stella vbi d. His igitur duobus orbibus fieri dicunt, vt planeta modo altior, modo depresior sit: nam in Abside quidem Ecẽtrici, & remotior à centro terræ, & sublimior fit, præsertim si & in summo Epicyclo sit: in Antabside vero ꝓpinquior redditur nobis, et magis si in imo Epicyclo extiterit: quæ autem propinquiora, omnia & maiora apparent, quæ vero remotiora minora simul videntur.



De causis eius apparentiæ alio modo. Cap. 8.

NOs autem vtranque dictarum causarum ꝓrsus auferimus, & planetas nunquam altiores nunquam depresiores re ipsa fieri asseueramus, videri autem propter alias causas, quarum vna è medio pẽdet: D
dico autem medium, perspicuum illud corpus, per quod vocata rerũ sensibilium species ad visum venit: constat enim si tenue hoc mediũ sit, minora & remotiora videri omnia, si crassum densumq́;, maiora & propinquiora, quod in ijs patet, quæ per aquam, & vitrũ, & cristallum cernuntur: vnde & specillorum, quæ ocularia vocantur, vsus compertus est: propter q̄d, quæ partim in aqua, partim in aere sunt (vt remi) fracta apparẽt, pars enim, quæ in aqua est, ꝓpinquior videtur, quare nec directe illi supposita, quæ in aere est: vnde & res fracta iudicatur. Hæc autẽ causa, quæ è medio pendet, non satis perspecta ab authoribus Ecentricorum fuisse videtur: nam ij non aliud medium considerarunt, q̃ aerem & aquam, & eiusmodi. ac Ptolomæus, quum vidisset quorũdam apparentium causas in aerem referri non posse, existimauit causam medij omnem exclusam fuisse. Nos autem dicimus non solum aerem, et aquam, et id genus esse medium specierum, quę à stellis veniunt, sed & cœlum ipsum, & cœli partes: ꝙ enim cœlum perspicuum sit, manifestum est satis, ꝙ autem et alicubi densius, alicubi rarius, indicant stellę, & Lunæ corpus: sunt igitur in orbibus partes quædam rarissimæ tenuissimæq́;, per quas species transit nihil refracta: quædam vero densissimæ, per quas nullo modo pertran-

A ſit ſpecies,ſed tota retro reflectitur,quales ſunt ſtellæ: quædã porrò ſunt
mediæ,per quas partim quidem pertranſit ſpecies, partim vero reflecti-
tur,quam aliqui refractionem appellant,ea differentia refractionem ſe-
parantes à reflexione,ꝙ in reflexione non pertranſit vllo pacto ſpecies,
ſed tota reſilit retro,in refractione vero, quãquam reflexionem quandã
patiatur,at pertranſit tamen,& directe viſum mouet:igitur quæ orbium
partes refrangere ſpecies aptæ ſunt,illæ & maiora,& propinquiora red-
dere omnia ſunt idoneæ. Ergo ꝙ eiuſmodi nonnunq̃ appareant ſtellæ,
cauſa interdum in aere eſt,interdũ non in aere, ſed in cœli partibus:quę
modo craſsiores, modo tenuiores quibuſdã ſtellis ſubiciũtur:ꝑp cauſam
igitur in aere,per hyemes in ſerenitate, & per auſtros maiores reddũtur
ſtellæ,per æſtatem,& Boream minores: per partes autem orbium quo-
modo etiam idem contingat,in ſequentibus oſtendemus. Sicut autem,
ſi craſſum medium ſit,maiora & propinquiora videri facit,ita et ſi idem
multum fuerit,idem facit:quæ enim per plus denſi medij veniũt ſpecies,
illa maiora omina repræſentant:qua de cauſa in eadem aqua,quæ in ſum
mo cernuntur,minora apparent,quæ in fundo,maiora.& per duo ſpecil
la ocularia ſi quis perſpiciat altero alteri ſuperpoſito,maiora multo,& ꝓ
pinquiora videbit omnia:hac de cauſa quæcunq; ſtellarum prope Hori-
zontem ſunt, maiores,& propinquiores videntur,in medio cœli mino-
B res,& remotiores:ſpecies enim prope Horizõtem per medium craſſum
venit,& per aerem vaporibus multis plenum, qui circa terram ſemper
ſunt:ſed hoc non ſufficit,nam & è medio cœli ſpecies tandem per eoſd
vapores venit,quum iuxta terram eſt,verum illud intereſt,ꝙ prope Ho-
rizontem per plus illius aeris defertur ſpecies, è
medio cœli per minus:ſit terra e f g h. ſphæra
vaporum circa terram a b c d: Horizon b e.
ſtella igitur prope Horizontem exiſtens videbi
tur per lineam b e, exiſtens autem in medio cœ
li per lineam a e,maior autem eſt b e,quàm a e,
per plus igitur vaporum ſpecies venit prope Ho
rizõtem: propter eandem cauſam ſtellę omnes,
quum in ſeptentrionem accedunt,minores no-
bis apparent,auſtralibus vero maiores:illæ eædẽ
quum in meridiem ſuccedunt,nobis quidem maiores, auſtralibus vero
minores redduntur:nobis enim prope Horizontem ſtella eſt, quũ in me
ridie verſatur,auſtralibus in medio cœli:contra vero in ſeptentrione exi
ſtens ſtella nobis in medio cœli fit,auſtralibus prope Horizontem.ſit ter
ra a b c d,Horizon noſter f a:ſphæra vaporum circa terram e f g h:ſtel-



la in septentrione, vbi e, in meridie, vbi f, æquinoctialis k l. stella igitur C in meridie prope Horizontem est nobis, & videtur per lineam f a: in septetrione vero est in medio cœli, et videtur per lineam e a, quæ minor est. Eadem de causa quibusdam planetis tum maiores videri accidit, quũ in quadraturis ad Solem sunt: quoniam species per plus orbis tum refrangitur: de quo posterius agemus. At vero & situs medij plurimum rem visam euariat, quod in specillis ocularibus manifestum, ac mirum est: si enim specillum in medio ponatur inter rem & oculum, multo maiorem eandem refert, si vero aut prope oculos, aut prope rem statuatur, longe minorem reddet: interdum vero ꝙ res maiores, & minores appareant, causa neq; in propinquitate & distantia est, neq; in medio, sed in vicina specie alterius lucidi, maius enim omne, & intensius lucidum aut occulit, aut minora videri facit alia lucida: qua de causa lucentia per diem minora, per noctem maiora videntur omnia: per noctem enim tenuiores etiam radij, & iubar totum videri potest, quę per diem ne visum quidem mouent propter pręsentẽ Solis lucem: vnde & prope Solem quum sunt stellæ, aut non videtur, aut tenuiores videntur: quod & prope Lunam etiam planetæ sustinent.

Quæcunq; igitur maiora, aut minora videntur, propter aliquam harũ D causarum talia certe apparent, in quibus exerceri debent, quibus nostra hæc fidem factura sunt. ac de his determinatum in vniuersum sit, in alijs autem, quomodo vnumquodque fiat, sigillatim aperiemus.

DE APLANE

De ijs, quæ circa Aplanen apparent. Cap. 9.



NVNC quæ circa vnumquenq; orbium apparent, & quo pacto omnia, & quibus de causis fiant, prosequamur, præmittentes, quæcunq; obseruata tradũtur: primum autem ab Aplane ordiemur, quæ planetis omnibus, & ordine & natura prior est, quæ omnes continet, ac vehit. Quæ igitur primi antiqui circa Aplanen cognouere, non multa certe fuerũt: præter enim eum motũ, qui ab ortu in occasũm fit, nihil ferè aliud nouere: quippe præcipue ijs cura fuisse videtur, vt stellis nomina darent, stellationesq;, hoc est stellarum figuras, atq; earum quoque fabulas fingerẽt: tum & ortus, atq; occasus earum edocerent: & vt paucis dicamus, primi illi Poetæ magis circa sydera, quàm Astronomi visi sunt: quam ob rem, quũ

non

A non multa de eo orbe nouiſſent, exiſtimarunt etiam primum omnium
eſſe,ſupra quem nullus alius foret,illiq; vti primo deberi motum, qui ab
ortu in occaſum fit.quæ opinio vſque ad Platonis,& Ariſtotelis tempo-
ra ſeſe etiam propagauit:videbatur autem & eo quoque conſona, ꝙ pul
cherrimus omnium,& tot ſyderibus clarus ille orbis ſpectaretur, conue
nire autem primo ornatum illum,præſertim quòd non ſine fine quodã
à Dijs factus,ac primo datus à Dijs optimis videretur.quoniam enim re
motiſsimus omnium ille orbis erat,ac propter diſtantiam non commo-
de poterat virtutes ſuas huc demittere,ęquum fuit,vt ſtellis pluribus abũ
daret,vt quod diſtantia demebat,ſyderum multitudo ſuppleret. Mox
vero ſtudio circa ſtellas maiore adhibito,perſpecta in Aplane quædã alia
fuere:deprehenſum enim fuit circulos,qui ab ijs ſtellis fiebant, nõ in idẽ
redire,nec veros circulos eſſe,ſed helices,& ſpiras magis, quemadmodũ
& in planetis ſpectatum fuerat prius. Mediam Pleiadum ſcripſit Thy-
mocaris ſuo tempore declinare ab æquinoctiali gr.14,m̃.30 ſeptentrio-
nem verſus. Hipparchus vero poſt Thymocarim annos Circiter 150,
eandem ſuo tempore declinare gr.15,m̃.30 retulit. Ptolemæus vero
ab Hipparcho annis ferè 260,obſeruauiſſe ſcripſit eam ſtellam gr.16,m̃.
15 declinare,quæ nunc ab æquinoctiali gr. circiter 25 diſtat. Igitur quũ
inerrantes ſtellæ perpetuo in alio,& alio latitudinis ſitu ſint,circunducã
B tur autem quotidie ab ortu in occaſum,neceſſe eſt ab ijs non veros circu
los,ſed ſpiras magis deſcribi. Ex quo & illud ſimul manifeſtũ fuit Apla
nes motum ſimplicem,& vnum non eſſe,ſed cõpoſitum è duobus: quo
rum alter in latitudinem,alter in longitudinem,more planetarum, age
retur. Vter autem illorum proprius eſſet Aplanę,non ſatis liquido ex-
preſsiſſe videntur:quum enim primo orbi deberi illum,qui in longitudi
nem fit,& ipſi exiſtimarent,primus autẽ crederetur Aplane, prima fron
te proprius videbatur,qui in longitudinem fiebat:verum alia tum para-
batur difficultas:quandoquidem non conſtabat plane,à quo alter ille da
retur,qui in latitudinem agebatur,primo exiſtente Aplane.ea igitur re
in ambiguo ab ijs relicta,quũ conſideraſſent motum,qui in latitudinem
fiebat,viderunt non ſimpliciter in latitudinem eſſe,& ad rectos angulos
cum alio,propter cauſas ſuperius,& in planetis dictas: etenim & factæ
helices intra certos terminos claudebantur,& motus ille in latus, nõ ſo-
lum in latus fiebat,ſed & in longum etiam ſimul fieri ſpectabatur:ſigna-
to enim in zodiaco certo pũcto, in quo ſtellam aliquam è non errãtibus
vnà cum Sole,aut alio planetarum annotaſſent, videbant ab eo puncto
ſtellam & latitudinem ſimul,& longitudinem quoque mutare .ſcripſe-
rat Thymocaris ſpicam ſtellam tempeſtate ſua ſitum habere ante autũ-
nale

nale æquinoctium gr.8,qui est Virginis gr.22.Hipparchus vero post ipsum eandem dixit obseruauisse ante idem æquinoctium gr.6,qui est virginis gr.24.quam mox Ptolemæus notauit in gr.virginis 26,m̃.30. tempestas autem nostra videt in libra gr.circiter 17:adeo in longitudinem se se agunt Aplanes stellæ. Ex quibus manifestum fuit earum motū non simpliciter in latus fieri,sed obliquum ad alium motum protendi. Adhæc & illud quoque cognitum fuit obliquum illum motum non in idē cum alio ferri,sed in oppositum:si enim in idem fuisset,oportuisset spicā stellam non pro signorum ordine in longitudinem progredi,sed contra magis:de quo & supra satis dictum à nobis fuit. Ergo quum motus hic æquinoctialem secaret(vtpote obliquus)quæsiuere deinceps,quibus nā in punctis eam secaret,& quātum ab ea maxime declinaret,ac postremo quanto tempore reuolutionem totam Aplane expleret.obseruantes igitur stellarum progressum,viderunt earum circulum mediū secare æquinoctialem in æquinoctijs punctis,in quibus & Sol illam secat:declinare porrò ab ea,quantum & Solis tropicos,atque in summa per Eclipticā ꝓtendi,& eundem esse tramitem Solis, & Aplanes.quā rem duobus præcipue signis deprehēdēre,primum quidem,quia stellæ,quæ erant in prima quarta zodiaci ab Ariete ad Cancrū,videbantur omnes ab æquinoctiali recedere versus Boream: quæ vero erant in secunda quarta à Cancro ad Libram,omnes ad æquinoctialē appellere videbantur:rursus quę in tertia erant à Libra ad Capricornum,recedere omnes ab æquinoctiali versus austrum:quæ vero in vltima erant à Capricorno ad Arietē, omnes ad æquinoctialem accedere:qui certe zodiaci progressus est. Deinde viderunt latitudinem,& distantiam earum stellarum ab Ecliptica nunq̄ mutari,sed in eodem semper persistere. spicā comperit Thymocaris ab Ecliptica abesse per gr.2: per duos & Hipparchus vidit:per duos & Ptolemęus:quod & posteriores quoque similiter comperere.nam & Albatenius vir in Astronomia clarus stellas ab Ecliptica nihilo immutatas ab eo,quod antiqui tradiderāt,scripsit obseruauisse:ita & Alphonsus Rex: ita & ætate nostra spectatur.ergo quum non mutetur stellarum latitudo ab ecliptica,necesse est medium circulum Aplanes subalternum esse cū Solis circulo. Porrò vidit Ptolemæus ab Aplane pagi gr.1:in annis 100: quare totam eius reuolutionem expleri annorum millibus 36: quam rē tum antiquorum obseruationibus multis,tū proprijs diligentissime animaduertit.atque hæc quidem sunt,quæ de Aplane cognita,& scripta vsque ad Ptolemæi tempora fuere.

Post Ptolemæum autem,qui circa sydera philosophati sunt,alia quędam circa hunc orbem obseruauere longe alia ab ijs,quæ Ptolemæus tradiderat:

A dideràt:inter quos Albatenius annotauit Aplanes motum ſuo tempore multo velociorem, quàm ſuo Ptolemæus adinueniſſet:ſiquidem ſtellas accuratiſsime ſpeculatus vidit gr.1 peregiſſe illas non in annis centũ, (vt Ptolomæus tradiderat)ſed annis circiter 66. Septentrionalem quidẽ, quæ eſt in fronte ſcorpij,comperit Albatenius in gr.17,m̃.50 Scorpij, quam Ptolemæus in gr.6,m̃.20 deprehenderat. Fluxere autem à Ptolemæo ad Albatenium anni circiter 749: quapropter in annis 749 peregit ſtella illa gr.11,m̃.30.manifeſtum igitur fuit multo plus obijſſe ſtellas,quàm gr.1 in annis 100,quod & noſtro etiam tempore videre manifeſtiſsime licet:ſpica enim ſtella,quæ à Ptolemæo viſa fuit in gr.26,m̃.30 virginis,nunc in libra gr.circiter 17,m̃.30 ſpectatur: quare à Ptolemæo ad hæc vſq; tempora confecit ſpica gr.circiter 21,quum tamen fluxerint anni ſolum 1395. Ex quibus alterum duorum ſtatuere ratum licet,aut Aplanes motum non vniformem,& æqualem perpetuo eſſe, ſed modo tardiorem,modo velociorem,quemadmodum & planetarum orbes ſe habent,aut Ptolemæum,& Hipparchum deceptos in ſyderum obſeruatione fuiſſe. Atqui hoc non ſolum dicere,ſed ſuſpicari quidem nefas eſſe videtur:ſi enim decepti illi ſint, equidem neſcio, quid de alijs ſperandum,quid de nobis promittendum ſit:præſertim ꝙ nec ſatis difficile eſt haſce obſeruationes recte facere circa ſtellas. Ptolemæo vero vel facillimum fuit,cui non regionis æterna ſerenitas, non inſtrumenta infallacia,non experientia pluſquam humana,non ſummum ingenium,& doctrina conſummatiſsima defuere.facillimum pariter & Hipparcho,quẽ nunquam ſatis laudatum omnis antiquitas dixit.ſupereſt igitur vt alterum illud pro conſtanti indubitatoq; conſtituamus inæqualem eſſe, & non vniformem Aplanes orbis motum,ſed modo tardiorem,modo velociorem ſpectari,quod omnibus quidem orbibus Dij ipſi certa lege indidiſſe,ac ſtatuiſſe videntur.atq; hæc quidem ſunt,quæ circa hũc orbem apparent,atque vti vera obſeruataq; recipi à nobis debent.

B

De cauſis eorum,quæ in Aplane apparent. *Cap. 10.*

IAm igitur eorum,quæ circa Aplanẽ viſuntur,cauſæ à nobis quærendæ ſunt:ac primum quomodo fiat,vt compoſitus, duplexq; ſit illius motus:quando conſtat circulos, qui ab ea deſcribuntur, nõ in idem redire. Neceſſarium igitur eſt aut vnum orbem duos motus habere per ſe poſſe,aut vnam intelligentiam duobus mouere motibus,aut duas intelligentias ineſſe vni orbi,aut ſupra Aplanen eſſe alios orbes, à quibus ea multiplicitas fiat.At certe vnum orbem duos per ſe motus habere poſſe

impoſsibile

impoſsibile demonſtratum eſt in ſuppoſitis primis:ſimiliter & vnam intelligentiam duos ſufficere motus poſſe,præſertim qui & oppoſiti ſint. C
Duas vero intelligentias proprias vno in orbe eſſe,nemo eſt,qui dixerit: vnam autem communem,alteram propriam in vno eſſe orbe quidã auſi ſunt dicere:ij quidem,qui communem intelligentiam inducunt, quiq; defendere ſtudent Aplanen primum omnium orbem eſſe: à communi enim intelligentia dari dicunt motum,qui ab ortu in occaſum communis eſt omnibus, à ꝓpria vero dari eum, qui per zodiacum in Aplane fit.

At vero communem illam intelligentiam poni non oportere, ſupra quidem demõſtratum eſt communibus ad omnes orbes rationibus,nũc vero & proprijs in Aplane demonſtretur. Primum quidem quia poſitis duabus illis intelligentijs nunquam illud monſtrari poteſt,quo pacto inæqualis,& multiformis ſit Aplanes motus, modo velocior, modo tardior inuentus:quandoquidem intelligentiarum illarum vtraq; ſemper æqualiter & vniformiter mouet:quare nec illarum altera,nec ambæ eã dare inæqualitatem poſſunt. Præterea ſi communis illa ponatur intelligentia,neceſſario illud ſequetur,vt illa nunquã pro natura mouere poſſit:quod inconueniens certe eſt cum in omni virtute, tum præcipue in ea,quæ æterna & diuina eſt.ſequitur autem hoc,quoniam aſsignata certa illa velocitate,qua pro natura & per ſe mouere debet,nunq̃ tamen illa mouebit,impedita ſemper ab alia,quæ in oppoſitum mouet, & circa D idem operatur:vtraq; enim vnũmet orbem mouet,ſed hæc in ortum,illa in occaſum:nec quicquam refert quòd alter motus obliquus ſit: diximus enim obliquos motus rectis opponi,ſi non quatenus in latus fiunt, at quatenus in longitudinem & ipſi contraferuntur.propter hæc igitur, & ea,quę ſupra de communi intelligentia dicta ſunt,nemo(vt arbitror) ponere poteſt Aplanen orbem à duabus intelligentijs moueri. ſupereſt igitur,vt exiſtimemus alios orbes ſupra Aplanẽ exiſtere,& maiores illa, & natura priores,à quibus & alter motus,& inæqualitas illa immittat̃.


Quòd vero aliqui orbes ſint,ad quos ſenſu non pertingamus, nemo mirari debet:nam & illi aut ſuas habent ſtellas non ſenſibiles nobis, aut propter habẽtes ſtellas ſunt facti.eiuſmodi autem orbes Aſtronomi omnes tum antiqui,tum recentiores ſemper recepere: quos Theophraſtus Anaſtros,hoc eſt inſtellatos appellare conſueuerat.conuenire autem ornatum illum ſtellarum primo orbi nullam habet neceſsitatẽ, perfectio .n.eius non in illo ornatu eſt, ſed eo magis,quòd magnitudine,& virtute omnibus alijs præſtat:qui ſi non ſtellarum multitudine,at mole, magnitudineq;,& vi diſtantiam ſatis compenſat.

De cauſis

A De cauſis inæqualitatis Aplanes ſecundum Aſtronomos. Cap. II.

Quo autē modo, et quibus de cauſis ea in Aplane inæqualitas fiat, vt modo tardior, modo velocior ab occidente in orientem vertatur, magnam diu difficultatem peperit inter Aſtronomos, neq; hactectenus quicquam aliud fuit, quod tantam perplexionem in eorum animis implicarit: nam neq; quomodo per ſe fieret, neq; quomodo per accidens, apparebat. per ſe quidem, quia vnus orbis vnum tantum per ſe motum, atq; eum vniformem habet (vt ſupra monſtratum eſt.) per accidēs autem quo pacto daretur ea inæqualitas, videre quidem non poterant ꝑ cognitos hactenus motus, quanquam plures etiam ſupra Aplanen orbes poſuiſſent. ſed neq; ad Ecentricos confugere hac in re poterant: quoniā ſi in vna medietate vidiſſent ſtellas tardius ferri propter Abſidem, oportebat in alia medietate oppoſitas videre velociores propter Antabſidē: hoc autem non ſpectabatur. in tanta igitur ambiguitate plerique occultum quendam in ſtellis latere motum confeſſi ſunt, quaſi nuper inuentos vaticinātes: qualis autē eſſet occultus ille motus, diu dubitatum fuit: donec quidam auſi ſunt dicere moueri Aplanen admirabili motu illo, quē alij

B acceſſum & receſſum, alij trepidationem appellauere. viderunt enim diuerſitatem omnē quæ in eo orbe apparet, demonſtrari poſſe, ſi ſupra Aplanen alium orbem ſtatuiſſent, qui motum diurnum daret: ipſa vero Aplane per ſe ita moueretur, vt puncta in ea ſub æquinoctijs conſtituta paruos deſcriberent circulos cōtrarijs ſemper lationibus: circa vero hæc æquinoctia duo alia pūcta, diſtantia gr. 4, m̄. 18, paruos & ipſa deſcriberent circulos, ac perfectos: Tropicus vero modo verſus vnū æquinoctium, modo verſus aliud accederet, recederetq; perpetuo. Vt ſi æquinoctialis ſit a b c: medius circulus Aplanes Ecliptica a d c: pūcta ſectionum ſiue æquinoctia a et c: Tropicus d equidem deſcribet circulum a g f e oualem: c vero deſcribet c u t ſ. porrò ex parte e h deſcribet circulum perfectum h m l k: n vero deſignabit n q p o. Tropicus autem d modo verſus c accedet, quū medius circulus a d c fiet, vel g d u, vel f d t:



modo recedet versus a, quum medius circulus e d f, vel c d a fiet. si igitur ita moueri Aplanen ponamus, omnia demonstrari posse videntur, quæ in ea apparent. primum quidem moueri in longitudinem stellas, deinde & inæqualiter moueri: verum in longitudinem dupliciter, vno modo secundum rem, alio modo per apparentiam: secundum rem quidem, quum totus semicirculus a g f describetur: sic enim stellæ in orientem re ipsa ferentur: per apparentiam vero, quum punctus sectionis a versus septentrionem secedet: accidit enim mutari sectionem & æquinoctium: & si prius erat in primo arietis fixi, nunc in vltimo piscium erit: si igitur simul cum Sole prius erat aliqua stella in a, reuertens post annum Sol ad æquinoctialem nõ inueniet in eodem puncto stellam, peruenit enim ad æquinoctialem prius propter mutationem sectionis, quæ non in primo arietis iam est, sed in vltimo piscium: quare videbitur stella mota fuisse ꝑ signorum ordine gr. 1: cum non ita sit: sed id contigit propter anticipationem Solis, qua ad æquinoctialem rediјt vno gradu prius. ꝙ si punctus sectionis a non in septentrionem sed in meridiem secedat, contrarium huius eueniet, non enim reditus in æquinoctialem anticipabitur, sed postponetur: & stellæ videbuntur contra signorum ordinem retroferri. At vero & inæqualiter moueri Aplanen accidit per paruos circulos, quoniam motus per ipsos factus alicubi multum recti, parum lateralis habet: alicubi parum recti, multum lateralis, vnde & quandoque retrogradas ferri stellas necesse est. Hoc igitur tanto motu demonstrare ea, quæ circa Aplanen apparent, sibi visi sunt: quod & eo etiam consonum habitũ est, ꝙ per eadem putarunt posse ostendere, quo pacto & Solis maximæ declinationes in dies corripiantur. Quoniam autem ad positionem paruorum circulorum sequebatur stellas etiam quandoq; retrogradas fore, ausi sunt etiam dicere Aplanen modo directam, modo retrogradam agi: ac eorum aliј dixere annis noningentis directam, noningentis retrogradam ferri: quorum opinio successu ipso sublata est, quando annis iã pluribus quàm noningentis peractis nunquam tamen retroagi stellæ visæ sunt. Aliј vero dixere paruos circulos annis septem millibus compleri: ꝙ si retrogradatio nulla, quam nos viderimus facta est, futuram tñ quandoq;. Ad positionẽ vero hanc sequitur stellas re ipsa non posse plus elõgari ab æquinoctio primi orbis, quàm sit diameter parui circuli: per apparentiam vero aliquanto plus posse elongari, non multo tamen. quã rem suspectam habentes posteriores astronomi quædam addidere priorum opinioni: quum enim priores tantum vnum cœlum ponerẽt supra Aplanen, duosq; illi tantum motus darẽt, diurnum scilicet, et trepidationem, posteriores vnum aliud cœlum superaddidere, et alium motum in Apla-

A ne.ponũt ergo hi in primis primum mobile,à quo motus diurnus datur, qui ad nos decimus orbis eſt:deinde ſub ipſo nonum ponunt, cuius medius circulus eſt ſubalternus eclipticæ,à quo & Aplane per eclipticã mouetur,gr.1,m̃.28 in annis 200 peragens:ſub eo Aplanen ſtatuunt,quæ per ſe motu trepidationis agitatur. à nono igitur orbe fit,vt ab æquinoctio primi ſecedere poſsint ſtellæ, quanta eſt zodiaci longitudo tota,quod primi dicere non potuere.cæterum & poſteriores iſti paruos circulos aſſerũt ſeptem millibus annorum,vti primi tradiderunt,expleri. Verum enim vero ſi motum hunc Aplanes,quo pacto poſteriores aſsignant,conſideremus,videbimus paruos circulos non eſſe veros circulos,nec in idem redire,ſed magis ꝑ helices quaſdam agi progreſſu anticipantes, regreſſu vero deficientes:qualis eſt a b c d e,et e f g h k,& reliqui.atque hæc ſunt,quæ hactenus de Aplane & tradita, & exiſtimata fuere.



Quòd trepidatio nulli orbi per ſe ineſſe poſsit. *Cap.12.*

B OPeræpretium autem eſt de inducto trepidationis motu rationem habere:eſt enim,quomodo eſſe in ſphæris poſsit,eſt autẽ & quomodo non poſsit.per ſe enim & proprium vlli orbi eſſe hunc motũ impoſsibile eſt,ſi vera ſunt,quæ à principio recepta fuere a nobis: diximus enim vnum orbem vnum tantum motum,& eum ſimplicem per ſe habere:ſimplex autem eſt,qui ſuper duobus polis per ſe immotis in idẽ redit,omnis autem alius ſimplex & vnus non eſt,ſed compoſitus & plures motus.at certe inducta trepidatio non ſolum ſimplex nõ eſt motus, ſed vel omnium compoſitiſsimus, quippe qui è quatuor motibus conſtet: quorum vnus eſt ante,alius retro,alius dextra,alius ſiniſtra: qui nec medium circulum,nec polos per ſe immotos habet,nec circa centrum fit. Præterea ſi tali motu moueri per ſe aliquis orbis poſſet,diuerſiſsimæ quidem naturæ à reliquis eſſe eum oporteret,quod in cœleſtibus illis ſphæris inconueniens profecto eſt:omnes enim illæ in ſphæræ ſimplicitate cõuenientes,etiam in motibus,qui ſphæræ naturam inſequuntur, conuenientiam habent.quas ob cauſas inducta trepidatio per ſe nulli ineſſe orbi poteſt,per accidens autem in aliquibus inueniri non ſolum impoſsibile non eſt,ſed & neceſſarium eſſe videtur,vt oſtendemus.

Si Aplane per trepidationem mouetur, quo pacto primi dixere, quo pacto esse possit. Cap. 13. C

QVoniam autem de Aplane nihil certi hactenus compertum est, vtrum semper directa feratur, an & quandoq; retrograda p paruos circulos, nec nos quicquã affirmare quidem ea de re possumus, nec debemus. Verũtamen quicquid detur, quicquid ponatur, siue per trepidationem Aplane agatur, vt primi dixere, siue vti posteriores voluere, siue non agatur per trepidationem, sed semper directa incedat, viam quidem nos, facultatemq; pollicemur demonstrandi vnumquodque, quomodo fiat: quod quidem præstare ij non possunt, qui hactenus de Aplane scripsere. si enim forte fortuna directæ semper feruntur stellæ, (vt par est existimare) illis nulla via relicta est demonstrãdi, quõ eueniat. Sed iã ad oĩa ea, quæ ponuntur, ostendenda accingamur incipientes ab ijs, quę primi scripsere: ostendamusq;, si ponatur Aplane per trepidationem, & per paruos circulos in idem redeuntes moueri, quo pacto fieri possit. meminisse autem oportet eorũ, quæ à principio dicta sunt de Circitore orbe, hoc est de eo, qui circunductus in latitudinem, motu proprio successiue in opposita omnia mouebat. item & illud in memoriã est reuocandum, quod dicebamus, si alicui Circitori alius orbis contraferatur in latitudinem, hunc quidem contrauectum motu trepidationis agitari: quæ quoniam supra demonstrata sunt, nunc non aliter repetentur à nobis. D

Ergo supra Aplanen non vnum, vt primi dixere, sed tres orbes poni necesse est. Primum mobile, Circunducentem, & Circitorem, sub quibus statuatur Aplane, quæ per se Circitori contraferatur in latitudinem super polis Circunducentis orbis. à Primo igitur mobili motum recipiet ab oriente in occidens communem omnibus sphæris, à Circunducente autem secundo, qui in latitudinem ducit, nihil recipiet, quoniam illi contrafertur æqualiter: similiter nec à Circitore, quatenus & ipse in latitudinem circunducitur: at vero ab eodem, quatenus motu proprio successiue mouet in omnia opposita, motu quidem trepidationis agetur. quoniam enim Circitor in latitudinem per colurum superiorem circunfertur, palã est, ꝙ proprio motu æquinoctia puncta maxime respicit, vti polos circunductionis: atq; ita in opposita omnia agit, vt paruos describant circulos lationibus semper oppositis. quorum semidiameter gr. 4, m̃. 18 erit, si ponatur Circitor non plus posse mouere in vna quarta circunductionis. si igitur circunductionis medietas fiat in annis noningentis, eueniet quidem, quod quidam è primis dicebant, vt annis 900 directæ, 900 retrogradæ stellæ ferantur. si vero circunductionis medietas fiat in annis

A annis tribus millibus & quingẽtis, eueniet, quod alij è primis tradidere compleri paruos circulos annis 7000: & dimidio temporis directas, dimidio retrogradas stellas agi. si igitur mouetur Aplane per paruos circulos, qui perfecti sint, & in idem redeant, vti primi dixere, ita fieri et nõ aliter censendum est.

Si Aplane mouetur per trepidationem per helices factam, vti posteriores dixere, quo pacto fiat. Cap. 14.


SI vero Aplane per trepidationem quidem mouetur, sed eo modo quo posteriores scripsere, per helices & paruos circulos nõ in idem redeuntes, necessarius erit nobis alius orbis præter prædictos: non enim in tribus, sed in quatuor monstrari potest, quomodo fiat. nihilo autẽ mutato ordine prædictorum trium, loco Aplanes, alius orbis Circitori supponatur, qui (sicuti prius de Aplane dicebatur) ipsi Circitori contraferatur in latitudinem: sub eo loco quarto ponatur Aplane, quæ per se moueatur in longitudinem per zodiacum, singulis 200 annis gr. 1, m̃. 18 perficiens, totam autem reuolutionem annis 49000. superadditus igitur tertius orbis contrauectus mouebitur quidem à Circitore motu trepidationis perfecto, sicuti prius & Aplane dicebatur. Aplane vero orbis quartus, & ipsa quidem per trepidationem agetur, sed non perfecte, neq;.n. B parui circuli eius in idem redibunt, sed helices magis describent progressu anticipantes, regressu vero deficientes: quod euenit propter proprium Aplanes motum, qui per se continenter in longitudinem fit versus oriẽtem, ac helices ipsas producit. Cæterum à Circitore, mediante tertio, ante, retro, dextra, & sinistra agitur per paruos circulos circa æquinoctia. oportet autem Circitoris motum proprium velociorem esse, quàm proprium Aplanes, sic enim retroducere illam potest. Accidit autem modo tardius, modo velocius agi Aplanen, quoniam Circitor modo in idem cum ea, modo in oppositum mouet: in duabus enim quartis circũductionis in idem cum ipsa fertur, in duabus in oppositum. igitur in idem cum vertitur, citat quidem ac velociorem illam reddit: quum vero in oppositum, tardat, atque etiam mox retroducit, quoniam velocior est. Si igitur per trepidationem mouetur Aplane, vt posteriores existimant, ita fieri rationabiliter putandum est.

Si semper directa est Aplane, quomodo fiat. Cap. 15.

AT vero, si non per paruos circulos Aplane agitur, nec vnquam retrograda fit, sed semper directa incedit, & hoc quoque iã demonstrandum est, quomodo fiat: quod facere illi quidem non possunt, qui so-


lam

lam trepidationem nouere. Dupliciter autem directa esse Aplane potest, vno modo sectionum punctis seu æquinoctijs simul mutatis, aut in septentrionem, aut in meridiem, alio modo ijs nunquã mutatis, sed ecliptica Aplanes semper sub ecliptica primi orbis fixa manente. plurimum autem refert vtro modo fiat: si enim mutentur sectiones, dupliciter mensurare Aplanes motum oportebit, & per longitudinem secundum rem, & per longitudinem secundum apparentiam: si vero non mutantur sectiones, vno tantum modo moueri, & mensurari stellas in longitudine opus erit. quid autem in re sit, non satis exploratũ habetur, sicut nec vtrũ directæ semper ferantur stellæ: vtrunque tamen quomodo fieri posit, declarandum est: primum autem si sectionum puncta mutantur. Ergo quæ de Circitore orbe superius dicta sunt, & hic quoque presupponãtur. quatuor quoq; orbes illos & ad hec demonstranda recipimus, qui & modo recepti sunt, quorum neq; ordo, neque numerus est immutãdus, vna tantum differentia in ipsis adiecta, quòd supra Circitor ponebatur velocior Aplanes motu, hic autem non velocior ponendus est, sed tardior solum: sic enim non retroducere Aplanen poterit, sed tardare solum. vnde fit, vt stellæ, quæ priore in casu helices illas, et circulos non in idem redeuntes describebant, hic non helices, sed flexus quosdam, & sinus more anguis designent, quales sunt a b c, & c d e, & e f g, & reliqui. sit ecliptica a g o, Tropicus g, æquinoctia a et o: Circitor autem moueat per quartam suæ circunductionis australem inferiorem: mouebit ergo Aplanen circa æquinoctia, quæ maxime respicit motu proprio, & in longum, & in latus: in longum quidem in orientem, & in idem cum Aplane, in latus vero versus septentrionem: a igitur motu veloci describet flexum a b. Rursus agatur Circitor per aliam quartam, quæ est inferior septentrionalis, in longum quidem mouebit, & nunc in orientem in idem cum Aplane, in latus vero versus meridiem: quare b motu adhuc veloci describet flexum b c. Porrò Circitor obeat aliam quartam, quæ est Septentrionalis superior, in latus quidem versus meridiem pellet, in longum vero, quantum ex se est, in oppositum ipsi Aplane: & si velocior illa foret, etiam retroduceret: at vero quoniam tardior illa est, non retroducit quidem, sed tamen tardat, motu continenter in orientem facto: quare c describet motu tardo flexum c d. Postremo Circitore acto per vltimam quartam, quæ est meridionalis superior, d quidem in



latus

A latus ducetur ſeptentrionem verſus, in longum vero in orientem quidem, ſed motu tardo, ac fiet flexus d e, peracta vna reuolutione Circitoris: atque ita & alij deinceps fient. Flexus autem, & ſinus, qui deſcribuntur à ſtellis, latiores quidem ſunt, quo æquinoctijs ſunt proximiores, anguſtiores vero, quo Tropico propinqui magis: cuius cauſa eſt, ꝙ Circitor per motum proprium æquinoctia maxime reſpicit, atque illic maximam latitudinem operatur: medius enim circulus Aplanes, qui modo in b, modo in d, in puncto medio, vbi Tropicus eſt, in conum deſinit. Hoc igitur pacto mota Aplane manifeſtum eſt motum eius modo tardiorem, modo velociorem reddi, velociorem quidem, quum Circitor in idem cum ea fertur, tardiorem vero, quũ in oppoſitũ: in vna igitur medietate circũductionis ſuæ Circitor velocem illam facit, in alia tardam. Atque in citante medietate primum fit motus velox, augens continenter velocitatem, vſquequo ſubalternus fiat Circitor cum Aplane, quod fit in prima quarta. mox fit motus velox, minuens continenter velocitatẽ in alia quarta, in fine cuius Circitor ſolum in latus mouet ad rectos angulos. Mox fit oppoſitio in alia medietate: & in prima quarta fit motus tardus, augens continenter tarditatem, vſquequo iterum ſub alternus cum Aplane Circitor fiat. ab inde vero fit motus tardus, minuens tarditatem in alia quarta, vſque ad finem eius, vbi rurſus Circitor ſolum in latus mouet. ſunt igitur in toto hoc motu puncta quatuor
B è regione oppoſita, vnum maximæ velocitatis, aliud maximæ tarditatis, & duo neutra. Ecliptica a c, circunductio Circitoris b e d f, maxima velocitas, vbi e, maxima tarditas vbi f, puncta neutra b d. ſi igitur directæ ſemper feruntur ſtellæ, mutantur autem ſectiones, & æquinoctia, hoc certe pacto fieri putandum eſt.




At vero ſi non mutantur ſectiones, nec latitudo circa æquinoctia, ſed per Eclipticam quaſi fixam Aplane ſolum in longitudinem fertur, neceſſarium quidem eſt nobis prædictis quatuor orbibus duos alios addere ſupra Aplanen, ſi eius inæqualitatem monſtrare volumus.

Ergo nihil mutato prædicto ordine Circunducentis, Circitoris, & Contraue cti, ſub Contrauecto hoc ponimus alium orbem, qui ab ipſo Contrauecto circunferatur in latitudinem, ſed ita, vt quantum Circitor circunducitur in vnam partem, tantum hic nouus orbis in oppoſitam à Contrauecto trahatur: propter quod placet & orbem hunc Anticircitorem vocare. His ita ordinatis contingit quidem proprios

motus

motus Circitoris Anticircitorisque in latitudine semper contraponi, in longitudine vero conuenire semper, & modo vtrunq; ab oriente in occidentem mouere, modo econtra vtrunque ab occidente in orientem pellere. æquales igitur et pares si velocitate per se ponantur, fiet quidem vt Aplane in latus neque in hanc, neque in illam mutari partē possit, contranitentibus inuicē illis duobus æquipotentibus: in lōgitudine vero modo ab vtroque simul citabitur, modo ab vtroque retardabitur simul. sit ecliptica a e c: Circitor & Anticircitor cum ea subalterni, & vterq; moueat versus a: deinde Circitor in f circunducatur, Anticircitor in g: circulus Circitoris sit a f c, Anticircitoris vero a g c. palam ꝙ alter alteri opponetur, ne aut in hanc, aut in illam agatur partem. similiter et si Circitor in b ducatur, anticircitor in d. Verum sub hoc, quem Anticircitorē vocauimus, oportet & suum contrauectum in latitudine, collocare: alioqui & Aplane cum ipso circunduci poterit in latitudinē. sub his omnibus si ipsa constituatur per se motum habens in longitudinem per eclipticam, fiet quidem, vt sectionibus nihil mutatis ipsa modo citetur à Circitoribus, modo tardetur: citetur quidem quum in idem vterque Circitor & anticircitor mouent, tardetur vero, quum vterq; in oppositum contraferuntur. C D



Quærat autem fortasse aliquis è prædictis modis omnibus, quis rationabilior existimandus sit, quo Aplanen moueri putemus. Ad quos dicimus (quantum quidem nobis videtur) rationabilius esse nunquam retrogradas agi stellas Aplanes existimare: quare nec moueri per trepidationem, nec eo modo, quo primi tradidere, nec quo posteriores. quoniam à Metonis & Eudoxi temporibus vsque ad Hipparchum, & Ptolemæū, & ab his vsque ad Albatenium, & Alphonsum, ac demum vsque ad hæc tempora nemo est, qui non directa semper sydera viderit atq; audiuerit. quare verisimilius existimandum est directam semper Aplanen ferri: directam autem non per flexus, & sinus illos, qui dicti sunt, sed nulla mutatione circa sectiones facta subalternam semper eclipticæ primi orbis ꝓcedere. cui rei satis ea consonant, quæ Ptolemæus scribit, quum inuestigat, an latitudo inerrantium stellarum ab ecliptica Solis mutetur: quòd enim non mutetur, inter alia & hoc signum ponit, ꝙ stellæ ad æquinoctialem comparatæ ita progrediuntur, vt processus eclipticæ designetur ad æquinoctialem: in tanta enim & tanta amotione ab æquinoctijs eam proportionem seruare scribit ad æquinoctialem, quam & ipsa ecliptica

in

A in eadem amotione reddit. videtur oſtendere hoc non mutari ſectiones Aplanes in latitudine, nec fieri aut vllos paruos circulos, aut vllos flexus, vel ſinus: ſi enim fierent, vtique proportionem eclipticæ ad æquinoctialem non ſeruarent Aplanes ſtellæ.

Quantus ſit Aplanes motus. *Cap. 16.*

SVppoſito igitur hoc pacto moueri Aplanen, donec ꝓbabiliora ſeſe offerant, reliquum eſſe videtur & illud demum oſtendere, quantus ſit eius motus, & quantum ipſa recipiat à Circitore, quantumq; amittat: & qualis ſit Circitoris ipſius motus: & quomodo obſeruata de tempore in tempus correſpondeant ijs, quæ dicemus.

In primis autem dicamus, quę obſeruata ſunt, ſi non omnia, at ſaltem præcipua, & fide digna, & ad noſtrum hoc inſtitutum pertinentia. Primum igitur illud certum eſſe debet per id tempus, quod inter Hipparchum & Ptolemæum interfuit, ſtellas Aplanes motas fuiſſe tardo motu ita, vt non plus peregerint in annis centũ, quàm gr. 1, vt recte Ptolemæus animaduertit: neque enim deceptos in obſeruationibus tantos Aſtronomos audendum eſt dicere. Deinde & illud etiamnum clarum eſt à Ptolemæo ad Albateniũ vſq; auctum fuiſſe earum ſtellarum motũ: quod Albatenij obſeruationes ſuperius aſsignatæ demonſtrãt. mox vero ab Alba-
B tenij temporibus vſque ad noſtra motum quidem velocẽ fuiſſe dicimus, ſed continenter minuentem velocitatem: quod paulopoſt apparebit ex obſeruatis. Exiſtimamus igitur proprium motum Aplanes per ſe talem eſſe, vt gr. 1 in annis 100 perficiat, verum à Circitore modo velociorem, modo tardiorem reddi: in eo autem tempore, quod fuit ab Hipparcho ad Ptolemæum, verſatum fuiſſe Aplanen circa medium motum ac proprium: à Ptolemęo autem ad Albatenium motum dicimus factum fuiſſe velocem augentem: ab Albatenio vero motum fuiſſe velocem minuentem, in quo & nunc ſummus: mox fiet motus tardus augens primo tarditatem, ac deinde tardus minuens tarditatem. Videtur igitur mihi tum forte medius ac proprius in Aplane motus fuiſſe, quum filius Dei CHRISTVS in lucem venit, ante quem Hipparchus fuit annis circiter 142, Ptolemæus vero poſt, annis fere 143: quantum enim deficiebat motus à medio, Hipparchi tempore, tantum excedebat Ptolemæi tempeſtate. quàm ob cauſam menſurans ille motum, redactis defectu & exceſſu ad mediũ, vidit in annis 100 ab Aplane confici gr. 1. ſi igitẽ à CHRISTI Natali medium motum Aplanes auſpicemur, certum erit motum velocem augentem, qui ab inde ſubſecutus eſt, duraſſe per noningentos annos ad Albateniũ vſq;, & non vltra: ꝗ. n. vſq; ad ipſum motus factus fue-

rit velox obſeruationes eius demonſtrant:quòd vero & ab eo mox cępe C
rit velocitas minui,ex ſequentibus apparebit. à CHRISTO autem ad ip
ſum anni fuere 900: à CHRISTO enim ad Ptolemæum anni fluxere
143, à Ptolemæo autẽ ad Albateniũ anni 755,quare 900 à CHRISTO
ad Albatenium.ex quo conijcimus inæqualitatem Aplanes procedere
de 900 in 900 annos,totam autem reuolutionem confici annorum tri
bus millibus ſexcentis: ita vt in primis 900 annis fiat motus velox au-
gens,in alijs 900 motus velox minuens,in alijs vero 900 motus tardus
augens,ac poſtremo in vltimis 900 fiat motus tardus minuens. inter ve-
locem autem & tardum motum eſt medius,qui & Aplane proprius eſt:
inæqualitas autem datur à Circitore,qui modo citat,modo tardat (vt di
ctum eſt.)In Natali ergo Domini mouebat Circitor à puncto neutro,
hoc eſt eo puncto,qui eſt inter quartam iuuantem & cõtrariam, in quo
ſolum in latus mouet:quare & Aplane motu proprio agebatur, quo gr.
1 peragit in annis 100.mox per primam quartam iuuantem, quę eſt me-
ridionalis inferior,cępit Circitor citare Aplanen,ac ſupra medium mo-
tum dare velocem augentem vſque ad Albatenium per annos 900, in fi
ne cuius quartæ ſubalterno exiſtente Circitore cum Aplane in medieta
te iuuante velociſsimus ac ſummus motus fit.mox per ſecundam quar-
tam iuuantem,quæ eſt inferior ſeptentrionalis, factus fuit motus velox
quidem,ſed minuens continenter,in quo & nunc ſumus, erimusq́; per D
annos adhuc 265:à quo rurſus medius motus redibit.

Quantum vero addat Circitor ſupra medium motum in vna quarta
Circunductionis annorum 900,poſſumus rationabiliter ex obſeruatis
excipere.à Ptolemæo enim ad Albatenium conſtat motas fuiſſe ſtellas
gr.11,m̃.30:(vt ſupra diximus)à Chriſto aũt ad Ptolemæum pegerũt gr.1,
m̃.fere 30:qui ad ſummum ſunt gr.13,peracti in annis 900. ſi igitur per ſe
Aplane gr.1 perficit in annis 100,certum erit in his 900 annis ſtellas per
ſe & motu proprio gr.9 confeciſſe ex illis 13.Relinquitur ergo gr.4 addi
tos à Circitore fuiſſe in vna quarta annorum 900, quare & tantum per
ſe ipſum Circitorem mouere in quarta vna.quòd ſi gr. illi ſuperadditi à
Circitore diuidantur per annos 900,ita vt motus ſupra medium conti-
nenter à non gradu augeatur vſque ad gr.4,videbimus in primo cente-
nario addi m̃.5,ſec.20:in ſecundo mi.10,ſec.40:in tertio mi. 16: in quarto
mi.21,ſec.20:in quinto mi.26,ſec.40:in ſexto mi.32:in ſeptimo mi.37, ſec.
20:in octauo mi.42,ſec.40:in nono mi.48.quæ omnia mi. & ſec. ſimul ſi
componamus,reſultabunt gr.4, qui additi gr.9 medij motus conficient
gr.13,quos ſtellæ à Chriſto ad Albatenium peregere. videns autem Alba
tenius à Ptolomæi temporibus vſque ad ſua ſtellas perfeciſſe gr.11,mi. 30,
dixit

A dixit non in annis 100 gr.1 ab Aplane peragi, ſed in annis circiter 66: ſic enim comperiebat diuiſis illis gr.11, mi.30 per annos 755. Nec Ptolemæus igitur, nec Albatenius in obſeruationibus decepti ſunt, ſed in eo magis vterque, quòd id perpetuum putarunt, quod in parte & certo tempore viderant: atqui nõ ita futurum erat, nã nec quale ſuo tempore Ptolemæus inuenit, annis ſequẽtibus tale fuit, nec quale Albatenius, quum inæqualitas motus Aplanes non dũ manifeſta illis foret.

gr.	m.	ſec.
0	5	20
	10	40
	16	
	21	20
	26	40
	32	
	37	20
	42	40
	48	
4	0	0

Poſt Albatenium autem motus ſecutus eſt velox minuens Circitore à ſecunda quarta iuuantium præbente motum. in primo igitur centenario poſt ipſum addita ſtellis fuere mi. 48: in ſecundo mi.42, ſec.40: in tertio mi.37, ſec.20: in quarto mi.32: in quinto mi.26, ſec.40: in ſexto mi.21, ſec.20: in ſeptimo addentur mi.16: in octauo mi.10, ſec.40: in nono mi.5, ſec.20. Huic autem rationi & ea quoq; reſpondent, quæ ſucceſsiuis temporibus ſunt obſeruata poſt Albatenium. Alphonſus.n.Rex, qui anno à Chriſto 1251 ſtellas digeſsit, poſt Albate-
B nium annis circiter 350, annotauit inter alias Spicam ſtellam in libra gr. 13, mi.50, quæ ab Albatenio reperta fuerat in gr.8. peregit igitur ſpica in annis 350 gr.5, mi.54: ac tantundem quoque peregiſſe per aſsignatam rationem debere videtur: nam in primo huius quartæ poſt Albatenium cẽtenario diximus addi motui medio m.48: in ſecundo mi. 42, ſec.40: in tertio mi.32, ſec.20: in ſequentibus 50 annis mi. ferè 16: quæ omnia ſimul conflant gr.2, mi.19: quibus ſi addas medium motum, qui ſunt gr.3, mi. 30, fient omnino gr.5, mi.49. quare ratio hæc obſeruatis recte reſpondet. Poſt Alphõſum quoq; omnia prædictæ rationi congruunt: accepimus enim Abranium zacutum, qui perpetuas ephæmeridas cõdidit, eandem Spicam comperiſſe annis poſt Alphonſum 216 in libra gr.17, mi. fere.10: quam & nos annis poſt Zacutum 69 inuenimus in libra gr.17, mi. fere 47. ab Alphonſo autem ad hoc tempus fluxere anni 280, in quibus ſpica à gr.13, m.50 repertis ab Alphõſo ꝓgreſſa eſt ad gr. 17, mi. fere 47, qui ſunt gr.3, mi.57: ac tantundẽ quoq; è noſtra rõne pactũ fuiſſe oportet, ſiquidẽ eo in tpe annorum 280 motus medij facti ſunt gr.


gr.	m.	ſec.
	48	
	42	40
	32	20
	16	
2	19	0
3	30	
5	49	0

C

2,m̄.48:additi vero à Circitore fuere primum in 50 continuis m̄.fere 13:in sequenti centenario,qui est quintus huius quartæ,addita fuere m̄.26:in alio cẽtenario, q̄ est sextus,addita sunt m.21,sec.20 : ĩ reliq̃s annis 30 m̄. circiter 8 : q̃ omnia in summa sunt gr.3,m̄.57,quæ peracta fuere in annis 280.ex quibus patet & obseruata conuenire rationi huic,& motum post Albateniũ procedere minuendo velocitatem,& annis nostris tendere versus tardũ: nunc enim debent stellæ in annis 100 peragere gr.1,m̄.circiter 16. Placuit autem totam inæqualitatis Aplanes reuolutionem per hanc subscriptionem designare,quam diuisimus in quartas quatuor, quamlibet autem quartam in annos 900,annotantes quid in vnoquoque centenario addatur supra mediũ motum,& quid mox ab eo dematur.In prima igitur quarta est motus velox augens,qui supra medium motum addit singulo centenario mi.& sec.descripta.in secunda quarta est motus velox

gr.	m̄.	sec.
2	48	
	13	
	26	46
	21	20
	8	
3	57	0

D



minuens velocitatem,addens & ipse supra medium in quolibet centenario mi.& sec.descripta.in tertia vero est motus tardus infra mediũ motum,

A tũ,& in primo centenario demunt̃ mi.5,ſec.20:quare Aplane in eo cẽtenario nõ plus peragit q̃ m.54.ſec.40,& ita deinceps de alijs.in vltima aũt quarta eſt motus tardus minuens tarditatem.tota igitur reuolutio huius inæqualitatis annis tribus millibus & ſexcentis expletur.

De ordine orbium ſeruientium Aplanæ. *Cap.17.*

DE ijs autem orbibus,qui quodammodo famulantur Aplanę,quoniam nondum omnia dicta ſunt,dignum erit poſtremo exponere,quo pacto ſeſe habeant omnes,& quanto tempore quiſque circunferatur.Omnium autem(vt diximus)primus & ſupremus eſt ille,quem alij primum mobile vocant,qui tanta celeritate conuertitur,vt horis 24 ab ortu per occaſum ad idem rediens circunferatur,reliquos omnes,qui intra continentur,ſecum vehens.eſt autem motus eius per æquinoctialem circulum ſimpliciſsimus,immutabilis,& æternus,niſi quum eius conditor aliter forte volet.Sub eo eſt,quem Circũducẽtem appellauimus,qui per colurum ſuperiorem à ſeptentrione in meridiem annis tribus millibus & ſexcentis in latitudinem circumagitur & ipſe ſecum vehens omnes,qui ſubſunt orbes,niſi quantum aliqui contraucti impediant. quoniam autem hic à primo vehitur in longitudinem,palam q; medij circuli vtriuſq; ſeſe inuicem ad rectos angulos ſecant.igitur quum duplici aga-
B tur motu,altero in latitudinem per ſe,altero in longitudinem per accidens,tardiſsimus autem ſit,qui in latus eſt,velociſsimus qui in longum, fit quidem,vt quæ puncta raptu velociſsima ſint,per ſe ſint tardiſsima, quæ vero per ſe velociſsima,raptu tardiſsima fiant:alterius enim poli in medio circulo alterius ſunt:tardiſsimi autem ſemper poli ſunt,velociſsimus medius circulus.quo tandem fieri neceſſe eſt, vt tardiſsimus quiſq; punctus velociſsimus olim fiat,& velociſsimus quiſque,tardiſsimus.

Tertius autem orbis eſt,quem diximus Circitorem,cuius medius circulus ſubalternus eſt inferiori coluro æquinoctiorum,cæterum in latitudinem circunducitur à prædicto annis 3600,per ſe vero in oppoſita omnia mouens,ac gr.4 peragens in vna quarta circunductionis. agitur autẽ hic tribus motibus,qui ſeſe omnes ad rectos angulos inuicem ſecant, & in eo expleti ſunt tres illi principaliſsimi motus, qui in natura ſphærarũ per ſe eſſe poſſunt . omnis quoque velociſsimus in eo punctus, tardiſſimus olim fiet,& tardiſsimus quiſque,velociſsimus , ita prouidentibus Dijs,vt virtutes cœlorum omnes vndique, & ad partem omnem impartiantur.quartus orbis eſt Contrauectus Circitori, & Circunducenti in latitudinem,qui per Colurum ſuperiorem duplo velocior Circunducẽte à meridie fertur in ſeptẽtrionem:ſub quo eſt quintus Anticircitor appellatus,

pellatus, qui à prædicto in latitudinem circunducitur in oppositam sem per Circitori partem ac proportionalem : vnde fit, vt proprio motu sem per opponatur Circitori in latitudine, in longitudine vero semper conueniat, & in idem pellat. ergo hic si in latitudinem duci debet tantum in vnam partem, quantum Circitor in aliam, oportet cõtrauectum quartum duplo velociorem esse Circunducente secundo, & Circitore, quatenus in latitudinem agitur etiam ipse: verum motibus proprijs æquales sunt Circitor & Anticircitor iste. sub Anticircitore oportet & suum Cõtrauectum statui illi æqualem, aut insensibiliter cædentem, alioqui continget & Aplanen simul in latitudinem circunduci, quod quidem non apparet: aut, si forte contingit, insensibiliter quidem accidit, & post longa secula. Postremo sub his omnibus est Aplane orbis tot luminibus clarus, & lacteo distinctus circulo, quæ per se gr. 1 in annis 100 obit, totã autem reuolutionem annorum millibus trigintasex, modo tardior, modo velocior: medius autem circulus eius per eclipticam Solis protẽditur, quem situm per se, & per naturam habere non est censendum: quoniam (vt supra diximus) qui in natura sphærarum per se sunt motus, omnes se se secant ad rectos angulos. quapropter credendum est Aplanes circulũ non eodem in situ manere semper, sed & ipsum in latitudinem duci aut à Contrauecto vltimo, qui non omnino æqualis sit Anticircitori, aut à Circunducente primo, qui Contrauectum quartum orbem superet pauxillo aliquo: vnde nec circunductio Aplanes in latitudinem depræhendi, nisi post longa annorum curricula potest. Inæqualitatis autem Aplanes reuolutio annis 3600 expletur, vt dictum est. Ac de Aplane hactenus, & quæ circa ipsam appareant, & quibus de causis fiant, probabiliter dictum sit.

C

D

DE SATVRNO

De ijs, quæ circa Saturnum apparent. *Cap. 18.*



NVNC ad eos orbes descendamus, in quibus vocati planetæ in circulis eorum medijs circunferuntur, soli ipsi spectabiles & insignes in sphæris suis. Ordiemur autẽ à Saturno, qui ab Aplane statim sequitur, præmittentes in primis, qnæcunq; circa ipsum apparent. Quòd igitur & ipse diebus singulis ab ortu in occasum vertatur à primo mobili, tum & ꝙ ꝓprium ipse motum habeat huic obliquum atq; oppositum, dictum est in vniuersum prius, nunc propria magis recenseamus. videtur igitur ꝓpriũ

A ille motum annis ferè 30 explere, tardiſsime quidem oĩum aliorum:quę cã facit, vt citiſsime oĩum in occaſum ducatur, ꝗ quàm minimum primo contraferatur. Aequinoctialem autem non ſecat eiſdem in punctis, in quibus Aplane & Sol, ſed in alijs: quare neq; ſubalternus cum ecliptica fertur, ſed & illã quoq; ſecat. ſectiones eclipticæ (nam illæ maxime conſiderãtur in planetis) altera in cancro traditur, altera in capricorno, variabiles ſingulis centum annis gr.1.

Medius motus circutionis.

Gr.	m̃.	ſe.	ter.	quar.	q̃n.	ſex.	
0	0	5	1	23	48	42	hor.
0	2	0	33	34	28	51	dies
1	0	16	41	44	25	30	mẽſ.

Circuitio tota
Annis 29, Diebus 162, ho.12.

Sunt præterea in eius motu inæqualitates non paucæ, tum in longitudine, tum in latitudine: atque in primis illa, quæ & in Aplane dicta eſt, quòd in vna medietate circuitionis ſuæ tardior, in alia velocior ſpectatur. quippe in ea medietate, quæ eſt à virgine ad piſces per ſagittarium, aliquanto tardior incedit: in ea vero, quæ à piſcibus eſt ad Virginem per Geminos, velocior properat: punctus autem maximæ tarditatis nunc in Sagittario traditur gr.13, maximæ vero velocitatis in geminis, variabiles quidem & ipſi, vti & ſectiones.

Pręter hanc autem inæqualitatem eſt & alia etiam, cuius periodus an B nis pene ſingulis pauloplus iteratur, nõ magis quidem in vna medietate quàm in alia, ſed ſucceſsiue in omni parte. eſt autem hæc, quòd planeta modo directus & velox, modo tardus tantũ, modo ſtans, modo etiam retrogradus ſpectari ſolet: per quam inęqualitatem certa periodo atq; ordine continenter pergit. reuolutiones autem huius inęqualitatis 57 obſeruantur in annis 59, die 1, horis ferè 18 fieri, quas ſi inter ſe compares, id etiam mirum habent, quòd vna non eſt æqualis alteri nec tota, nec earum partes, nam nec velocitates æquales ſunt, nec ſtatus, nec retrogradationes.

Medius motus inæqualitatis.


gr.	m̃.	ſec.	ter.	qua.	quin.	ſex.	
0	2	22	49	19	14	19	hore.
0	57	15	27	23	27	20	dies.
18	33	51	50	51	50	0	mẽſ.

Tota reuolutio inæqualitatis
Diebus 378, hora 1, mi.30.

Illud porrò in hac inæqualitate magnopere admirandum eſt, ꝗ tum velociſsimus directiſsimusq; planeta cernitur, quum Soli cõiunctus eſt, tardiſsimus vero, & maxime retrogradus, quum oppoſitus è regione fit Soli. atque hæc quidem in longitudine apparent.


At vero & in latitudine ſua quoque inæqualitas inuenitur, nam planeta,

neta, vbi à ſectiõibus eclipticæ digreſſus eſt, in eo qui dem ſpatio, quod eſt à ſectione ad pũctum medium, & à puncto medio ad aliam ſectionem, diuerſimode quidem, & valde inæqualiter ad eclipticam ſeſe habet: nam modo ad ipſam accedit, non quidem vt tangat, modo ab ea recedit: accedit autem directus, & velox, ac Soli coniunctus, recedit vero tardus, retrogradus, & Soli oppoſitus. quem motum ſi recte conſideremus, videbimus per helices quaſdam fieri progreſſu quidem anticipantes, regreſſu vero deficientes, minimas item prope ſectiones, maximas circa punctum medium. vt ſi ecliptica ſit a d c, medius circulus Saturni a b c, prima helix erit a e f g h, minima omnium, quæ à ſectione vſque ad punctum mediũ ſunt: ſecunda erit h k l m n, maior quidem priore, reliquis vero minor, & ita de alijs. per has igitur actus planeta, ad Eclipticam quidem accedit directus, & velox: ac velociſsimus in e, & k, & o, ac Soli coniunctus: recedit autem tardus, & retrogradus: maxime autem retrogradus, & Soli oppoſitus in g, & m, & q. C



De cauſis apparentium ſecundum alios. Cap. 19. D

ASTRONOMI igitur ſuppoſitis ijs, quæ ſupra ſecundum eorum placita declarauimus, prædicta omnia demonſtrant partim quidem per Ecentricum, partim per Epicyclum: quòd enim in vna medietate tardior, in alia velocior planeta feratur, Ecentrico aſcribunt: faciunt enim orbem, in quo ſtella ipſa defertur, Ecentricũ, quare in ea medietate, in qua eſt abſis, tardiorem planetam incedere, in qua vero Antabſis, velociorem agi, in hac enim arcus, per quem tranſit minor eſt, in illa maior. ſi enim totus zodiacus diuidatur in duas medietates in a d c, & c b a, Ecentricus autem ſit f g h k, manifeſtum eſt, quòd planeta tranſiturus medietatem zodiaci a d c, tranſibit quidem per arcum f k h: trãſiturus autem alterã zodiaci medietatem c b a, tranſibit per arcum h g f: at multo maior eſt f k h, in qua eſt abſis, q̃ h g f, in qua eſt Antabſis: plus igi



tur

A tur moræ trahet in medietate,in qua eſt abſis,quàm in alia. ſecundã au-
tem inæqualitatem directionis,ſtatus,& retrogradationis epicyclo do-
nant,qui in medio circulo Ecentrici reuolutus,ac planetam infixum ge
rẽs ſuperna parte verſus ortum,inferna verſus occaſum vertitur:quo fie-
ri dicunt,vt planeta delatus ab Epicyclo modo in idem cum Ecentrico,
modo in oppoſitum agatur,in idem quidem,quum ſuperna in parte eſt,
in oppoſitum quum in inferna:quare & velocem planetam fieri, quum
in idem cum Ecentrico fertur,tardum vero,ſtantem,& retrogradũ red-
di,quum in oppoſitum retrahitur,retro enim ab Epicyclo ducitur, qui
ecẽtrico velocior eſt:Circa Abſidẽ vero tardiora fieri omnia,circa anta-
bſidem velociora:vnde accidit reuolutiões huius inęqualitatis nõ ęqua-
les eſſe inter ſe,Plurimum enim intereſt,in qua medietate fiant, in velo-
ciori ne,an tardiori:ea vero proportione ad Solem,planetam moueri, vt
tum ſit in ſummo Epicyclo,quum coniunctus eſt Soli,in imo vero, quũ
oppoſitus,quare hic maxime retrogradum,illic maxime directum eſſe.

Eam vero inæqualitatem,quæ in latitudine apparet,Epicyclo rurſus
aſcribunt,cui duos motus dant,præter eum,quo vehitur ab ecentrico,al
terum in longitudinem,alterum in latitudinẽ:ſignato enim medio cir-
culo Epicycli,item centro eius,centrum dicunt ſemper per ecentrici cir
culum ferri,medium autem circulum epicycli non ſemper per ecentrici
B circulum ſubalternum verti,ſed diuerſimode agi:ſiquidem centro Epi-
cycli in ſectione exiſtente medius circulus eius ſemper eclipticæ ſubalter
nus eſt,& quaſi ſupinus,verum vbi centrum à ſectione digredi incipit,
nõ amplius ſupinus,& eclypticæ ſubalternus fertur medius circulus Epi
cycli,ſed inclinatur ſummo eius verſus eclypticam,imo verſus oppoſitã
partem flectente:quæ inclinatio maior & maior continenter fit, donec
centrum perueniat ad punctum medium,in quo maxima ea fit, non ta-
men vt eclypticam vnquam attingat:abinde vero reſupinari quodãmo-
do,ac ſenſim erigi incipit medius Epicycli circulus,donec in aliã ſectio-
nem perueniat,in qua rurſus ſupinus,ac eclypticę ſubalternus reddatur.
ſic igitur moto Epicyclo fieri dicunt,vt ſtella modo ad eclypticam acce
dat,modo ab ea abſcedat:accedat autem directa,& velox,quoniã ſuper-
na pars,quæ inclinatur,& in qua eſt planeta,ad eclypticam accedit, rece
dat autem retrograda,quoniam tunc eſt in ima Epicycli parte.Quòd igi
tur ita fiat,aſtronomi omnes dicunt,quo autem modo fiat, & à quo tot
motus Epicyclo dentur,nemo oſtendit:de qua re poſterius inquiremus.

De cauſis apparentium per noſtra principia. Cap. 20.

TEntandum eſt autem aliter prædictorum cauſas per noſtra princi


pia demonstrare,ac primum quòd in vna medietate tardior, in alia velocior planeta agatur, causam ipsi non Ecentrico, sed Circitori orbi damus:habet.n.Saturnus Circitorem suum,queadmodum & A plane, Dijs ita disponentibus,vt orbes & in longitudine, & in latitudinem diuersimode moueri possent. Quoniam aut omnis Circitor in latitudinem quidem circunducitur,proprio aut motu in opposita omnia mouet, palam q & hæc omnia circa Saturni Circitorem contingunt, veru in latitudine circunductio par est circuitioni Saturni,hoc est annis 29,diebus 162, horis 12 fit:proprius autem Circitoris motus tardior Saturni motu est. Quoniam autem & modo in ide cum Saturno, modo in oppositum fertur Circitor,inde quide fit,vt modo planeta citet,modo et retardet, nonnunq autem retroducat,quoniam tardior Saturno est.ea autem Circitoris huius ad planetam pportio est hoc nostro tempore, vt tum subalternus cum eo Circitor sit in medietate contraria,quum planeta in gr.13 sagittarij peruenit,subalternus vero fiat in medietate iuuante, quum planeta in gr.13 geminorum perductus est:quare hic est puctus maximæ velocitatis,illic maximæ tarditatis,quæ puncta alij absidem,et antabsidem vocant:vbi enim est maxima tarditas,illic maximam putant à centro distantiam esse,vbi vero maxima velocitas,illic maxima centro propinquitatem existimant. Nos aut tarditatem,& velocitatem non à distantia, & ppinquitate,sed à Circitore dari arbitramur,quum subalternus planetæ sit modo in contraria,modo in iuuante medietate. C

Secundam autem inæqualitatem directionis,status,& retrogradationis non assignamus Epicyclo,sed alteri Circitori:duos enim Circitores habent planetæ omnes,qui retrogradationem nouere,à quibus prędictę duæ inæqualitates contingunt,communes planetis illis. D

Ergo quum prior Circitor in latitudinem circunducatur per pucta media,sectionesq; ipsas respiciat vti polos circunductionis,tum secudus hic Circitor per sectiones in latitudinem circunfertur,puncta autem media respicit vti circunductionis polos:quare hic puncta media maxime in opposita per se mouet,ille sectiones:est autem secundus hic tum circunductione,tum & proprio motu multo velocior Saturno, siquidem diebus 378,hora 1,m.30 circunducitur in latitudinem,proprio autem motu retroducere Saturnum potest. Quoniam igitur & hic more Circitoru in vna medietate circunductionis in idem agitur cum planeta, in alia in oppositum,manifestum est,q & ipse modo planetam citat,modo retardat:nec retardat solum,sed successiue mox sistit, mox etiam retroducit: in contraria enim medietate si Circitor velocior planeta sit,primu quidem tardat solum,à principio scilicet primæ quartæ contrariæ, quu adhuc

A huc parua est oppositio,& anguli maiores,motusq; multum lateralis,pa rum recti habet:procedente vero motu,& crescente oppositione continenter,ad acutiores angulos peruenitur ad certũ pũctum,in quo vectio, & planetæ motus æquantur:ac tum planeta sistitur.mox crescẽte adhuc oppositione,& superante vectione retroductio planetæ fit:quæ cõtinue maior,& maior fit,donec ad subalternationem sit ventũ:in qua & oppositio tota recta est,& maxima retroductio.abinde vero cõminuitur rursus oppositio,ac rursus ad alium punctũ consistẽtiæ deuenitur,ac postremo ad motũ solum tardũ.oĩa igitur hęc potest in Saturnũ facere secũdus Circitor,qm̃ illo velocior est. Non sunt autem reuolutiones huius inęqualitatis inter se æquales,neq; totæ,neq; earum partes,quoniam multũ refert,in qua medietate contingant,an in ea,in qua ratione alterius Circitoris tardior planeta erat,an in qua velocior,præsertim circa pũcta maximæ tarditatis,& velocitatis: propter quæ inæquales redduntur reuolutiones secundæ huius inæqualitatis, verum per accidens hoc est: per se enim æquales omnes sunt,& si mensurentur per motum medium Circitoris primi.


Quòd autem in cõiunctione cum Sole velocissimus sit planeta, in oppositiõe tardissimus,causa est, q̃ hic secundus Circitor tum subalternus est cum planeta in medietate iuuante,quũ ille Soli coniunctus est, tum
B aũt subalternus est in medietate contraria, quum Soli oppositus est planeta:quo enim tempore Sol à coniunctione Saturni ad oppositionẽ trãsfertur, eo & Circitor ab vna subalternatione ad aliam sese agit:verum neq; perpetuum hoc est, vt in omni coniunctione velocissimus, in omni oppositione tardissimus sit planeta,nisi per medium motum primæ inęqualitatis mensura fiat.



Eius autem inæqualitatis, quæ in latitudine apparet, causa est idem secundus Circitor, qui per sectiones circunductus puncta media respicit,vti polos circunductionis, ac in opposita maxime mouet:quoniam autem mouet in omnia opposita,palam,quòd & ante,& retro,&dextra,&sinistra torquere potest, atque helices facere (quemadmodum & in Aplane dictum est) maximas quidem circa puncta media, quoniam illic maxima fit latitudo, quæ circa sectiones in conum desinit.

Vt autem clariora reddantur omnia, sit Ecliptica a b c:circulus Saturni a d c:punctus medius d: sectiones a & c.

moueatur autem Circitor à prima quarta iuuantium,quæ eſt ſeptentrionalis occidentalis,mouebit quidem & in longum,& in latus, in lõgum verſus orientem,in latus verſus eclypticam,& meridiem.ſi igitur planeta ſit vbi a in ſectione,ſeſe extra moturus,manifeſtum, ꝙ pulſus à Circitore in orientem ſimul,& meridiem verſus eclipticam,deſcribet portionem helicis primæ a e, motu veloci ac directo, atq; in e velociſsimus erit Circitore ſubalterno in medietate iuuante,in fine primæ quartæ,cũ quo ſit & Sol coniunctus in e. Rurſus vero moueat Circitor per aliam quartam, quæ eſt occidentalis meridionalis, in longum quidem pellet orientem verſus, in latus verſus ſeptẽtrionem.planeta igitur ab e deſcribet portionem e f, motu veloci minuente. deinde vero Circitore mouente à prima quarta contrariarum, quæ eſt meridionalis orientalis,pelletur quidem planeta in longum primo paululum in oriẽtem directus,mox ſtabit, mox retroagetur occidẽtem verſus,in latus vero verſus ſeptentrionem. deſignabit igitur portionem f g, Circitore ſubalterno in medietate cõtraria,ac planeta maxime ab ecliptica recedente,ac Soli oppoſito. poſtremo ſi à quarta vltima moueat Circitor, quæ eſt oriẽtalis ſeptentrionalis,agetur planeta in latus quidem verſus eclipticam,& meridiem,in longum vero retro primum,mox circa finem eius quartæ verſus orientem pauliſper, motu primum retrogrado,mox tardo ſolum:quare deſcribet portionem g h, peracta vna reuolutione Circitoris,atq; helice a e f g h,quæ minima quidẽ omnium eſt,quoniam latitudo fit maxima circa pũcta media,minor vero continenter verſus ſectiones:vnius enim circuli ſi medius punctus in oppoſitas partes pellatur,ſemper latitudo fit in medio,et in vẽtre maxima,minima circa extrema. Vt ſi circulus a d c ducatur in oppoſita circa b: latitudo maior erit d b e, verſus a autem,& c minor continue. pulſo igitur Saturni circulo in oppoſita circa medium,vbi d, deſcribũtur duo hinc inde circuli a ſ c, et a u c, in quibus latitudo fit maxima in ſ d u. Eſt autẽ dubitatio quædam circa ſectiones,quoniam in obſeruatis apparet planeta circa ſectiões in ecliptica nõ ſo-



lum

A lum in puncto sectionis,sed modo ante,modo post.vt si ecliptica sit d b c: sectio vbi a: apparet quidem planeta non solum vbi a, sed etiam vbi d, et vbi e, in ecliptica: per traditum autem modum non videtur posse in alio puncto videri,quàm in a, vbi sectio: nullus enim alius est punctus in Saturni circulo,qui eclipticam contingat,nisi sectionis punctus.

Ad quod dicimus,quum circulus Saturni a d c,accedit ad eclipticã a b c, sitq; circulus a e c, tunc ille adeo propinquus eclipticæ sit iuxta sectiones,vt discerni non posit per certum spatium,an planeta sit in ecliptica,an extra:quam ob rem in ecliptica esse videatur: vnde & astronomi subalternum dixere fieri in sectionibus cum ecliptica medium circulum epicycli.

Est autem & alia quædam dubitatio tum circa Circitorem primum, tum & circa secundum:videtur enim vterque tantum debere in latitudinem mouere,quantum in longitudinem mouet: at certe primus Circitor in latitudinem aut nihil,aut quam minimum mouebat,in longitudinem vero multum,modo citans,modo tardans planetam:secundus quoque,& si quandam latitudinem facit circa helices,non tamen tantum in latus mouet,quantum in longum:si quidem Ptolemæus scribit latitudinem maximam,quæ circa puncta media fit, non esse maiorem, q̃ gr.7, quod vero in longum præstat,longe plus est. Ad quæ dicimus in vtroq;
B causam esse Anticircitores suos,qui latitudinẽ minuũt,vt iam dicemus.

De ordine,& numero orbium seruientium Saturno. *Cap. 21.*

VIdẽtur autem,qui ad Saturnum orbes attinẽt,omnes numero decem:duo enim quum sint Circitores,vnusquisq; autem Circitor, qui non tantum in latus moueat,qnantum in longum, quinq; orbibus egeat,vt in Aplane monstratum est,fit quidem,vt in Saturno ad demonstranda,quæ apparent,decem orbibus opus sit.Ordo igitur prioris Circitoris in quinque consistit orbibus,Circunducente,Circitore, Contraueсto,Anticircitore, & suo Contraueсto, quorum primus est Circunducens,qui sub Aplane in latitudinem per se fertur per puncta media inter sectiones:circunfertur autẽ Saturno par,annis 29, diebus 162, horis 12. sub eo est prior Circitor,qui eodem tempore simul in latitudinem ducitur à prædicto,per se autem in opposita omnia mouet Saturno tardior: sub quo est Contraueсtus suus,qui super polis Circunducentis cõtrafertur in latitudinem illo duplo velocior: mouetur autem hic à Circitore trepidationis motu(vt in alijs dictum est.) Ab eo sequitur anticircitor, qui,vti & in Aplane diximus,in latitudine quidem semper opponit̃ Circitori,aut æqualis illi,aut quàm minimum cedens,in longitudinem vero

ro ſemper in idem agitur cũm Circitore: ex quo fit vt non tantum in latus moueatur Saturnus, quantum in longum, ſub quo eſt vltimus Cõtrauectus, à quo fit, vt reliqui qui infra ſunt, non circũferãtur in latitudinẽ. C

Ab his ſequitur ordo Circitoris ſecundi, in quinq; orbibus pariter cõſtitutus circunducente, Circitore, Cõtrauecto, Anticircitore, & vltimo Contrauecto: quorum primum eſt circunducens, qui nõ per puncta media (vti prior) ſed per ſectiones circumagitur in latitudinem, ac circuitionem explet diebus 378, hora 1, m̃. 30 fere: cuius reuolutiones 57 fiunt in annis Aegyptijs 59, die 1, horis circiter 18. Sub eo eſt ſecũdus Circitor, qui eodem tempore circunducitur à prædicto in latitudinem, cæterum ꝓprio motu in oppoſita omnia mouet multo velocior Saturno: ſub quo eſt Contrauectus ſuus per trepidationem ab eo agitatus, duplo velocior Circunducente: A quo ſequitur Anticircitor alter, qui per ſe ſemper opponitur in latitudine Circitori, nõ autem æqualis illi, ſed tamen tantum contranitens, quantum ſatis eſt, vt latitudo in Saturno non maior fiat, q̃ gr. 7: ac demum eſt vltimus Contrauectus: ſub quibus omnibus eſt Saturni orbis planetam ferens, qui ab occidente in orientem actus circuitionẽ explet annis 29, diebus 162, horis 12, in vna medietate tardior, in alia velocior, & inſuper modo directus, & velox, modo conſiſtens, modo & retrogradus per helices (vt diximus) inæquales circumactus. Ac de Saturno quidem hactenus dictum ſit. D

DE IOVE.

De ijs, quæ circa Iouem apparent. Cap. 22.



IDENTVR Planetę conuenientias inter ſe partiti, ſuperiores .n. tres Saturnus, Iuppiter, & Mars cõmunia fere omnia habent, & magnopere vnus cum alio cõſentit: Venus vero cum Mercurio, Sol cum Luna. quapropter, quæ de Saturno dicta ſunt, eadẽ quaſi repetẽtur & in Ioue, de quo conſequẽter agẽdũ eſt, qm̃ à Saturno inter planetas ſtatim ſequitur. Ergo ꝙ & Iuppiter ab ortu in occaſum feratur diebus ſingulis à primo mobili, tardius q̃ dẽ Saturno, cęteris citius: tũ & ꝙ proprium ipſe motũ habeat huic obliquũ, declaratũ ſatis eſt ſupra. obſeruant autẽ circuitionẽ ſuã ipſum obire annis circiter 12, hoc eſt annis 11, diebus 313, horis

Medius motus circuitionis.

gr.	m̃.	ſec.	ter.	quar.	quin.	ſex.	
0	0	12	25	6	6	56	hore.
0	4	19	14	26	46	31	dies.
2	29	37	13	23	15	30	mẽſes.

A horis 20. Secat autē tum ęquinoctialem, tum & eclipticam. sectiones ecliptic æ altera nostro tempore in cancro traditur gr. 23, altera in capricorno. Illud vero mirum fortasse videri hoc in orbe potest, quod quum superiores, vt dictum est, trahant inferiores, Iuppiter tamen à Saturno minime trahi videtur. Sunt aūt in eius motu inæqualitates non paucę, in primis illa, quæ & in Aplane, & Saturno dicta est, quod scilicet in vna medietate tardior, in alia velocior spectatur: tardior quidem in ea, quæ est à cancro ad capricornum per virginē, velocior vero in ea, quæ à capricorno ad cācrum per pisces: punctus aūt maximæ tarditatis in virgine, maximæ velocitatis in piscibus gr. 23. Sed nec minus secundam inæqualitatem directionis, status, & retrogradationis habere cernitur, siquidem singulis 13 mensibus diebus 8, horis ferè 21 certa periodo modo directus, & velox, modo tardus tantum, modo stans, modo retrogradus apparet: cuius inęqualitatis reuolutiones 65 annotantur fieri in annis Aegyptijs 71: quas item reuolutiones, si inter se compares, æquales non reperias.



Ad Solem quoq; eandē habere rationem cōstat, quam & Saturnus habuit, vt in coniunctione velocissimus, in oppositione tardissimus videatur.

At vero & in latitudine eadem quoque sortitus est, quæ Saturnus, in omni enim reuolutione inæ-
B qualitatis secundæ ad eclipticam modo accedere, modo abscedere spectatur, accedere directus, & velox, & Soli coniunctus, abscedere vero tardus & retrogradus, totum vero motum per consimiles helices obire, quarum, quæ prope sectiones sunt, minimæ, quæ circa puncta media, maximæ sunt. prima helix a e f g h, secunda h k l m n, & reliquæ.

Latitudo autem, quæ circa puncta media fit maxima, gr. 4 tradi solet.

De causis apparentium in Ioue. *Cap. 23.*

HOrū igitur causas astronomi per ecētricū atq; epicyclum reddūt, primā inæqualitatem ecentrico, scdām epicyclo asignātes, & itē eā, quæ in latitudine fit: modus aūt idē, qui & in Saturno dictus est. Cur aūt non simul cū Saturno trahatur Iuppiter, nulli quidē dixere, quod certe iniuste neglectū videtur: si. n. in alijs multis videbant inferiores orbes à superioribus trahi, debebāt saltē dubitare, cur idem & in Ioue nō fiat.

Nos autem ab hoc primum incipientes dicimus ob id contingere, quod sub Saturno alius orbis sit, qui in longitudinem illi contraferatur.

Ad ea vero, quæ in latitudine apparent in Saturno, Contrauectos po A
nere non est nobis necessarium visum, ꝙ confundi ea accidit cum Circi
toribus Iouis & Circunducentibus: quanto enim pauciores inducere or
bes possumus, tanto gratius & planius futurum existimamus. Quòd
autem in vna medietate tardior, in alia velocior agatur Iuppiter, causam
primo Circitori damus: habet enim & ipse, quẽadmodum & Saturnus,
Circitores duos, quorum prior in latitudinem circunducitur Ioui tem-
pore par, proprio autem motu tardior; cæterum modo in idem cum Io-
ue, modo in oppositum fertur: quare & modo citat, modo retardat: ea ve
ro proportione ad planetam se habet, vt tum subalternus sit in medieta-
te contraria, quum planeta in gr. 23 virginis inuenitur, vbi est maximæ
tarditatis punctus: quum vero planeta in gr. 23 piscium versatur, tũ Cir-
citor in iuuante medietate subalternus fit Ioui: quare & illic punctus ma
ximæ velocitatis enascitur. Commodissime autem fit hæc proportio,
quoniam circunductio Circitoris æqualis est motui Iouis: variantur aũt
puncta hæc ob Aplanes motum, vt & in Saturno dictum est.

Secundam autem inæqualitatem directionis, & retrogradationis al-
teri Circitori ascribimus, qui tum circunductione, tũ proprio motu ve-
locior multo est Ioue: siquidem circunducitur anno vno, mense vno, die
bus 3, horis fere 15: vnde reuolutiones 65 in annis 71 conficiuntur: ꝓ-
prio autem motu retroducere planetam potest. ergo et hic, quoniam mo D
do in idem, modo in oppositum fertur, nunc quidẽ planetam citat, nũc
retardat pro natura conditioneq; Circitorum, nec tardat solum, sed & si
stit, atq; etiam retroducit, quoniam velocior est Ioue.

Quòd vero velocissimus sit, quum Soli coniunctus est, tardissimus,
quum opponitur, causa eadem est, quę & in Saturno dicta est: commune
enim habuere tres superiores planetæ, vt quo tempore Sol à coniunctio-
nibus eorum ad oppositiões sese traducit, eodem et Circitor ab vna sub-
alternatione ad aliam sese conuertat. oportet autem mensurare per mo-
tum medium quod dictum est, alioqui perpetuum non erit, vt Iuppiter
in coniunctione velocissimus sit, in oppositione tardissimus.

Porrò quæ in latitudine in Ioue apparent, eodem modo contingunt,
quo & in Saturno dicebatur: Circitore. n. secundo ꝑ sectiones in latitudi
nẽ acto puncta media maxime in opposita ducũtur, vnde & consimiles
helices fiunt nullo alio ab ijs, quæ in Saturno fiebant, differẽtes, nisi ꝙ Io
uis helices productiores sunt, & directionem longiorem habent.

De ordine orbium Iouis. *Cap. 24.*

QVi vero ad Iouem orbes pertinẽt, vndecim ad summum omnes
sunt: quorum primus est solitarius ille Contrauectus, qui statim
sub



A ſub Saturno ſubeſt: Reliqui vero decem ſunt, quinque ad priorem Circitorem attinentes, & quinq; ad ſecundũ. In primo ordine eſt primus Circunducens, qui per puncta media in latitudinem ſeſe conuertit Ioui par: ſecundus eſt Circitor primus, qui circunductione & ipſe Ioui par eſt, ꝓprio autem motu tardior: ſub quo eſt Contrauectus ſuus duplo velocior Circunducente: ac ſub eo Anticircitor, qui Circitori ſemper opponitur in latitudine, aut par illi, aut modicum quid cedens: nam & in prima inæqualitate quandam inſenſibilem latitudinem diligentiores notant: ſub eo eſt ſuus Contrauectus. Secũdi autem ordinis primus eſt Circũducẽs, qui per ſectiones in latitudinem agitur menſibus 13, diebus 8, horis circiter 21: ſub quo eſt ſecundus Circitor, per eaſdem ſectiones circũductus, proprio autem motu puncta media in oppoſita maxime mouens: ac ſub eo eſt Contrauectus ſuus: & ſub ipſo Anticircitor alter, qui in latitudine ſeſe eatenus Circitori opponitur, vt latitudo, quæ in punctis medijs maxima fit, non maior inueniatur q̃ gr. 4: à quo poſtremo eſt Cõtrauectus ſuus, & ſub ipſo Iuppiter, qui per tot inæqualitates actus orbem demum obit annis 11, diebus 313, horis ferè 20: ita igitur ſe habet & Iuppiter.

DE MARTE.

B *De ijs, quæ in Marte apparent.* *Cap. 25.*



MARS, qui proximum locum inter planetas Ioui tenet, communia, ferè omnia cum prædictis habet. Motum ipſe ſuum annis fere duobus explet, hoc eſt anno 1, diebus 321, horis circiter 23. medius autem circulus eius tum æquinoctialem, tum & eclipticam ſecat: ſectiones eclipticæ altera in Tauro gr. 15, altera in ſcorpio tẽpeſtate noſtra traduntur: puncta media in aquario & leone. Habet itẽ Mars, vt nec ipſe cum Ioue rapiatur. Porrò & primã quoq; inæqualitatem ſuſtinet, vt in vna medietate tardior, in alia velocior feratur, tardior quidem in ea, quæ eſt à Tauro ad ſcorpium per leonem, velocior in alia, quæ eſt à ſcorpio ad Taurũ per aquarium: quare hic eſt pũctus maxime velocitatis, illic maximæ tarditatis. coincidunt autem puncta hæc maximæ tarditatis, & velocitatis cum punctis medijs.

Medius motus circuitionis.

Gr.	m.	ſec.	ter.	quar.	quin.	ſex.	
0	1	18	36	32	51	39	hore.
0	31	26	30	53	51	36	dies.
15	43	18	26	55	46	30	menſes.

At vero & ſecũdam quoque inæqualitatem directionis, ſtatus, & re-

trogradationis habet,cuius reuolutiones 37 fieri in annis 79, diebus 3, C
horis fere 8 Ptolemæus tradit:
quæ quidem reuolutiones nec
æquales quidem inter se sunt.

Ad Solem præterea eodem
se habet modo, quo & prædi-
cti duo,nam & ipse in coniun
ctione velocißimus, in oppoſi
tio ne tardißimus cernitur.

Gr.	m̃.	sec.	ter.	quar.	quin.	sex.	
0	11	9	14	10	48	22	hore.
0	27	41	40	19	20	58	dies.
13	50	50	9	40	29	0	mẽses

Tota reuolutio.
Diebus 779. horis 5.

Ad hæc autem & in latitudine quoque easdem inæqualitates patitur, nam aliorum more per helices modo ad eclipticam accedit directus, & velox,modo recedit tardus,& retrogradus.

Quod autem mirum videri potest in hoc planeta,illud est,ꝙ maxima latitudo,quæ circa puncta media fit,maior quidem in parte australi,q̃ in parte septentrionali annotatur,quando in parte australi gr.circiter 7 mẽ suratur,in septentrionali gr.4,m̃.fere 20: quum in alijs æqualis vtrinq; sit, quãquã et in Saturno paruum nescio quid difformis latitudinis quidam conspexerint.

De causis apparentium in Marte. *Cap.26.*

Horum igitur omnium causas Astronomi per Ecentricũ,&Epicy D
clum aßignant eo pacto,quo & in prędictis dictum est·quanq̃ nõ parum in eo laborent,cur latitudo in vna parte maior,q̃ in alia sit.

Nos è Circitorum ratione causas omnium reddemus:primam autem inæqualitatem facit Circitor primus, qui per sectiones circunductus in latitudinem puncta media maximæ in opposita per se mouet: est autem circunductione Marti par,proprio motu tardior:hic ergo quandoq; planetam citat,quandoque tardat,ea proportione, vt quum planeta ad gr. 15 leonis peruenit,tum Circitor subalternus sit in contraria medietate, subalternus vero in propitia,quũ planeta ad gr.15 aquarij perductus est: quare hic punctus maximę velocitatis,illic maximæ tarditatis inuenit.

Eius autem inæqualitatis,quæ directionem,& retrogradationem facit,causa est secundus Circitor,qui & ipse per sectiones circunductus in latitudinem puncta media in opposita potißimum agit: verum circũductione tardior Marte est,proprio motu velocior:circunducitur enim annis duobus mense 1,diebus fere 19:vnde & reuolutiones 37 fiunt in annis 79,diebus 3,horis fere 12: quo tempore modo in idem cũ planeta, modo in oppositum fertur:quare & modo concitat,modo retardat,ac si stit, & etiam retroducit,quoniam Marte velocior est: velocißimus autẽ

est

A est in coniunctione cum Sole, tardissimus in oppositione propter superius, & in alijs dictam causam, quia in coniunctione subalternus est Circitor in medietate iuuante, in oppositione subalternus est in contraria: quod per se intelligi debet, & in medio motu respectu primi Circitoris: Similiter & quia diximus motum explere Martem anno 1, diebus 321, horis 23, per se intelligendum est, nam interdum fit, vt citius eum motum obeat, interdum vt tardius: cuius causa est, quòd in circuitione planetæ quãdoque intercidit solum motus iuuans absque retrogradatione, interdum itercidit & retrogradatio aut tota, aut in parte: quæ fieri iccirco possunt, quòd circunductio Circitoris longe tardior & diuturnior est, quàm planetæ reuolutio.

Eorum vero, quæ in latitudine apparent, causa est secundus Circitor, qui in opposita omnia mouens per helices Martem agit: nihil enim in hoc ab alijs differt, nisi quòd helices Martis quàm longissimam habent directionem.

Illud vero dignum est postremo inquiri, cur fiat, vt maxima latitudo, maior tamen in parte australi sit, quàm in parte septentrionali, quod vel facillimum visu est, quo pacto fiat. Facit autem hoc Circitor primus, qui in parte septentrionali latitudinem impedit, ne maior fiat, in australi vero adiuuat, vt expandatur: quoniam enim ille circunductione æqualis

B Marti est, dum planeta à sectione transit ad punctum medium in parte septentrionali superiori, Circitor ipse per secundam quartam iuuãtium mouebitur, quæ est septentrionalis occidentalis: pellet igitur planetæ circulum in latitudinem versus eclipticam, & meridiem, ac impediet, ne maximam acquirat latitudinem in ea parte. Porrò planeta à puncto medio in aliam sectionem delato, Circitor obibit aliam quartam, quæ est septentrionalis orientalis: deinde vero dum planeta à sectione in aliud pũctum medium transibit in parte inferiori australi, Circitor aliam quartam percurret, quæ est meridionalis orientalis, à qua mouebit planetæ circulum in superiori parte versus septentrionem, in inferiori versus meridiem: in qua quum & planeta sit in puncto medio, vbi latitudo fit maxima, clarum est illic dilatari latitudinem versus austrum, & ab ecliptica magis, quàm fieret in superiori medietate in puncto medio: hoc igitur facit primus Circitor, quando secundus alter Circitor per se vtrinque æqualem latitudinem operatur. In alijs autem planetis idem non eueniebat, aut saltem manifeste non eueniebat, quoniam in ijs Anticircitor adhibebatur, hic autem Circitor Anticircitorem non habet, quare in latus mouere potest.

De ordine orbium Martis. Cap. 27. C

ORbes autem, qui Marti quodammodo famulantur, nouem numero omnes sunt: quorum primus est solitarius ille Contrauectus, qui statim sub Ioue subest, à quo fit, ne reliqui circunducantur ab orbe Iouis. Ab hoc sequitur ordo Circitoris primi, in qui in tribus tantum consistit, Circunducēte, Circitore, & Contrauecto, Anticircitorem autem non habet. Circunducens autem per sectiones in latitudinem per se fertur Marti æqualis, sub quo est Circitor primus, ac sub eo Contrauectus suus. Hos sequitur ordo Circitoris alterius, qui in orbibus quinque consistit, Anticircitorem enim hic habet, quoniam non tantum in latus, quantum in longum mouet: primus horum est Circunducens, qui etiam per sectiones in latitudinem circumagitur annis 2, mense 1, diebus 19, horis 5 ferè: sub eo Cōtrauectus suus, ac sub ipso Anticircitor, qui eo vsque Circitori in latitudine opponitur, quo latitudo per se non maior gr. 5, & medio fiat: cui demum suus quoque Contrauectus subijcitur, ac sub omnibus Orbis Martis, qui per varias helices totum zodiacum obit anno 1, diebus 321, horis 23.

SECTIO TERTIA.

DE SOLE. D

De ijs, quæ circa Solem apparent. Cap. I.



HACTENVS de Aplane, & superioribus tribus planetis, quibus ferantur motibus, & quo pacto, & quibus concurrentibus sphæris, dictum est: nunc prosequamur de Sole, qui veluti cor, ac decus vniuersi cœli, mediū inter planetas locum tenet, ad quem cæteri omnes quandam certe relationem habere manifestum est. Præmittantur autem & circa ipsum in primis, quæ apparent, quæq; obseruata traduntur: mox de causis eorum dicemus. Primum ergo illud constat non rapi ipsum ab orbe Martis in motu eius proprio: ꝙ vero ab ortu in occasum diebus singulis circūferatur, tum & ꝙ proprium ipse motum huic obliquum habeat, superius declaratum est satis. Medius autem circulus eius æquino-

Medius motus circuitionis.

Gr.	m̄.	sec.	ter.	quar.	quin.	sex.	
0	2	27	50	43	3	1	hore.
0	59	8	17	13	12	31	dies.
29	30	8	36	36	15	30	mēses.

A æquinoctialem ſecat in eiſdem punctis, in quibus & Aplane, quæ æquinoctia pũcta vocantur, quare & ſubalternus cum Aplane per medium zodiaci circulum fertur, qui eclipticus vocatur: totam vero circuitionẽ conficit diebus 365, horis fere ſex. per motũ igitur, qui ab ortu in occaſum ducit, dies & noctes facit, per propriũ autem annos, & anni tẽpora.

Sunt autem & circa Solem diuerſitates non paucæ tum in motu, quo dies & noctes facit, tum in eo, quo annos, tum & circa maximã ab æquinoctiali declinationem, vbi Tropici vocati ſunt.

Diem autem quandoq; appellant id totum tempus, quo Sol ſupra horizontem eſt, noctem vero id totum, quo ſub horizonte conditur, qui ciuilis dies & nox ab aliquibus vocatur, ab aliquibus dies, & nox artificialis: quandoque autem diem vocant integram Solis conuerſionem ab ortu ad ortum, vel ab occaſu ad occaſum, vel à meridie ad meridiem, vel à media nocte ad mediam noctẽ, vt cuiq; libet diei initium auſpicari: qui ſolet dies naturalis appellari. Eſt autem conuerſio hęc Solis eo ſerior cõuerſione primi orbis, quo Sol per ſe poteſt primo orbi in vna ſui conuerſione contraferri, quod ferè eſt id paululum temporis, quo m̃.59, ſec.8 cõfici à Sole per raptum poſſunt.

Sunt ergo circa dies tum ciuiles, tum naturales diuerſitates plurimæ, de quibus omnibus agere ſi ſtudeamus, curioſi fortaſſe videamur, & circa puerilia verſari: at tamen ſi quàm breuiſsime & non affectate de præcipuis egerimus, nulli quidem moleſtum (vt arbitramur) pluribus autem gratum futurum exiſtimamus. Ergo circa ciuiles dies id primum apparet, q̄ dies quandoq; nocti æqualis eſt, quandoq; maior, quandoq; minor: æqualis quidem, quũ Sol in æquinoctiali circulo eſt, quod bis in anno contingit, quo tempore æquinoctium in toto orbe ſpectatur: maior autem fit nocte dies, quum Sol ab æquinoctiali recedit, in ea enim parte, in quam ſeſe ipſe transfert, maiorem ſemper apportat diẽ, noctem minorem: quod eo vſque fit, quo Sol ad Tropicum peruenit, in quo dies cõtingit omnium aliarum maxima: inde vero rediés ſenſim comminuit diẽ, donec rurſus in æquinoctialem reuerſus nocti eum coæquet: in oppoſita vero parte contraria operatur, ac noctes illic die maiores producit.

Non eſt præterea eorundem dierum quantitas eadem ſingulis terrã incolentibus, exceptis æquinoctij diebus: quippe qui ſub ęquinoctiali degunt, æquinoctium ſemper habent, reliqui omnes inæquales dies habẽt, qua enim in parte eſt Sol, tanto maiorem diem omnes habent, quãto ab æquinoctiali diſtat magis, noctem minorem: in oppoſita vero contrariũ accidit. Horum igitur quibuſdam ciuilis dies ſemper minor eſt naturali, quibuſdam æqualis, quibuſdam ſemper maior: etenim aliqui ſunt, qui

dies naturales duas semper Solem in conspectu habent, alij tres, alij quatuor, & ita deinceps: quinimo & quibusdã vnus cõtinuus mẽsis est dies, quibusdam duo menses, quibusdam tres, alijs quatuor, alijs quinq;, ac demum & non nullis sex menses diem vnum continuum traducunt. C

At vero & circa dies, quas naturales vocant, diuersitates quædam visuntur: nam primum si Solis cõuersiones inter se compares, æquales quidem non reperias, sed alias lõgiores, alias breuiores: breuiores obseruãt, quæ fiunt Sole in septentrionali parte versante, longiores, quæ in parte australi: breuiores item in vtraq; parte cæteris paribus, quum Sol circa sectiones degit, longiores quum circa Tropicos. Sunt ergo naturaliũ dierum aliæ longissimæ, aliæ breuissimæ, aliæ mediocres: atq; in mediocribus obseruant die vna peragere Solem motu proprio m̃. 59, sec. 8 fere, in minimis m̃. 57, in maximis gr. 1, m̃. 1 ferme. Ad hæc breuiores, & citius ad ortus suos redeũtes videntur conuersiones illæ, quas Sol obit à capricorno ad cancrum per arietem, tardiores vero, & productiores, quas agit à cancro ad capricornum per libram: atque hęc quidem circa dies tũ artificiales, tum & naturales spectantur. nunc de annua diuersitate dicamus.

Annum autem appellamus id totum tempus, quod Sol per proprium motum absumit, dum ab eodem in idem redit: id autem, ad quod redit, esse potest vel stella aliqua è non errantibus, vel certus punctus zodiaco designatus, qualia aut æquinoctia, aut solstitia sunt. Antiqui igitur annum metiebantur per reditum Solis ad certam stellam, ac tunc completum annum intelligebant, quum Sol ad eandem stellam redijsset, à qua prius recesserat. Posterioribus vero visum est non à stellis annum dimetiendum fore, sed aut ab æquinoctio pũcto, aut solstitio: quod conueniẽtius iudicatum iccirco fuit, ꝙ annus sequitur proprium Solis motũ, peractus autem circularis motus vnusquisq;, quum circulum per se cõfecit, quod in Sole habere locum potest vel per æquinoctium punctum, vel ꝑ solstitium: per reditum autem ad certam stellam locum non habet, quoniam (vt diximus) stellæ proprium & ipsæ motum habent, quare reuertẽte Sole ad pũctum, in quo stellam reliquit, non tamẽ illic eam offendet, vtpote aliquanto inde digressam, cui si se coniungere debet, plus circulo conficiat, necesse est: non igitur recte annus is dicitur, qui plus circulo cõtinet: cui rei aduersantur, qui trepidationem induxere, sicut enim annus recte non is dicitur, qui plus circulo continet, ita nec, qui minus circulo continet, annus recte dicetur: at per ea, quæ supra sunt demonstrata, si Aplane per trepidationẽ mouetur, sequitur Solem redire prius ad æquinoctium punctum, quàm ad punctum eum, qui circulum præcise claudit, à D

dit, à

A dit,à quo receſſerat prius:qua de cauſa & hi annum per certam ſtellam dimetiendũ voluere,quod certe rectius eſt,ſi per trepidationem Aplane mouetur:at ſi nõ per trepidationem agitur,rectius eſt ab æquinoctio,vel ſolſtitio annum metiri:rectius etiãnum eſt ab æquinoctio,quoniã ſolſtitij punctum exacte habere difficilius multo eſt, quando circa ſolſtitium vmbra per tres & amplius dies nullam ſenſibilem mutationem facit.

Sunt autem & in annuo motu diuerſitates non negligendæ, tum in vno anno,tum & in pluribus inter ſe collatis:ac primum in vno anno ea quoq; in Sole inæqualitas obſeruatur,quam prædicti omnes habuere,nã & ipſe in vna medietate tardior,in alia velocior ferri cõſpicitur, tardior quidem in ſeptentrionali,velocior in auſtrali:ſiquidem auſtralem perfici diebus 178, ſeptentrionalẽ 187 ſcribunt:quinimo & plus moræ trahere Solem in prima quarta zodiaci ab ariete ad cãcrum Ptolemæus tradit,minus in alia . punctum autem maximæ tarditatis Ptolemæi temporibus ſcribunt fuiſſe in geminis,maximæ velocitatis in ſagittario. Verũ duo hæc noſtris annis immutata videntur,nam nec pũctus maximæ tarditatis in geminis eſt,ſed in cancro,gr.fere primo,nec prima quarta tardius obitur,quàm ſecunda.

Circa plures autem annos collatos inuicem multa etiamnum diuerſitas inuenitur,ac primum in ratione menſuraq; annui temporis,quæ cer-
B te uaria admodũ & diuerſa diuerſis tẽporibus eſt obſeruata: priſci enim annum inuenere ex diebus conſtare 365,& quadrante præciſe, hoc eſt horis ſex:tanto enim tempore ab æquinoctio ad æquinoctium redire Solem obſeruauere. Poſteriores vero non plane eam mẽſuram comperere,deeſſe enim quadranti paululum neſcio quid, quod Ptolemęus dixit eſſe vnam tercenteſimam diei,quæ ſunt m̃.circiter 4,ſec.12 horæ: quam rem cognouit videns Solem in annis 300 redire ad æquinoctium vna die prius,quàm computatio facta per quadrãtem integrum daret: ſignũ id fuit ſingulis annis ex ijs 300 deeſſe vnam tercenteſimam diei partẽ, ac menſurã per quadrantem factam in annis 300 vnam diẽ plus apportare,quàm in re eſſet. Verum,tametſi ita ſuo tempore Ptolemæus inuenit,perpetuum tamen deinceps non fuit,quãdo Albatenius poſt ipſum accuratiſsime annuũ tempus metitus vidit tempeſtate ſua quadrãti plus etiam deeſſe,q̃ Ptolemæus animaduerterit,non enim vnam tercẽteſimã diei,ſed vnam centeſimam deeſſe,quæ ſunt m̃.15,ſec.12 horæ fere:quod & ipſe eodem modo cognouit,quo & Ptolemæus,videns in annis 100 anticipari æquinoctium à Sole vna die prius, quàm ratio per quadrantem poſceret.Sed neq; hoc etiam,quod Albatenius inuenit,ratum multo poſt fuit,ſiquidẽ alij obſeruauere non vnam centeſimam, ſed vnã centeſimam

teſimam


tesimam trigesimam sextam deesse quadranti, quòd singulis 136 annis C
præueniret æquinoctium prius vna die, quàm ratio quadrantis expostularet. Quod quidem neque ipsum diu firmum fuit, quando alij aliter etiam depræhendêre: qua in re non fuere quidem variæ opiniones, sed variæ magis obseruationes, & diuersis temporibus diuersę annui temporis mensuræ compertæ.

Ad hæc autem & circa Tropicos Solis, hoc est circa maximā ab æquinoctiali declinationem spectatur etiamnum diuersitas sua, quando declinationem illam per diuersitates annorum mutari constat. tradidit Ptolemæus per ea, quæ suo tempore obseruauit, declinationem Solis maximā esse gr. 23, m̄. 51. Albatenius vero post ipsum comperit eam gr. 23, m̄. 35. Nostris autem annis Ioannes è monte Regio retulit annotasse Solis declinationem gr. 23, m̄. 28. quod & nos quoque diligenti obseruatione comperimus, neque enim eiusmodi obseruatio difficilis admodum est. quam Tropicorum inæqualitatem & antiqui quoque ante Ptolemęum animaduertisse videntur.


Postremo & illud in Sole apparet, ꝙ existens in septentrionali parte & minor, & remotior videtur nobis, in australi vero maior, & propinquior. Eclipses quoque Solis, quæ fiunt in septētrione, maiores multo cō spiciuntur, q̄ quæ in meridie. Atq; hæc ferè sunt, quæ circa Solem spectātur, quibus & illud addere dignum est, quod Pomponius Mela de Aegyptijs refert, fuisse olim, quum inde oriretur Sol, vnde nunc occidit, atque inde occidisse, vnde nunc oritur: cuius rei bene erit rationem habere, & videre, verum ne esse posit, & quomodo. D

De causis diuersitatis dierum ciuilium. *Cap. 2.*

HOrum igitur omnium causas tentantes reddere quędam quidem cum alijs communia recipiemus, quædam vero nō communia afferemus. Quoniam igitur medius circulus, quæ est ecliptica, æquinoctialem secat in duobus illis punctis, quę ęquinoctia vocantur, hinc vero ad ęstiuum inde ad hibernū pertingit circulum, necesse est Solem circulum suum anno vno totum percurrētem, bis in æquinoctiali videri, bis quoq; in omni parallelo, qui intra Tropicos continetur: in ipsis autem Tropicis semel in æstiuo, semel in hiberno. Aequinoctialis a b: Tropicus æstiuus c: hibernus d: ecliptica a c b d: æquinoctium vernum a: autumnale b. ergo in æquinoctiali quum Sol est, ęqualem




A lem necesse est fieri nocti diem: quoniam horizon cuiusque terram incolentis æquinoctialem diuidit in duo æqualia, transit enim per centrum: quare arcus, qui supra horizontem est, æqualis est illi, qui infra: dies autẽ fit in arcu supra horizontem, nox in arcu infra horizontem: dies ergo nocti æqualis fit. Sit æquinoctialis a b: horizon rectus c d: Sol in æquinoctiali, vbi a: palam ꝙ dies erit in tota h a, nox in tota h b: sed h a æqualis est h b, quia exeunt à centro ad circunferentiam circuli a d b c: dies ergo erit æqualis nocti. Rursus horizon obliquus habitantis, vbi g, sit e f, dies consimiliter erit in tota h a, nox in tota h b: quare & æquales.



Sed habet dubitationem, quod dictum est omnem horizontem secare æquinoctialem in duo æqualia, sic enim oporteret nos è centro terræ videre, sola nanque ea linea, quæ per centrum terræ pertransit, diuidere in duo æqualia æquinoctialem potest, quum autem non à centro, sed à superficie terræ fiat visus, non videtur horizon æquinoctialem diuidere, si enim per lineam ęquidistantem lineę centri aspectus sit, vt per b c, tunc minorem


B sphæræ portionem videbimus c h k, si vero sit per lineam secantem centri lineam, vt per b f, tum maiorem sphæræ portionem aspicie mus f h l: terra sit a b, linea centri a d.




Dicendum aspectum nostrum fieri per lineam æquidistantem lineæ centri, vt per b c, sic enim Astronomica instrumẽta omnia in vsu sunt, quanquam enim videatur fortasse aspectus esse debere per lineam secantem centri lineam, vt per b f, quoniam terra, mareq; sphærica sunt, in sphæra autem summus punctus non impeditur ab alijs, non tamen ita est, vt per lineam secantem, vt per b f, videamus, quoniam non impediri summum punctum in sphæra locum habet in Mathematica sphæra, in naturali autem non, quia ne dum terra, sed & mare veluti planam superficiem per multum spatij habet: vnde fit, vt non per secantem lineam, sed per æquidistantem videamus: distantia autem huius lineę à linea centri tanta est, quanta est semidiameter terræ: sed certe spatium hoc semidiametri terræ in zodiaco propter immensam distantiam basim in aspectu nostro non facit, neque in oculo angu-


ium : quare neque pars vlla è notis est in vniuerso non gradus, non minutum, non secundum, non tertium, non denique aliud è nominatis: quam ob causam quantum ad visum attinet, æquales dicendæ sunt sphæræ partes, quas horizon vnusquisque secat. atque hoc pacto æquinoctiũ accipiendum est. C

Ab æquinoctiali vero quum digreditur Sol, in eam partem, in quam diuertit, maiorem semper apportat diem vsque ad Tropicum, quoniam obliquus est illis horizon omnis, & semper deprimitur sub recto horizõte: maior igitur semper est arcus qui supra horizõtem est, quàm qui infra: in opposita vero parte oppositum. Sit æquinoctialis a b c, horizon rectus p q, obliquus d e, Sol in parte septentrionali, vbi f, palam quòd dies erit in tota f g, nox in tota g h: maior autem est f g: in opposita vero parte dies erit in tota m n, nox in tota n o: maior autem est n o. Maior item fit dies, quanto Sol magis ab æquinoctiali recedit, vt si sit, vbi i: dies enim erit in tota k i, nox in tota k l: maior autem est k i non solum k l, sed & f g: quam ob rem in Tropico, vbi maxima est amotio Solis ab æquinoctiali, maxima etiam omnium aliarum dies producitur: propter eandem causam & quanto aliqui longius siti sunt ab æquinoctiali, tanto maiorem diem habent, maior est enim dies ijs, qui sunt, vbi i, quàm ijs, qui sunt, vbi f, quoniam his horizon minus depræssus est, vt d e, illis depressior, vt m n: qui igitur sunt, vbi i, diem habent in tota k i: qui vero, vbi f, diem habent in tota g f: maior autem est k i, quàm g f. D







Ergo qui sub arctico circulo degunt, ijs ciuilis dies æqualis est naturali, vnum enim diem habẽt integrum ex horis 24, & in opposita parte noctem vnam horarum 24: quod iccirco fit, quia horizon eorum extremas zodiaci declinationes attingit. Vt si æquinoctialis sit a b c, æstiuus circulus e g, hibernus d f, arcticus circulus l m, horizon quidem eorum erit d e: Sole igitur existente in Tropico, vbi g, dies illis erit in tota



A ta g e: quare noctis vix punctum habebunt, reliquum, quæ sunt horæ 24, diem continuam videbunt. Sole vero existente in alio Tropico, vbi d, vnam ducent noctem continuam ex horis 24, & diem vix in pũcto, ac Solem cernent. Qui vero intra arcticum circulum, & polum habitant, ijs dies ciuilis maior est naturali, longiorem enim habent omnes diem, quàm horarum 24, & tanto magis, quanto ad polum propinquiores sunt. Sit arcticus h l, polus n, habitent aliqui, vbi k, palàm quòd Horizon eorum erit f g: Sole igitur existente in Tropico, vbi o, diem semper habebunt: nec solum in Tropico, vbi o, sed etiam existente ante Tropicum, vbi p, diem habebunt. Alij igitur habebunt vnius mensis continui diem, alij duorum, alij trium, alij & plus vsque ad polum, sub quo qui degũt, diem vident continuum mensium sex, quoniam horizon eorum est æquinoctialis: quandiu igitur Sol erit aut in æquinoctiali, aut citra, semper eum in conspectu habebunt: quãdiu vero vltra ęquinoctialem erit, tandiu noctem perpetuam sex mensium traducent. At qui intra arcticum circulum & æquinoctialem sunt, omnibus ijs semper minor est ciuilis dies, quàm naturalis, hoc




B est minor, quàm horarum 24: vnde & omnes diem & noctem habent, & ortum & occasum Solis, quoniam eorum horizõ vltra extremas zodiaci declinationes protenditur, & arcum facit diei, & noctis in omni parallelo, in quo sit Sol. Habitatio sit, vbi f, horizon erit d e, supra quem (vbicunque sit Sol) semper arcus diei fit, & arcus noctis. At qui sub æquinoctiali degunt, ij semper æquinoctium habent, quoniam rectus est eorum horizon, vt h k, supra quem semper qui est arcus, æqualis illi fit, qui infra est.



De causis diuersitatis naturalium dierum. *Cap. 3.*

SVnt autem & circa naturales dies, Solisque conuersiones integras suæ etiam diuersitates: quarum aliæ ex ipso Sole sunt, aliæ respectu incolẽtium terram, & horizontium eorũ: quum .n. alijs recti horizontes

ſint,alijs obliqui,quibus quidẽ recti ſunt, ijs omnes naturales dies æqua C
les ſunt,quantum ex horizonte eſt: at quibus obliquus eſt horizõ,ijs & dies inęquales ſunt, & ortus ſolis. Sit horizon rectus d e: in hoc igitur omnes dies ab vno ortu ad alium æquales erunt,quantum in horizonte eſt: tempus autem,quod abſumit ſol ab ortu ad ortum in hoc horizonte,ſunt horæ 24. Horizon vero obliquus ſit f g: ſi igitur ſol hodie oriatur in æquinoctiali vbi b,cras quidem in horizonte recto redibit ſol ad b horis 24: at vero ſi redeat ad horizontem obliquum vbi k,breuior erit illa reuolutio ſolis,& ortus correptus magis: ꝙ ſi redeat ad eundem horizontem obliquum,vbi h, longior erit reuolutio ſolis,& ortus productior. Hac de cauſa quum ſol eſt in ſignis, quæ oblique oriuntur à capricorno ad cancrum per Arietem,ſemper ortus corripiuntur,reuertitur enim ſol ad horizontem veluti occurſantem ſibi, ꝓpter depreſsionem eius ſub recto: quum vero eſt in ſignis,quę recte oriũtur à cancro ad capricornum per Libram, ſemper ortus producitur, & reuolutio ſolis fit ſerior, quoniam reuertitur ad horizontem veluti fugientem,propter eleuationem eius ſupra rectum. verum diuerſitates hæ dierum non è ſole ipſo dependent, ſed cauſa horizontium & eorum ſituum. D At vero & ratione ſolis ac motus eius ſecundum ſe reuolutiones ſolis,& naturales dies valde diuerſæ conſpiciuntur: cauſa in vniuerſum eſt,ꝙ Sol non ęqualiter contrafertur raptui primi orbis,ſed interdũ magis,interdum minus: igitur quum magis contrafertur,tum minus rapitur,vnde dies fit longior,& reuolutio Solis tardior: quum vero minus contrafertur,tum magis rapi accidit,& celerius verti in occaſum, vnde & dies minor fit,& reuolutio citatior. Duabus autem de cauſis euenit inæqualiter contraferri Solem primo orbi: altera eſt inæqualitas motus Solis,diximus enim id habere Solem,quod & alij,vt modo tardior, modo velocior feratur in ſuo circulo: altera pendet ex obliquitate circuli ſui, qui alicubi multum lateralis,parum recti habet,alicubi multum recti parum lateralis. Propter cauſam igitur inæqualitatis motus, in ſeptentrionali parte accidit dies minores videri,quoniam in ea parte dictum eſt tardius moueri Solem,quare minus contrafertur raptui primi orbis, vnde accidit magis rapi,& celerius in occaſum verti,& diem breuiorem fieri: in auſtrali vero parte,quòd illic velocior feratur,& magis contraferatur raptui,inde fit,vt dies ꝓductior ſit. Propter circuli autem obliquitatem



A cæteris paribus minores circa sectiones facit dies Sol, quoniam illic multum lateralis, parum recti habet circulus, quare minus contrafertur, vnde & magis rapitur, ac citius in occasum: circa Tropicos vero maiores ꝓducit dies, quoniam illic plus recti habet circulus, parum lateralis, vnde & magis contraferri accidit, & diem tardari, ac raptum. Verum hę duę causæ in septentrionali parte circa Tropicum opponi videntur, ratione enim tarditatis motus minus contrafertur Sol, ratione vero rectitudinis circuli, magis: at in australi medietate circa Tropicum vtraque causa concurrit, nam & Sol illic velociter mouetur, & rectitudo circuli est maxima: qua de re, si exactissime mensurarentur dies, in australi quidem plus adderetur in velocitate supra medium motum, quàm in septentrionali demeretur in tarditate.

De æqualitate, & inæqualitate horarum. *Cap. 4.*

NOn æqualibus igitur existentibus diebus, necesse est & horas inęquales etiam ipsas esse, maiorum enim dierum maiores sunt partes in quatuor & viginti diuisæ, quæ horæ dicuntur, minorum vero minores, non solum autem, si dies inter se compares, inæquales sunt horæ, sed & in eadem etiam die inæquales sunt, si exactissime metiaris, neque
B enim est eadem velocitas, & tarditas solis mane & vespera, nec eadem rectitudo & obliquitas circuli: qua de causa fit, vt, si dies metiaris per æquales temporis partes 24, quales sunt horæ Horologiorum, spatia ipsa à sole percursa æqualia ipsa non sint: si vero mensura fiat per æqualia spatia, partes quidem temporis æquales ipsæ non erunt: solent tamē tam horas horologiorum, quàm horas quibus æqualia spatia percurruntur, æquales appellare, verum non simpliciter æquales sunt, sed secundum quid solum, illæ quidem æquales tempore, hæ æquales spatijs solum: facta autem mensura per æqualia spatia singulis 15 gr. vnam horam assignāt, sic enim horæ 24 totam explent æquinoctialem in gr. 360. diuisam.


Est autem & alius modus, quo horæ æquales, & inæquales dici consueuere, qui maxime apud antiquos in vsu erat, diuidebant enim tum diem, tum noctem omnem in horas 12, ita, vt tot horas contineret nox omnis, quot & omnis dies, & semper numero horarum par esset nocti dies: vnde fiebat, vt horæ illæ quantitate temporis valde inæquales redderentur, in æstiuis enim diebus, si nox diuideretur in tot horas numero, quot & dies, oportebat quidem horas illas noctis valde angustas, & breues esse, quum & noctes breuissimæ essent, dies vero lōgissimæ: qua-

re

re æstate horæ dierum quàm longiſsimæ ducebantur, contra hyeme die- C
rum horæ quàm breuiſsimæ, noctium quàm longiſsimæ trahebantur: ſolæ autem illæ vere æquales erãt, quæ fiebant Sole in ęquinoctiali exiſtente, nam pares erant horæ diei & noctis non ſolum numero, ſed & temporis quantitate: has igitur ſolas æquales vocabant, quas & alij æquinoctiales appellabant, quarum proportione & nunc quoque æquinoctiales illæ appellantur, quæ æqualibus ſpatijs commenſurandis ſunt attributæ.

Cur Solis motus ſit inæqualis. Cap. 5.

NVnc, cur & annuus Solis motus ſit inæqualis, expediamus. Aſtronomi quidem cauſam in Ecentricum orbem referunt, nam quemadmodum omnium aliorum planetarum, ita & Solis orbem Ecentricum ſtatuunt, cuius abſis nunc in cancro gr. 1, olim in geminis eſſet, Antabſis in Capricorno nunc, olim in ſagittario: mutatæ autem propter Aplanes motum. Ergo ſi zodiacus in duo æqualia diuidatur a b c, & c d a, Ecentricus autem ſit e h g f, cuius abſis h ſit in ſeptentrione, vbi d, antabſis f in meridie, vbi b, palam quòd plus moræ trahet Sol in prætereunda medietate zodiaci a d c, quàm in prætereunda c b a, quoniam priorem medietatem tranſibit obiens arcum e h g, ſecundam per arcum g f e: maior autem eſt e h g, & plus temporis expoſcens. de quo & ſupra dictum eſt. D



Nos rationem eius inæqualitatis Circitori orbis damus, nam & Sol quemadmodum & prædicti, Circitorem ſuum habet: habet autem vnũ tantum, quoniam in Sole ſecunda inæqualitas non inuenitur, quæ retrogradationem faciebat, nunquam enim retrogradus Sol fit, ſed ſemper directus progreditur. Ergo & in Sole oportet tarditatem & velocitatẽ ineſſe, ſi eorum recordamur, quæ de Circitorum ratione dicta ſunt ſupra: quoniam Circitor omnis modo in idem cum ſtella, modo in oppoſitum fertur, quare & modo citat, modo retardat, tantum ſi non velocior ſit.

Ergo Solis Circitor proprio quidem motu Sole tardior aliquanto eſt, circunductione autem par, cuius ea eſt cum eo proportio, vt tum ſubalternus ſit in medietate contraria, quum planeta ad gr. 1 cancri peruenit,

ſubalternus


A ſubalternus vero in medietate iuuante, quum ad gr. 1 Capricorni: quare hic eſt punctus maximæ velocitatis, illic maximæ tarditatis, mutabiles autem propter Aplanes motum, vti & in alijs. Qua de cauſa & à Ptolemæi tempore à geminis & ſagittario mutata ſunt in cancrum, & capricornum, & non iam prima quarta tardius obitur, quàm ſecunda, quoniam tarditatis punctus iu prima quarta tempeſtate noſtra non eſt.

Quomodo in annis pluribus collatis inuicem diuerſitas etiam ſit. Cap. 6.

QVo autem modo, & qua cauſa fiat, vt & inter plures annos collatos inuicem inæqualitas etiam non parua inueniatur, iam dicẽdum. prædicta enim inæqualitas anni quidem vnius partes inæquales inter ſe facit, totos autem annos non: quare quum nihilominus & ipſi anni integri inæquales inter ſe ſint, & alij maioris menſuræ, alij minoris, operæpretium eſt diuerſitatis huius rationem adinuenire: neq; enim dicendum eſt Aſtronomos, qui diuerſis temporibus diuerſam annui tẽporis menſuram annotauere, deceptos fuiſſe (vt diximus) ſed magis id pro comperto conſtituendum eſt diuerſa diuerſos comperiſſe, & ſine menda vlla diligentiſsime obſeruaſſe. Quoniam igitur ſupra demonſtratum eſt Aplanes motum inæqualem ad modum eſſe, & modo tardiorem, modo velociorem pergere, item & illud in obſeruatis conſtare
B Aplanes motu reliquos orbes, qui infra ſunt, pariter agi, ac rapi, hinc fieri neceſſe eſt, vt & Sol mutationem, alterationemq; aliquam recipiat ab Aplane, ipſe quidem aliorum maxime, quoniam ſubalternus eſt eius motus cum motu Aplanes. Igitur, quo tempore Aplane velocior ipſa fit, quod accidit per annos mille octingentos, tum & ſimul citari Solem cenſendum eſt, quo fiat, vt citius ſolito reuertatur ad æquinoctii, & quanto velocior redditur, tanto etiam velocius reuertatur: ex quo accidit & annos inæquales fieri, & menſuram annui temporis variari. Quæ vt manifeſtiora nobis fiant, ac ſimul & illud oſtendatur, quãtum Sol ab Aplane recipiat, ſubijciemus totum Aplanes motum ſecundum ſuperius traditam ſubſcriptionem, quã per ſuas quartas diuiſimus: quarta autem quælibet annos noningentos continet, quos de centum in centum digeſsimus. In prima autem quarta eſt motus velox, augens continenter velocitatem: in ſecunda velox minuens: in tertia tardus, augens tarditatem: in quarta tardus, minuens tarditatem: inter velocem autem & tardum conſiſtit medius motus, qui & Aplane proprius eſt, quo in annis 100 gr. vnum peragit.

Tempus

C



Tempus igitur fuit, quum Sol ab ęquinoctio ad ęquinoctium rediret diebus 365, & quadrante præcise, hoc est horis præcise sex, quemadmodum antiqui recte annum suum dimetientes adinuenere: quod ante Natalem Dñi annis quadringentis contigisse cẽsendum est, quum Aplane motu tardo minuente perageret m̃.38, sec.40. Hoc enim constituto cuncta optime respondere videbunt̃ ijs, quæ de diuersitate mensuræ annuæ à diuersis sunt obseruata: quæ vt manifeste conspici possint, bene erit recensere, de centum in centum annos, quantum Aplane addere Soli potuit. Supponamus igitur eo tempore, quo Aplane m̃.38, sec.40, in annis 100 peragebat, annis scilicet ante Christum 400, annuam mensuram ex quadrante præcise constasse. in sequenti igitur centenario auctus fuit Aplanes motus, & addita Soli mi.5, sec.20: ob quæ cæptum est anticipari æquinoctiũ in annis 100 per tantũ tpis, quãto m̃.5, sec. 20 pagi à Sole pñt, quę sunt horę 2, m. circiter 15 horę: ac tunc & mẽsura annua cæpit ex quadrante præcise non cõstare, sed minus continere. in scđo vero sequenti centenario addita Soli fuere mi.10, sec.40: in tertio mi.16: in quarto mi. D

m.	sec.
5	20
10	40
16	
21	20
53	20

A 21,sec.20:quo tempore & Natalis Domini fuit, & Aplane habuit motũ medium ac proprium.Si igitur omnia m̃ illa et sec.coniungamus, fient m̃.53,sec.20:quæ à quadrante,hoc est à tẽpore,quo annua mensura pręcise ex quadrante constabat,vsq; ad Natalẽ Domini addita Soli fuere: qui fuerunt anni 400 ante.Præuenit igitur in ijs 400 annis æquinoctium horis fere 22,& media,priusquam ratio per quadrantem facta daret.

Recenseamus autem & quæ à Christi Natali addita Soli sunt vsq; ad Albatenij tempora,quæ fuit quarta vna, anni videlicet noningenti. in primo igitur centenario addita sunt m̃.26,sec. 40: in secundo m̃.32:in tertio m̃.37, sec.20: in quarto m̃.42,sec.40: in quinto m̃.48: in sexto m̃.53,sec.20:in septimo m̃.58,sec. 40:in octauo m̃.64:ĩ nono m̃.69,sec.20: quæ omnia sunt in annis 900 m̃.432, gr.autem 7,m̃.12: qui sunt dies circiter 7,horæ 7. Quibus positis videamus nũquid Ptolemæi, & Albatenij obseruata rationi huic nostræ respondeant. at certe respondere vidẽtur,differentia solum

m̃.	sec.
26	40
32	
37	20
42	40
48	
53	20
58	40
64	
69	20
432	0

Gr. 7, m̃. 12.
dies 7, hore 7 ferè.

B paucorum minutorum intercidente,q̃d vel instrumenta ipsa ingessisse potuere, vel difficultas æquinoctij ad vnguem inueniẽdi, presertim si per motum medium computatio facta fuisset,non autem per verum.Existimauit igitur Ptolemęus singulis 300 annis pręueniri æquinoctium vna die prius,q̃ ratio quadrantis posceret, quod ita opinatus est videns primum in annis 285 (qui inter obseruationes Hipparchi,& suas interfluxere) anticipasse ęquinoctium die vna,minus vna vigesima,quod ad annos 300 proportionem vnius diei habet. E nostra autem ratione sequitur anticipasse æquinoctium in annis illis 285,qui inter Hipparchi & Ptolemæi obseruationes fluxere,m̃.circiter 66, differentia intercidente m̃.10 in annis 285.ita autem sequitur è nostra hac ratione, quoniam in annis 100 post Natalem Christi addita Soli fuere m̃.26,sec.40:in annis vero 43,qui fuere ab hoc centenario ad Ptolemæum, adiecta sunt m̃.circiter 10:In centenario autem ante Natalẽ addita fuerant m̃.21,sec.20: in annis porrò 42,qui an-

m̃.	sec.
26	40
10	
21	20
8	
66	0

te hunc centenarium fuere vsq; ad Hipparchum, adiecta sunt m̃. fere 8, G quæ ad summum sunt m̃. circiter 66. potuit igitur aut Hipparchus, aut Ptolemæus, aut vterque differentiam illam m̃. 10 casu aliquo intulisse.

Fecit deinde & aliam Ptolemæus supputationem annorum 571, qui fuere à suis vsque ad Mentonis, & Euctemonis obseruationes, in quo tẽpore vidit anticipasse æquinoctia duobus dieb⁹, minus vna duodecima, qui ad annos 600 proportionem habent dierum duorum. E nostra autem ratione sequitur anticipasse æquinoctia in annis illis 571, m̃. 90, quoniam in annis 400, qui præcessere Natalem Domini, addita fuere m̃. 53, sec. 20: in annis vero 100, qui secuti sunt Natalẽ, addita sunt m̃. 26, sec. 40: in annis 43 ab his, sequentibus vsq; ad Ptolemæum addita m̃. 10: in annis porrò 28, qui fuere ante 400 illos, qui pręcessere Natalem Dñi, vsq; ad Mẽtonem & Euctemonem nihil additum fuit, quia tũc mensura annua ex quadrante integro constabat: quæ omnia in totum sunt m̃. 90: ex quibus manifestum est rationem hanc parum abesse ab obseruatis à Ptolemæo.

m̃.	sec.
53	20
26	40
10	
90	0

Post Ptolemæũ Albatenius longe diuersa visus est obseruasse circa anni mensuram, & æquinoctiorũ anticipationes, si quidem ab obseruatis Ptolemæi per annos 743, annotauit ipse eo temporis D spatio anticipasse æquinoctium diebus circiter septẽ prius, q̃ ratio per integrum quadrantem postularet. E ratione autem hac nostra sequitur anticipasse dies sex, horas circiter 15, & mediã, in nono enim centenario, q ad tẽpora Albatenij terminauit, addita fuere Soli m̃. 69, sec. 20: in octauo ante illum addita m̃. 64: in septimo præcedente m̃. 58, sec. 40: in sexto m̃. 53, sec. 20: in quinto m̃. 48: in quarto mi. 42, sec. 40: in tertio mi. 37, sec. 20: in annis vero 43 continuatis tertio centenario addita fuere mi. circiter 20: qui omnes sunt gr. 6, mi. 33, sec. 20: dies autem 6, horæ 15 cum dimidia fere. quapropter merito existimauit Albatenius longe magis anticipare ęquinoctia, quàm Ptolemæus scripsisset, & quadranti plus deesse, q̃ vnam tercentesimã, qd' ex obseruatis ab eo dixit esse centesimã vnã. Neque igitur Ptolemæus, neq; Albatenius in obseruationibus decepti sunt, quod

m.	sec.
69	20
64	
58	40
53	20
48	
42	40
37	20
20	
393	20

Dies 6, horę 15 cum dimidia ferè.

A quod momenti alicuius esset, sed in eo magis vterque, q̄ perpetuum existimarũt, quod in parte tp̄is solum viderãt: manifestum autẽ est, q̄ aliter futurũ erat, ac Ptolemæus opinabat̃, q̄ñ à Christi ortu ad annos nostros intercessere anni 1535, in quo toto tp̄e tercenteni anni solum quinquies interfuere: oporteret igitur ex eius opinione à Christo ad nostra tempora anticipasse diebus solum quinque, quum tamen cõstet anticipasse diebus circiter 13, siquidem circa Natalem Domini erat æquinoctium die 24 Martij labente, nunc vero labente vndecima Martij spectatur. Similiter neq;, quod Albatenius in septingentis annis perspexit, idem in sequẽtibus erat futurum, si. n. singulis 100 annis vna die præueniret æquinoctium, oporteret à Christo ad nostra tempora iam diebus 15. præuenisse, at solũ dies circiter 13 enumerantur, quibus æquinoctia rationẽ quadrantis præuenerũt: nihil igitur firmum, perpetuumq; in hoc æquinoctiorum præuentu sperandũ, atq; attendendũ est, quando nec Aplanes motus, à quo inæqualitas hæc dependet, vnus & certus est: bene aũt erit, si & reliquos annos, qui post Albatenium fluxere vsq; ad hæc tempora recenseamus, & p̄ ratione hac nostra videamus, quãtũ ab Aplane additũ Soli sit.

In primo igitur centenario post Albateniũ adiecta fuere mi. 69, se. 20: in sc̄do mi. 64: in tertio mi. 58, sec. 40: in quarto mi. 53, sec. 20: in q̄nto m̄. 48: in sexto mi. 42: sec. 40: quæ sunt oĩno m. 336,
B videlicet gr. 5, mi. 36: quibus si iũgamus addita à Natali Christi ad Albateniũ, q̄ erant gr. 7, m. 12, fient gr. 12, mi. 48, dies vero circiter 13: manifestũ igitur est in annis 1500 tm̄ anticipasse æq̄noctia ƀm rationẽ hanc nostrã, & nihilo plus. Quippe tp̄e Iulij Cæsa. æquinoctium spectabatur die 25 Martij labente, circa initia eius: annis vero Natiuitatis Christi die 24, circa finẽ eius cadebat: quũ vero anno 1500 æquinoctium habitũ fuerit die 11, circa finẽ eius, palam q̄ aptissime dies 13 anticipatiõibus æquinoctiorũ dantur à Natali Dñi ad annum 1500.

m.	sec.
69	20
64	
58	40
53	20
48	
42	40
336	0
Gr. 5 m. 36	
7 m. 12	
12	48
Dies 13	

Manifestius aũt (vt arbitror) eadẽ rõ in annis sequẽtibus appebit, in quibus quũ æquinoctiorũ anticipatio minor continenter, & minor fiat, tẽpus illud veniet, vt nulla tandẽ anticipatio eorũ fiat, sed annua mẽsura rursus è quadrante integro cõstituetur, quũ transacta quarta hac, in qua Aplane motu veloci minuẽte agit̃, post annos 400 rursus mi. 38, sec. 40 p̄ aget in annis 100: à quo tp̄e mox fiet, vt iã nõ anticipẽt æq̄noctia, sed postponãt, & annua mẽsura plus ẽt quadrãte req̄rat: atq; his vicissitudinibus

agetur Sol, vt modo anticipent æquinoctia, modo poſtponāt, interdum C
etiam ſtent, ſed pauco tempore: maius vero eſt tempus, per quod antici-
pare contingit æquinoctia, quàm poſtponere: ex his igitur exiſtimandū
eſt ea contigiſſe, quę diuerſis temporibus diuerſa ſunt obſeruata circa an
nuam menſuram, & inconſtantiam æquinoctiorum. Vtrum autē fiant
hęc per eam præciſe rationem, quam nos tradidimus, equidem non au-
ſim affirmare, ſed certe aut per eam fit, aut per valde proximam, quam
rem alij fortaſſe ratione magis exacta abſoluēt, nos enim vniuerſalia ma-
gis percurrimus: ex his quoq; & mutationes punctorum maximæ tardi-
tatis, & velocitatis dependent.

De alia cauſa, cur annua menſura varietur. Cap. 7.

Est autem fortaſſe & alia cauſa, cur annua menſura euarietur, quam aliqui forte nimis affectatam dicent, nos negligēdam ducimus: ſupra enim diximus medium circulum Solis continenter verſus æquinoctialem appellere, ac maximā eius declinationem in dies corripi: ex hoc ſequitur eundem circulum contraferri in dies magis & magis motui primi orbis, quoniam continenter plus recti, minus autem obliqui habeat: vnde accidit & minus rapi, Solisq; conuerſiones productiores eſſe. Ex diebus vero quum anni conſtent, dies ex horis, horæ è minutis, hæc ex alijs, hinc & annos quandam diuerſitatem recipere cenſendum eſt, & an D
nos noſtros conſtare è paucioribus aut horis, aut minutis, aut alijs partibus: nō ſolum autem naturales dies, ſed & ciuiles etiam variari ex hac eadem cauſa contingit: Sole enim magis in dies accedente ad æquinoctionalē per circulum ſuum, nobis quidem, qui ad ſeptentrionem incolimus, breuior fit continenter dies, longior nox, auſtralibus vero è contrario, nobis enim arcus diei minor redditur, noctis maior.



Sit æquinoctialis a b c, declinatio So maior d e f, & r ſ t, minor g h k, & o p q, horizō l m: nobis igitur in maiori declinatione dies erat in tota e d, auſtralibus in tota r ſ: in minori vero declinatione dies eſt nobis in tota h g, auſtralibus in tota o p: nobis ergo dies fit continenter minor, quoniam h g minor eſt, quàm e d. Nobis item temperatior contingit tum æſtas, tū hyems, æſtate enim Sol à nobis magis amouetur in dies, vtpote ad æquinoctialem accedens, in hyeme vero propinquior nobis fit, vtpote ab auſtro verſus æquinoctialē appropinquans. Sed certe diuerſitas hæc rectitudinis, & obliquitatis circuli Solis tam pauca eſt, & adeo ſenſim accedit, vt ab vna etate nec perci

pi,

A pi,nec dijudicari planè possit,siquidē in annis 1385, qui à Ptolemæo ad hoc vsque tempus interfuere,declinatio Solis correpta est m̄. circiter 23 de quo iam superest dicendum.

Cur Solis declinatio minuatur, *Cap.*8.

QVa autem causa contingat,vt maxima Solis ab æquinoctiali declinatio continenter comminuatur,nunc expediendum est,non enim quod omnes hactenus arbitrati sunt,in causa esse potest: quicunq; etenim hactenus ea de re scripsere, omnes trepidationem Aplanes causam assignāt:factis siquidem paruis circulis per eum modum, qui dictus est,mutari & puncta declinationum necesse est,& modo versus polos expandi,modo versus ęquinoctialem contrahi, expandi quidem,quum medius circulus k e m aut versus d,aut versus g agitur,contrahi vero,quū contra aut a d versus l,aut a g versus k idem regreditur:atque ita fieri dicunt, vt puncta solstitia possint euariari.



Sed certe neq; necessarium est huius rei causam in trepidationem referri,neque ijs consonū quæ obseruata sunt,fortasse autem & impossibile,si semper directæ feruntur stellæ. Primum autem causa hęc,quam è trepidatione assignāt,obseruatis aduersat̄,duo enim sunt obseruata, quorum alterum cum assignata causa stare minime B potest:obseruatum quidem est à Ptolemæi temporibus vsque ad nostra correptam semper fuisse Solis declinationem.Item & illud etiamnum obseruatum fuit,à Christo vsque ad Albateniū per annos 900 motum Aplanes semper fuisse velocem,atq; augētem,vt dictū est: si igitur motus per id tempus fuit velox augens,oportet medium circulum k l motū fuisse versus d,ac sic nō correptio tropicorum, sed dilatatio facta fuisset: si vero correptio eorum est facta,oportuit aut d motum fuisse versus l, aut g versus k:at in neutro horum fit motus velox augēs,in altero enim fit motus velox minuens,in altero motus tardus,& retrogradus:quare p id tempus aut motus non fuit velox augens,aut correptio Tropicorum non fuit,aut causa eius correptionis nō est trepidatio, aut duo illa prima vti vera obseruataq;,sunt recipienda. sequitur igitur vt trepidatio causa non sit correptionis Tropicorum.

Quòd

Quòd vero neq; necessarium etiam sit ad eam recurrere, è principijs C
nostris manifestum iam fiet: quoniam autem multipliciter contingit id fieri, bene erit modos omneis referre, quibus ea correptio possit accidere. Primum igitur, quod antiquos Aegyptios existimasse credere possumus, si quis arbitretur, primum mobile non ab ortu in occasum ferri, sed à septentrione in meridiem, videtur quidem demonstrari posse, quo pacto Solis declinationes corripiantur: quoniam.n. tum Aplanes circulus, tum & Solis per medium zodiacum protenditur in lõgitudinem, si quidem supra ipsos ponatur primum mobile in latitudinem per se ferri, sed q̃ tardissime, manifestum fiet, quomodo circulus ille Solis possit continẽter circa solstitia variari: quinimo & illud quoque simul videtur ostendi, quod ab Aegyptijs mandatum literis Herodotus & Mela scribunt, fuisse olim, vt Sol inde oriretur, vnde nunc occidit, & è cõtrario: primo enim mobili circũacto in latitudinem, & secum ferente cum reliquis circulũ Solis, necesse est eius circuli partes successiue permutari, vt, quę superior prius fuerat, mox inferior fiat, & econtra: permutatis autem partibus, & illud necessarium est, vt totus motus permutetur: & si prius erat ab oriẽte in occidentem, nunc contra ab occidente in oriẽtem feratur, vt à principio diximus. Hęc igitur existimasse antiquiores Aegyptios fortasse credendum est, quum scripsere, ex quo ipsi essent, quater cursus suos obijsse sydera, ac Solem bis iam occidisse, vnde nunc oritur. Quæ vero ipsos ad- D
hæc existimanda impulerint, equidem non alia fuisse arbitror, q̃ quæ & mox à posterioribus visa sunt, solstitia scilicet mutari: sed certe iniuste videntur ob eam causam putasse primum mobile non in lõgitudinem ab oriente in occidentem, sed in latitudinem à septentrione in meridiem ꝑ se ferri: duobus.n. modis quum immutentur tropici, vno respectu habitationum, à quibus plus, aut minus amoueri accidit, alio respectu eclipticæ, ac vnius ad alterum, per assignatum quidem motum primi orbis in latitudinem demonstrari fortasse potest, quo modo respectu habitationũ immutari contingat tropicos, at, quomodo respectu æquinoctialis, & ad se inuicem immutentur, & corripiantur, demõstrari minime potest, quoniam moto in latitudinem primo mobili accidit quidem vtrunque Tropicum simul cum sua æquinoctiali in latitudinem circũduci, eadem inter se, & ad æquinoctialem, distantia, & mensura remanẽte: quòd si & ad eclipticam, & ad se ipsos inuicem mutari debent, necesse est eclipticã ipsam immutabilem, fixam, atq; æternam statui, ad quam accedẽtes vterque magis, continẽter, & magis, arcum simul, qui, inter ipsos interiacet, vtrinque contrahant: hoc autem esse non potest, nisi primus orbis in longitudinem per se actus eclipticam ipse ęternam & inuariabilem inter po-

los

A los vniuersi perpetuos atque immotos trahat: quod si & nunc (vti primis à nobis est constitutum) confirmetur, ac sanciatur, impoßibile nimirum illud erit, vt olim Sol ortus fuerit, vbi prius occiderat; & è contrario, vt Aegyptij literis mandauere, si de ortu & occasu diurno intellexere: nam quoniã diurnus motus, ortusq; & occasus à primo mobili datur, impoßibile est aliunde oriri Solem, quàm ab ea parte, vnde & nunc oritur, quocunque in situ ponatur circulus eius, quicunque illi locus in vniuerso detur: quòd si non de diurno ortu atque occasu intellexere, sed de annuo, sic verum (vt arbitror) & opinari & mandare literis potuere: quod simul manifestum fiet, vbi causam aßignauerimus, cur solstitia cõtinenter corripi conspiciantur. Meminisse autem oportet eorum, quæ circa Aplanen supra commemorata sunt, supra ipsam enim contrauectum orbem vltimum ponebamus, à quo fiebat, ne simul cum Circunducente ipsa ẽt Aplane circuntraheretur in latitudinem: si igitur Contrauectum hũc ponamus non omnino æqualem Circunducenti, sed cædentem aliquantisper, verùm adeo parum, vt non nisi multo post depræhendi poßit, tunc fieri necesse est, vt & hic Contrauectus, & cum eo Aplane circunferãtur in latitudinem, sed sensim, & quod non nisi post multa secula cognoscatur: quoniam autem ab Aplane trahi omnes orbes inferiores constat, inde etiam & illud fiet, vt & Solis circulus, & aliorũ planetarum simul in

B latitudinem quoque circunducantur, sed tarde admodum, & quod longe post agnoscatur. Videtur autem (nisi fallimur) necessarium ita fore, vt Solis circulus in latitudinem circũagatur, quo omnia, quæ poßibilia sunt in natura fieri, quandoq; etiam fiant, & vt virtus omnis, quę à Sole huc demittitur, & impartitur in terras, ad omnia succeßiue & vndequaque sese conuertat. Futurum igitur existimamus, vt, quemadmodum à Ptolemæi temporibus vsque ad nostra Solis circulus ad æquinoctialem appulit m̃. circiter 23, ita deinceps annis labentibus continenter magis ac magis ad eandem appropinquans, tandem (quum Dij volent) per ipsam æquinoctialem iter teneat, æquinoctiumque mortalibus per multum temporis apportet: mox parte illa, quæ nunc in septẽtrione est, permutata in meridiem, & è contrario, magis in dies & magis ab æquinoctiali sese amoueat, donec eisdem Dijs ita prouidentibus, Solis circulus per vtrunque polum atq; æquinoctia protendatur, subalternusq; fiat coluro æquinoctiorum, ac tunc quidem per helices à polo ad polũ actus Sol anno vno omnes mundi partes circunuiset: mox vero partibus ꝑmutatis, ac ea, quæ nunc supra est, facta infra, & è conuerso, motus etiam ipse permutabitur, & non iam ab occasu ad ortum feretur per se Sol, sed ab ortu in occasum maiori etiam velocitate, quàm orbis primus, annũq;

non

non ab ariete, sed à libra reportabit nobis. Quod si significare voluerunt C
Aegyptij, non de ortu & occasu diurno intelligentes, sed de annuo, & recte quidem tradidisse videntur, & secretius quoddam monumentum in arcanis eorum literis mandauisse. vtrum autem hæc circa Solem futura sint, nepotes nostri videbunt. Quæ Solis mutationes si forte fortuna in natura sunt, iam non admirabimur montium insularumque generationes, non eluuiones, non exarsiones, & id genus alia, quorum causas in eas syderum mutationes (quas nunc videmus) referre cum satisfactione non possumus.

Cur Sol in septentrione minor, & remotior videatur. Cap. 9.

CVr vero Sol in septentrione existens minor nobis, & remotior videatur, causam superius diximus, talem enim fieri solem in septentrione, qualis est in medio cœli, in meridie autem, qualis prope horizontem est: cuius signum illud est, ꝙ australibus contra accidit, minor enim, & remotior ijs videtur, quum in meridie est, maior vero et propinquior, quum est in septentrione. Non solum autem id in Sole accidit, sed & in Luna, & alijs, vt dictum est, maxime autem id in Sole apparet circa solstitia, quoniam illic est maxima ab æquinoctiali declinatio, & tūc maxime nobis in medio cœli est. Si autem ecentrici essent, oporteret & extra solstitia idem visum fuisse, vbicunque absis fuisset, quod à nullo traditum legimus: in ea quidem maximam tarditatem fuisse scribunt, minimum vero & remotissimum illic videri Solem nemo (quod nos viderimus) tradidit, nisi forte in abside, quæ nunc in cancro est, quod quidem non ratione absidis, sed ratione maximæ declinationis contingit. De Solis aūt eclipsibus, & cur maiores fiāt in septētriōe, in ijs, quæ de Luna, dicemus. D


De numero orbium Solis. Cap. 10.

QVatuor autem videntur orbes, qui famulantur Soli, quorum primus est solitarius ille, qui statim sub Marte subest, à quo fit, ne simul cum Marte & Solis orbis rapiatur: post quem est ordo ad Circitorē pertinentium orbium, è quibus Circunducens est primus, qui in latitudinem per colurum superiorem à meridie in septentrionem vertitur Soli par: sub eo est Circitor eodem tempore circunductus, cæterum motu proprio tardior Sole, cui subest Cōtrauectus suus: à quibus omnibus est orbis Solis, qui tametsi vero motu inæqualiter circuitionem suam obit, modo tardior, modo velocior, at motu tamen medio m̄. 59, sec. 8 fere singulis diebus peragit. Dubitet autem fortasse aliquis, quoniam sic vidētur sectiones circuli Solis in latitudinem mutari debere, quoniam Circitor

tor



A tor in opposita omnia mouet, & tantum in latus, quantum in longum, nisi illi Anticircitor contraponatur. Ad quæ dicimus nos anticircitorem non posuisse, vt euitaremus ingratam orbium multitudinem: uidemur autem & sine illo posse conuenienter facere, si ea ꝓportione ad Circitorem planeta moueatur, vt, quũ Circitor à prima quarta contrariarũ mouet, quæ est superior meridionalis, pellendo sectionem versus septentrionem, tum & Sol per se eãdem in partem à sectione flectat: inde enim fit, vt discerni non posit illius sectionis motus in latitudinem, quoniam è toto orbe nihil sensibile est nisi stella: per flexus autem & sinus non accidit ipsam stellam moueri, propterea quòd quartę circunductionis Circitoris, & quartæ motus planetæ æquales sunt, sed solum illud euenire videtur, vt prima & vltima quarta planetæ in maiorem latitudinem flectant, quàm aliæ duæ. Vt si æquinoctialis sit a c, prima quarta a d maiorem latitudinem & flexionem faciet, quàm d c: similiter & b a maiorem faciet, quàm c b. quæ si minus facere satis videntur, nihil prohibet & ipsi Soli Anticircitorem contraponere, qui sectionum latitudinẽ B impediat, ac per sex orbes demõstrari continget, quæ circa Solem apparent. ac de Sole satisdictum iam sit.



DE VENERE

De ijs, quæ circa Venerem apparent. *Cap. II.*



NVNC ad Veneris orbem transeamus, quam omnes supra Mercurium & Lunam locant. habet autem Venus cum Mercurio conuenientiam non paruam, quędam tamen ꝓpria, & magnopere admiranda sortita est. igitur ꝙ & ipsa diurno in primis agatur motu, sed tribus superioribus tardior, æqualis autem cum Sole, vti obseruatum recipiendum est. Habet itidem & proprium motum ab occasu ad ortum Soli æqualem: quãquã enim interdum citius, interdum tardius Sole orbem perficiat, at per se tamen, & motu medio, qui & proprius est Soli, æqualiter cum eo vertitur, & anno vno cursum cum eo explet. illud quoq; manifestum esse debet non rapi Venerem ab orbe Solis, si enim raperetur, æqualiter cũ eo ferri non posset: diximus enim duorum orbium, si vterque in idem agãtur, minorem semper velociorem reddi. Medius autem circulus Ve-

neris, tum & æquinoctialem, tum & eclipticā ſecat: ſectionum altera in C
ariete traditur gr.1, altera in libra, mutabiles, vti & in alijs planetis.

Habet porro & Venus primam inæqualitatem medietatum, nā in ea, quæ eſt à piſcibus ad virginem per geminos, tardior aliquāto incedebat Ptolemæi tempore, punctumq; maximæ tarditatis in geminis faciebat, in illa vero, quæ eſt à virgine ad piſces per ſagittarium, velocior cernebatur, ac punctum maximæ velocitatis faciebat in ſagittario gr.15, nunc vero in primo gr. cancri maxima ſpectatur tarditas, maxima in capricorno velocitas.

At vero & ſecundam quoq; inæqualitatem directionis, ſtatus, et retrogradationis ſuſtinet, cuius reuolutiones quinque in annis 8 fieri obſeruantur: quæ item reuolutiones neq; æquales inter ſe ſunt.

Medius motus inæqualitatis.


Gr.	m̄.	ſec.	ter.	quar.	qn.	ſex.	
0	1	32	28	34	44	18	horæ.
0	36	59	25	51	11	28	dies.
18	29	42	56	15	44	0	menſes.

Ad Solem vero eam relationem habere noluit Venus, quam tres ſuperiores habuere, vt velociſsima eſſet in coniunctione, in oppoſitione tardiſsima, imo (quod alioqui mirum ſit) nunquam oppoſita Soli ſpectatur, quippe quum nec ab eo vnquam maiore interuallo diſtet, quàm gra. 47, minu. 32, nunc cum eo coniuncta, nunc præcedens, nunc ſequens. præcedere autem aut ſequi quum dicimus, in eo intelli- D
gimus motu, qui diurnus dicitur, nam & ſignorum ordine modo præcedit, modo et ſequitur: verū, quum ſignorum ordine præcedit, diurno ſequitur, quum vero diurno præcedit, ordine ſignorum ſequitur. igitur quum Solem anteit diurno in motu, tum in exortu matutina ſpectatur, appellaturq; à nobis Lucifer, quum vero Solem ſequit̃, veſpertina in occaſu apparet Heſperus vocitata: vtraq; autem viciſsitudo præcedendi inſequendiq; Solem menſibus nouem fit, diebus 23, horis circiter 4, ac dimidia: maxima vero vtrobique elongatio à Sole gr.47, mi.32 eſſe conſpicitur: quo quum peruenit, rurſus ad Solem remeat nunc præuia, nunc aſſecla, & modo affuturum nuntians Solem, modo affuiſſe: atque his viciſſitudinibus nunq̃ adeo à Sole abſcedit, vt oppoſita illi fiat, ſiquidem oppoſitio gr. non pauciores, q̃ 180 expoſcit: videtur autem matutina elongatio in medietate tardiori adiuuari, veſpertina impediri: contra autem veſpertina elongatio iuuari in velociori medietate, matutina impediri. quum autem elongationes hæ impediuntur, nunq̃ ad id ſummum pertingunt, quod eſt gr.47, mi.32, ſed ſolum ad gr.45 mi.30 perueniūt. Qualiſcūq; autem in maxima elongatione inueniatur Venus, ſiue præcedēs, ſiue ſequens, ſemper medium motum habet, in coniunctione vero cum

Sole

A Sole ſemper eſt aut in tardiſsimo motu, aut in velociſsimo: matutina aũt, ſi recedit à Sole, tardo ſemper recedit motu, ſi accedit, veloci: veſpertina vero, ſi recedit, veloci ſemper recedit motu, ſi accedit, tardo.

In latitudine vero maiorem etiamnum admirationem præbent, quæ circa Venerem conſpiciuntur, nam, quum tres ſuperiores planetæ pexiguam circa ſectiones latitudinem ducerent ab ecliptica, maximam circa puncta media, tum contra Venus circa puncta media q̃ minimam latitudinem facit, vtpote mi.16, circa ſectiones vero maximam, & gr.7.



Sed & illud quoq; non paruam affert admirationem, quòd Venere duobus in locis latitudinem faciẽte, paruam quidem in punctis medijs, magnam circa ſectiones, in punctis tamen medijs ſemper ſeptẽtrionalis ab ecliptica ſpectatur, nunquam auſtralis, in ſectionibus vero tum auſtralis, tum ſeptentrionalis videri ſolet: auſtralis vero quum videtur, in ſuperiori quidem parte ſemper directa & velociſsima eſt, in ſeptentrionali tarda & retrograda: in inferiori vero parte è contrario, Sit ecliptica a b c, medius circulus Veneris a d c, ſectiones a et c, punctus medius in ſuperiori parte d, in inferiori m, vterque ſeptentrio-
B nalis: in ſectionum igitur loco maiorem latitudinẽ habebit Venus, fiet enim quandoque vbi f, quandoque vbi h, ſimiliter & vbi g, & vbi k: in punctis autem medijs minorem multo latitudinem trahet, ex b non vltra e & d digreſſa in eiſdem præterea punctis medijs ſemper erit ſeptẽtrionalis, in ſuperiori quidem parte in d, in inferiori in m, nunquam autem in e, aut in p directa autem & velox per f k, tarda & retrograda per h g. cæterum & ſtella ipſa per helices motum explet, ſicut & tres ſuperiores planetæ.

De cauſis ſecundum Aſtronomos. *Cap.* 12.

QVi igitur de ſyderibus hactenus tractauere, in prædictis omnibus ad eccentricum, atque epicyclum confugiunt. Ecẽtrico primam dantes inæqualitatem, epicyclo ſecundam: abſidem autem ponunt, vbi nos punctum maximæ tarditatis, Antabſidem, vbi nos punctum maximæ velocitatis: nunquam autem opponi Venerem Soli, ſed ſemper aut

coniunctam esse, aut praecedere, aut sequi interstitio nunquam maiore C
gr.47, mi.32: iccirco dicunt contingere, q epicycli centrum aequaliter, & coniunctum cum cētro Solis semper feratur: qua è re fieri, vt planeta, qui in circunferentia epicycli circunducitur, non plus distare à Sole posit, quàm sit semidiameter epicycli, quae gr.45, mi.30 traditur: quòd si plus etiam distare videatur, id ab ecentrico dari: q enim centrum planetae cū centro Solis semper coniunctum procedat, id in medio motu intelligendum est, vnde fieri potest, vt vero motu propter absidem & antabsidem seiungi etiam plus posit, q̄ gr.45, mi.30, ac abesse etiam 47 gr. mi.32.

In parte autem absidis iuuari matutinam elongationem, quoniam ea fit per tarditatem epicycli, in parte vero antabsis vespertinā iuuari, quoniam fiat per velocitatem epicycli, quę ab ecentrici velocitate iuuatur.

Quae vero in latitudine apparent, partim epicyclo, partim ecentrico donant, Ecentrico quidem eam latitudinem dantes, quae in punctis medijs fit, Epicyclo autem eam, quae circa sectiones: cui tres asignant motus, vnum in longitudinem, quo directionem, statum, & retrogradationem facit, duos vero in latitudinem, quorum alterum inclinationem vocant, alterum reflexionem: protractis enim duabus Diametris per epicyclum, altera per altitudinem sursum & deorsum, altera per longitudinem, ante & retro, inclinari dicūt diametrum altitudinis in sectionibus summo puncto versus eclipticam, imo versus septentrionem flectente: D
inclinari autem eousque, quo fiat latitudo gr.7. Recedēte vero epicyclo à sectione paulatim releuari inquiunt diametrum altitudinis, ita, vt in puncto medio erectisima sit, & cum ecentrico subalterna: quod si fieri debet, simul & alteram diametrum reflecti oportet, ac punctum, qui antè erat, septentrionalem fieri, qui retrò, australem. Quòd vero semper septentrionalis planeta sit in punctis medijs, inde esse dicunt, quòd ecentricus modo vltra eclipticam in e, modo citra in d deuiet per mi.16, ea ꝓportione ad epicyclū seruata, quòd, dum epicyclus à sectione ad d punctum medium peruenit, tunc & ecētricus à linea a b c mouetur in d, & fit linea a d c, ac tunc in d planeta est septentrionalis. rursus moto epicyclo à puncto d in c alteram sectionem, ecentricus a d redit in b, & fit iterum linea a b c. Deinde vero in parte inferiori epicyclo moto à c in f pūctum medium, ecētricus in parte superiori mouetur à puncto b in e: quae pars quoniam australis est, & superior, necesse est



A inferiorem fieri ſeptentrionalem, in qua eſt planeta in f puncto medio. igitur tam inferiori in parte, q̃ in ſuperiori, ſemper ſeptentrionalis eſt planeta in puncto medio. Hæc igitur fieri Aſtronomi dicunt: quo autem modo fiant, & quo pacto ecentricus modo in d, modo in e feratur, & vnde vnus epicyclus tot motus habeat, nemo dicit. de quibus omnibus accurate rationem habebimus in ſequentibus.

De cauſis per noſtra principia. *Cap. 13.*

NOs autem per pauciora, & ſimplicia magis vnũquodq; eorum, quæ in Venere apparent, poſſumus demõſtrare, ea in primis omnia confirmantes, quæ de medio circulo eius, & ſectionibus dicta ſunt. ꝙ autem non trahatur ab orbe Solis, id fieri dicimus, quemadmodum & in alijs, à Contrauecto orbe, qui ſolitarius ſtatim ſubiacet Soli.

Tardiorem vero in vna medietate, velociorem in alia ferri, à primo Circitore dari dicimus, qui circunductione in latitudinem par eſt Veneris motui, per ſe autem & proprio motu tardior: cæterum more Circitorum, modo in idem, modo in oppoſitum illi agitur, vnde & modo planetam citat, modo retardat, non autem retroducit, quoniam tardior illo eſt. Ea autem eſt proportio eius ad Venerem, vt, quũ ſubalternus eſt Circitor in medietate contraria, tum planeta in puncto maximæ tarditatis
B inueniatur, quum vero Circitor ſubalternus eſt in medietate iuuante, tũ planeta ſit in puncto maximæ velocitatis, qui olim in geminis, nunc in Cancro eſt, propter Aplanes motum. Circũfertur autem Circitor hic p ſectiones, ac puncta media maxime reſpicit vti polos circũductionis: quare et illa maxime in oppoſita mouet, atq; in ijs operatur latitudinẽ mi. 16.

Secunda vero inæqualitas directionis, & retrogradationis à ſecundo Circitore prouenit (nam, et Venus Circitores duos habet) quoniam & ipſa retrogradationem nouit. hic autem Circitor circunductione quidẽ tardior multo eſt planeta, proprio autem motu velocior, ſiquidem circũ ducitur in latitudinem menſibus 19, diebus. 16, horis circiter 9. Igitur, quoniam & hic pro Circitorum natura modo in idem cum planeta, modo in oppoſitum agitur, palam, quòd & modo eum citat, modo retardat, & quia velocior eſt, interdum etiam ſiſtit, interdũ retroducit: cuius reuolutiones ſcilicet in annis 8 fiunt: quæ quidem ne æquales etiam ſunt inter ſe, niſi medio motu menſurentur, propter velocitatem & tarditatem ſuperadditam ab alio Circitore, vt in alijs dictum eſt.

Cur autem non ſemper anno vno orbem expleat Venus, ſed modo citius, modo tardius, cauſa eſt in Circitore ſecundo, qui circunductione

multo

multo tardior est planeta: qua è re fit, vt dũ planeta circuitiões suas obit, in aliquibus nulla intercidat retrogradatio, in aliquibus aliqua ĩtercidat, aut tota, aut in parte: in his ergo cursum retardat, in illis concitat. non nihil etiã ad hoc facit prior Circitor, at per se tamen, & motu medio æqualiter cum Sole orbem peragit. C

Ad Solem vero nunquam opponi Venerem, sed semper aut coniunctam feri, aut præcedere, aut sequi interuallo non maiore quàm gra. 47, m̃. 32, causa præcipue pendet è Circitore secundo, quando planeta ipse ꝑ se, & proprio motu æqualiter cum Sole semper progreditur, & si nihil à Circitore reciperet, æquali semper passu cum Sole, & coniuncta cum eo ferri videretur: verum, quoniam ab eo modo citatur, modo tardatur, ac etiam retroducitur, inde fit, vt non semper pari passu cum Sole incedat, sed interdum præuolet, quum citatur, interdum ponè sequatur, quũ tardior redditur: quæ quoniam alternatim fiunt, alternatim quoque modo præcedit Solem, modo consequitur: per tantum autem & præcedit, & sequitur, quantum Circitor & addere supra medium motum Veneris, & demere potest per vnam quartam circunductionis: videtur autem & addere, & demere gr. 45, mi. 30, addere quidem in medietate iuuante, demere in contraria. Statuatur igitur Venus cum Sole cõiuncta Circitore subalterno in medietate iuuãte, manifestum quidem est tunc habere Venerem velocissimum motum: si ergo obeat Circitor quartam illam, quę à subalternatione sequitur, addet quidem planetæ supra eius motum gra. 45, m̃. 30: quare prægredietur Venus ante Solem signorum ordine gr. 45, m̃. 30, ac vespertina apparebit post ipsum diurno in motu: fit enim, vt diximus, vt quum signorum ordine præcedit, diurno sequatur, & è cõuerso. Rursus vero, si Circitor moueat per aliam quartam, quæ est prima cõtrariarũ, demet quidem de motu planetæ gr. itidem 45, mi. 30: quare quũ prius ante Solem esset signorum ordine gr. 45: mi. 30, nunc fiet, vt iterum coniunctus cum eo redeat totidem amissis gradibus, quot superacquisiuerat prius Circitore subalterno in medietate contraria. Porrò si & aliã quoque quartam obeat Circitor, quæ est secunda contrariarum, demen tur iterum de motu planetæ gr. 45, mi. 30: vnde interea præibit Sol, ac planetam retrò relinquet signorum progressu gr. 45, mi. 30: quare matutinus videbitur ante Solem diurno in motu, quoniam signorum ordine sequebatur. Postremo si quartam vltimam peragret Circitor, quæ est prima iuuantium, citari rursus planetam continget: quam ob rem quum iterum gr. 45, mi. 30 acquirat, in fine quartæ illius Soli iungetur Circitore subalterno in medietate iuuante, ac peracta vna reuolutione inæqualitatis secundæ. Manifestum igitur est, quoties coniuncta est cum Sole Ve- D


nus,

A nus,ſemper aut velociſsimum,aut tardiſsimum habere motum, quoniã ſemper eo tempore ſubalternum Circitorem habet modo in iuuãte medietate, modo in contraria:quum vero eſt in maxima elongatione Venus à Sole,medium ſemper habet motum,quoniam tunc mouet à punctis neutris,hoc eſt medijs inter iuuantem medietatem & contrariã. Veſpertina vero quum recedit à Sole Venus veloci ſemper recedit motu, quia Circitor tunc mouet à ſecunda quarta iuuantium, accedit autẽ motu tardo,quia hoc dat Circitor à prima quarta contraria: Matutina vero ſi accedit ad Solem,veloci accedit motu,quoniam id præſtat Circitor iuuans:tarda vero recedit,quia eum receſſum Circitor contrarius facit. Quoniam vero & illud interdum accidit,vt elongatio à Sole maior etiã fiat,quàm gr.45,mi.30,quippe quũ ſæpe gr.47,mi.32 ſpectetur, quæ omnium maxima eſt, hoc quidem addi à primo Circitore debemus exiſtimare,nam & ille ſupra medium motum Veneris & addit,& demit:videtur autem addere gr.2,mi.2,ac tantundem etiam demere,addere in velociori medietate,demere in tardiori.Quam ob rem ſi velocitas huius cũ velocitate alterius concurrat,tunc maxima fit elongatio planetæ à Sole, quæ eſſe poſsit,gr.47,mi.32:ac veſpertina tũc apparet Venus quàm maxime à Sole diſtans:ſi vero tarditas cum tarditate iungatur, tunc iterum maxima fit elongatio gra.47,mi.32,ſed matutina eſt ea elongatio, Sole
B ordine ſignorum longe precurrente: at ſi velocitas vnius cum tarditate alterius concurrat,elongatio ſemper minor eſt,ꝙ gr.47, mi.32. atq; hæc quidem ſunt cauſæ eorũm,quæ in longitudine apparent.


Cap. 14.

QVæ vero in latitudine tam mira ſpectantur,à duobus illis Circitoribus fiunt,quorum prior per ſectiones actus in latitudinem ꝑ ſe puncta media maxime reſpicit,atque in oppoſita mouet: ſecundus vero ꝑ puncta media circunductus ſectiones ipſas reſpicit,ac in oppoſita cõ ſimiliter agit:velocior autem hic erat,quàm prior,quare & latitudinem circa ſectiones maiorem ipſe operatur,quàm prior circa puncta media, quippe quum hic mi.ſolum.16 latitudinem expleat,ille gr.7. Sit ecliptica a b c, punctus medius b, ſectiones a & c, medius circulus Veneris, ſubalternus Eclipticæ. manifeſtum igitur quòd prior Circitor per ſectiones circunductus pellet b punctum medium in oppoſita,modo in d,modo in e: ipſo enim mouẽte à quarta occidẽtali Septentrionali agẽt b in e,ac fiet circulus a e c:mouente autẽ à quarta occidentali auſtrali e repellet in b,ac redibit circulus prior a b c. Rurſus Circitore acto ꝑ quartam

tam australem orientalem b ducetur in d,fietq; circulus a d c:postremo à quarta orientali septentrionali d reducetur iterum in b,facto circulo a b c.tota autem latitudo erit aut b e,aut b d, non maior,q̃ mi.16. At vero secundus Circitor p pũcta media circunductus sectiones ipsas respicit,ac in opposita mouet:mouente igitur illo à quarta inferiori septentrionali a pelletur in f,c in k,ac fiet circulus f d k:mouente autem à quarta inferiori australi,reducetur f in a,k in c, ac redibit circulus iterum a b c: à quarta vero superiori australi ducetur a in g, c in h,facto circulo g d h: postremo à quarta superiori septentrionali restituetur g in a, h in c, reditq; circulus primus a b c,peracta vna reuolutione secundæ inæqualitatis : latitudo autem tota erit ab a ad f, vel ad g, maior multo,q̃ in punctis medijs,vtpote.gr.7.



Quòd vero in punctis medijs septentrionalis semper spectetur Venus in d & l,nunquam autem australis in e aut o, in causa est Circitor primus, qui, q circunductione æqualis est planetæ,tali proportione eius circulũ mouet, q semper septentrionalis inuenitur planeta in punctis medijs:dum enim stella à sectione a fertur in punctũ medium b,tum Circitor mouet à quarta australi orientali, pellitq; b in d, in quo & planeta inuenitur septentrionalis:rursus dum planeta à puncto medio d in c,alteram sectionem graditur,Circitor à quarta orientali septentrionali reducit d in b: mox planeta à sectione c transeunte ad alium punctum medium l,Circitor à quarta septentrionali occidentali pellit b in e,in parte superiori circuli, in parte vero inferiori pellit p in l: si enim vnius circuli superior pars australis est, ĩferior septẽtrionalis necessario redditur:punctus igitur medius in parte inferiori septentrionalis est,quum planeta in eo inuenitur:quam ob rem tam in superiori medietate,q̃ in inferiori semper septentrionalis inuenitur planeta in punctis medijs respectu eclipticæ,in d et l.



In sectionibus vero tam australis,q̃ septentrionalis esse solet,quoniam secundus Circitor eam latitudinem operatur, qui eam

A eam proportionem non habet ad circulum planetæ,quam prior habere dictus est. Est autem Circitoris huius ea proportio ad Venerem, vt,quũ australissima est illa,vti in f,tum Circitor à quarta prima iuuantium septentrionali inferiori moueat,ac directam & velocissimam reddat subalternus factus in fine quartæ illius.quum vero borealissima est, vt in g, tum Circitor mouet à prima quarta contrariarum australi superiori, tardissimamq; ac maxime retrogradam illam facit in fine subalternus cum illa:at vero & per helices mouet,quoniã in opposita omnia ipse agitur, & in hoc ab alijs Circitoribus prædictis in nullo differt.

De numero orbium Veneri seruientium. *Cap.* 15.

VIdentur autem,qui Veneri quodammodo famulantur,orbes omnes vndecim esse,quorum primus est solitarius ille Cõtrauectus Soli,à quo fit,ne simul & Venus ipsa trahatur:reliqui decem continent ordines Circitorum duorum:ordo autem vterq; quinque orbibus constat,quoniam vterque Circitor plus addere in longitudine videtur, q̃ in latitudine. Ordo igitur primus Circunducentem,Circitorem,Contrauectum,Anticircitorem,& vltimum Cõtrauectum habet, quorum primus est Circunducens,qui anno vno,Veneri par,in latitudinẽ per se fer

B tur,per ipsas sectiones circumactus·secundus est Circitor primus æqualiter circunductus à prædicto,proprio autem motu tardior planeta,à quo circa puncta media latitudo fit mi.16:sub eo est Contrauectus suus, duplo velocior,ac sub ipso Anticircitor,qui in latitudine eò opponitur Circitori,quò latitudo in punctis medijs nõ maior fiat,q̃ mi.16:sub quo sub est Contrauectus suus. Ordo vero secundi Circitoris & ipse in quinquec onsistit orbibus,quorum primus est Circunducens:qui per puncta media in latitudinem circunducitur mensibus 19,diebus 16,horis fere 9: sub eo est Circitor secundus eodem tempore Circunductus & ipse in latitudinem, cæterum proprio motu planeta multo velocior: qui sectiones in opposita agens latitudinem circa ipsas operatur gr.7,additq; Veneri per quartam quamlibet gr.45,mi.30,vel demit.sub quo est: Contrauectus suus duplo velocior,cui Anticircitor suus subest non æqualis per se Circitori,sed tantum solum impediens,vt latitudo circa sectiones nõ maior fiat,quàm gr.7:à quo postremus est Cõtrauectus vltimus. sub omnibus autem planetæ orbis locatur,qui per tot inæqualitates actus motũ suum anno vno per se cum Sole cõficit,modo anteambulo illius, modo assecla.atque hæc de Venere satis dicta sunt.

DE MERCVRIO.

De ijs, quæ circa Mercurium apparent. *Cap. 16.* C



ERCVRIVM diximus affinitatem, cõuenientiamque habere cum Venere maximam, paucis quidem enim exceptis omnia fere cum illa communia habet. Illud autem in primis constat nõ rapi ipsum ab orbe Veneris, alioqui æqualiter cum ea verti non posset, (recipi autem debet inter obseruata, æqualiter ipsum verti) quod in medio motu intelligendũ est, nam motu vero modo citius, modo tardius obire orbem constat. Secat autem medius circulus eius tum æquinoctialem, tum & eclipticã. sectiones eclipticæ annis nostris in aquario leoneq; tradunt gr.1 vtriusq;.

Ad Solem porrò neq; Mercurius eam habet relationẽ, quam tres primi superiores habuere, vt in coniunctione velocissimus, in oppositione tardissimus foret, quinimo Venerem imitatus nũq̃ adeo à Sole abscedit, vt ad oppositionem veniat: siquidem neq; vnq̃ interuallo maiore, q̃ gra. 26, mi.30 remouetur à Sole, modo & ipse præcedens, modo consequens Solem, quasi hi duo planetæ perpetuo quodam famulatu semper concomitentur Solem nunc præuij, nunc assecutores. quã ob rem & ipse Mercurius modo matutinus ante Solem in exortu spectatur, modo vespertinus post ipsum in occasu, quæ alternatio diebus 57, horis circiter 23 conficitur, cæterum ipse inter planetas rarissime videri solet. D

Sunt autem in Mercurio diuersitates non paucæ, et maxime etiam admirandæ in motu eius, quas, quoniam maxime Ptolemæus animaduertit, referemus etiam, prout illius temporibus inuentæ sunt. Tres igitur ille diuersitates in Mercurio annotauit in velocitate, & tarditate, prima fuit in duobus punctis è regione oppositis, in libra scilicet, & Ariete gra. vtriusque decimo: in libra quidem tarditatem comperit, in Ariete velocitatem. Rursus consimilẽ diuersitatem animaduertit in duobus alijs punctis, verum non è regione oppositis, sed distantibus solum per signa 4, in aquario scilicet, & geminis: in aquario enim gr.9 velocitatem notauit, in geminis tarditatem: quod valde mirum videri potuit, quoniã puncta tarditatis, & velocitatis inter se correspondentia semper è diametro opposita esse consueuere, vt in alijs monstratum est, hæc autem nõ è diametro sese respiciebant, sed solum per signa 4. Præter has autem diuersitates, & tertiam quoque vidit in Mercurio inesse, quæ directionem, statum, & retrogradationem facit, quæ certa sibi puncta non exposcit, sed successiue vbique fieri potest: cuius reuolutiones 145 obseruãtur in annis

A nis 40 fieri, Vna autem reuolutio diebus 115, horis fere 22.

Primam autem diuersitatem, quæ in Libra & Ariete visa est, animaduertit ex duabus Mercurij elongationibus à Sole æqualibus, altera vespertina, altera matutina: Vespertina fuit Sole inuento in gra.9, mi.45 Aquarij, stella vero in gra.5, mi.0 Piscium: Matutina vero fuit stella in gra.18, mi.45 Tauri inuenta, Sole vero in gra.10, mi.0 Geminorum. Ex his sequi videtur, vt maxima, & minima longitudo, hoc est absis, & antabsis essent in Libra, & Ariete: quum enim hæ duæ elongationes æquales essent, & altera vespertina, altera matutina, necesse erat maximam, & minimam longitudinem esse in medio vtriusq; puncta autem inter illas media erant gr.10 Libræ & Arietis: qua de causa in ijs statuit absidem & antabsidem, in Libra quidem absidem propter alia quædam obseruata, in Ariete vero antabsidem. quod & traditis quoque antiquorum valde cõsonum videbatur, eo etiam maxime, quòd secundam diuersitatem demonstrare non poterat, nisi ita positis abside & antabside, vti prædictæ elogationes ostendebant.

Medius motus inæqualitatis.

Gr.	m̃.	sec.	ter.	qu.	qn.	sex.	
9	7	46	0	27	28	19	horę.
3	5	24	6	59	35	51	dies.
93	12	3	29	47	55	0	mẽs.

☉	gr.9.	m̃.45.	♒
✱	gr.1.	m̃.0.	♓
✱	gr.18.	m̃.45.	♉
☉	gr.10.	m̃.0.	♊

Secundæ vero diuersitatis necessitas visa est in Aquario & Geminis propter alias duas elongationes, quas Ptolemæus obseruauit: fuit autem vtraque maxima, hoc est gra.26, mi.30, altera vespertina, altera matutina: matutina fuit Sole viso in gr.10, m̃.0 Aquarij, stella vero in gra.13, mi.30 Capricorni, vespertina vero fuit Sole in gra.10, mi.30 geminorum, stella in gr.7, mi.0 Cãcri. Quũ igitur centrum epicycli per Astronomorum principia nunquam dissocietur à centro Solis, oportuit in his duabus elongationibus cẽtrum epicycli fuisse in aquario & geminis. rursus vero & illud fuit necessarium in ijs duobus punctis epicycli centrum habuisse maximam tarditatem & maximam velocitatem, quoniam duæ illæ elongationes erant maximę, quæ esse possent: ad quas conficiendas non satis est motus proprius epicycli, sed necesse est illũ iuuari in vespertina per velocitatem superadditã, in matutina per tarditatem adiunctam, siquidem elongatio, quæ merito

☉	gr.10.	m̃.0.	♒
✱	gr.13.	m̃.30.	♑
☉	gr.10.	m̃.30.	♊
✱	gr.7.	m̃.0.	♋

epicycli per se fit, non maior est, q̃ gr. 22, mi, 30: prædictæ autem erant gr. 26, mi. 30. oportuit igitur puncta illa aquarij, & geminorum addidisse tarditatem, & velocitatem, quod magnam peperit admirationem, quũ nõ essent è regione opposita, sed distantia solum per signa 4. Tertia vero diuersitas vnicuique in propatulo satis erat. atque hæc quidem sunt quę in longitudine fuere obseruata. C

At vero & in latitudine quoque suæ diuersitates spectantur, illæ fere, quæ & in Venere visæ sunt: nam & Mercurius duobus in locis latitudinem ab ecliptica facit, in sectionibus, & pũctis medijs: maior autem multo est, quæ in sectionibus fit, vtpote gr. 4, mi. 5, minor, quæ in punctis medijs mi. 45. Verum illud in Mercurio & Venere differt, ꝙ Venere in punctis medijs semper septentrionali existente, Mercurius contra in eisdem punctis semper australis spectatur.

De causis secundum Astronomos. *Cap. 17.*

QVòd igitur à Sole nunquam elongetur Mercurius interuallo maiori, q̃ gr. 26, mi. 30, iccirco fieri Astronomi dicunt, ꝙ centrũ epicycli semper coniunctum per se incedit cum centro Solis, quare quũ stella in circunferentia epicycli vertatur, amoueri à Sole non potest lõgius, q̃ sit semidiameter epicycli, modo ante, modo retro, vti & in Venere cõtingebat: semidiametrum autem tradunt gr. 22, mi. 30. quam ob rem nec causa epicycli amoueri à Sole longius potest stella, q̃ gr. 22, mi. 30: ꝙ si nõ, nunquam ad gr. 26, mi. 30 pertingat amotio, id fieri dicunt, ꝙ epicyclus alicubi velocitatem & tarditatẽ recipiat, quod in quatuor locis vltra tertiam diuersitatem fieri comperêre, in libra & ariete, in aquario, & geminis, per tarditatem autem, matutinam elongationem iuuari, vespertinã per velocitatem, vt in Venere monstratum est. D


Primam autem, et tertiam diuersitatem, quomodo vtraque fiat, haud magno cúm negotio demonstrant, ecentrico dantes primam diuersitatem, epicyclo tertiam: in secunda autem plus laboris inuenere. Ordine tñ suo dicamus, quomodo vnamquãq; ostendant. In prima igitur demonstranda ad ecentricum confugiunt, cuius absidem in libra ponunt, antabsidem in Ariete, quare & hic punctum velocitatis, illic punctũ tarditatis maioris tradebant: quæ puncta non alium haberent motum cum suo orbe, q̃ Aplanes motum.

In secunda autem plus negotij habuere, nam quum viderent in aquario & geminis addi velocitatem, & tarditatem, non tamen satis apparebat, quo pacto fieret, ad ecentricum enim sese conuertere non poterant,

tum


A tum quod per ipsum primam diuersitatem demonstrauerāt, tum quod absis & antabsis semper opposita è diametro sunt: sed neque ad epicyclum confugere poterant, quando tertiam diuersitatem videbant illi ascribi oportere: igitur tertium quiddam imaginati sunt, hoc est cētrum epicycli bis in anno propinquiorem terræ fieri, semel in aquario, semel in geminis. Tres enim viæ solæ sunt apud Astronomos, per quas velocitas & tarditas stellis detur, prima est per absidem & antabsidem, secunda est per motum & conuersionem epicycli, tertia vero per approximationem epicycli ad terram. quum igitur sola hæc tertia superesset, qua vti possent, opinati sunt centrum epicycli bis terræ proximiorem fieri, ac sic tum in tarditate, tum in velocitate iuuari: facto enim terræ proximo epicyclo & velocitas, & tarditas maior fit, quoniam minoribus angulis prope cētrum maiores partes in zodiaco correspondeant, quare si directus, & velox per se planeta sit, factus propinquior centro, velocior etiam & citatior redditur respectu zodiaci, si vero tardus etiam sit, & retrogradus, pari modo citatior fit retrogradatio. Ad monstrādum autem, quomodo bis terræ propinquior fieret epicyclus, magnam quandam imaginationem cōmenti sunt: ac circa Ecentricum Mercurij orbē quatuor Deferentes ecētricos collocauere, duos extimos & maiores, duos intimos & minores, in quibus medijs ipse orbis Mercurij verteretur. primi igitur duo extimi

B Deferentes ceu per se immoti & stabiles absidem habebant & antabsidē è regione oppositas, absidem in libra, antabsidem in ariete, mobiles solū Aplanes motu, cæterum firmas & immutabiles. Intra hos duos immotos, duos alios collocant non quidem stabiles, sed motu continuo actos, verum in oppositum orbi Mercurij: quum enim hic ab occidēte feratur in orientem, illi contra ab oriente pari conuersione in occidentem voluuntur, quo fit, vt Mercurij epicyclus bis terrę propinquior in anno fiat: nam Deferentes hi, quum ecentrici sint, & absidem habeant, & antabsidem, agantur autem contra motum planetæ, necesse est totos percurri, & lustrari à planeta, quare & bis eum recipere in abside, bis in antabside, quare & ipsum bis terræ propinquiorem fieri. Sic enim motis in oppositum Deferentibus oualis à planeta describitur circulus, qualis e f g h, in quo bis terræ appropinquat in f & h. Sit enim linea absidis longior d g, linea antabsidis breuior d a, epicyclus in abside vbi g, qui in oppositum deferentibus agatur. dum igitur linea absidis describet arcum g b, linea antabsidis describet arcū g b, linea antabsidis describet arcum a f, epicyclus autem ex g mouebitur in f, & ex abside in antabsidem



antabsidem transferetur, vbi terræ propinquior inuenietur. Rursus dum linea absidis ducit arcum b e, antabsis ducit arcum f k. epicyclus autem ab abside f, mouetur in antabsidem e. Porrò linea absidis describente arcum e c, antabsis describit k h, & epicyclus ab e in h perducitur, vbi rursus terræ propinquior fit in antabside h. Postremo linea absidis designante c g, antabsis describit ipsa h a, epicyclus autem ab h feretur in g, descripto ouali circulo e f g h, in quo bis fuit terræ propioquior in f & h, bis remotior in e & g. C

His quatuor deferentibus ita constitutis viam quoque habere sibi visi sunt ad ostendendum et illud, quomodo epicyclus terræ propinquior fieret in Aquario & geminis, & non in punctis diametro oppositis. Oualis enim circuli e f g h vna longitudo est propinquior terræ, quàm alia: si terra sit vbi q, zodiacus sit a b g d, o vero Aquarius, p Pisces, a Aries, m Taurus, n Gemini. si ergo protrahatur linea à q ad n per k, & alia à q ad o per l, l quidem respódebit Aquario, k vero geminis, quare epicyclus in k & l propinquissimus erit terræ, quoniam nulla alia breuior est ab ouali circulo ad q, quàm q k, & q l. Causa vero, quòd oualis circuli ab epicyclo descripti vna longitudo sit terrę propinquior, alia remotior, est absis & antabsis deferentium maiorum, quum enim epicyclus est in abside minorum deferentium, illi vero in abside maiorum, tunc remotissimus est epicyclus à centro q, quàm maxime potest esse: quum vero epicyclus est in abside minorum deferentium, hæc autem absis est in antabside maiorum, minus quidem abest epicyclus à centro, non tamen propinquissimus est, quàm in omni alio puncto, quoniam est in abside deferentium paruorum. Porrò nec quum est in antabside eorum, propinquissimus etiam est, quando k & l propinquiora sunt puncta terræ, quàm f & h. in Aquario igitur & Geminis propinquissimum terræ epicyclum fieri per hanc magnam imaginationem sunt arbitrati, ac per hæc quæcunque in longitudine circa Mercurium apparent, demonstrasse sibi visi sunt. D




Quæ vero in latitudine visuntur, eodem ostendunt modo, quo & in Venere dictum est, epicyclo circa sectiones sese inclinante, mox sensim se releuante ita, vt in punctis medijs circulus eius subalternus sit cũ eccentrico, ad quod conficiendum etiam reflecti opus est diametrum longitudinis, vti & in venere.

Semper

A Semper autem videri auſtralem Mercurium in punctis medijs oppoſito modo, ac in Venere ſe habebat, inde fieri dicunt, q̃ ecentricus modo citra, modo vltra eclipticam agatur, ſed ea proportione, vt planeta in ſuperiori medietate tranſeunte in punctum medium circulus ille auſtralis ſit, contrarium vero accidat planeta in inferiorem partem trãſlato, vt in Venere dictum eſt, modus enim idem eſt, ſed proportio diuerſa. atque hæc ſunt quæ de Mercurio Aſtronomi tradidere.

De cauſis per noſtra principia. *Cap.* 18.

NOs è Circitorum ratione omnia q̃ facillime demonſtrabimus, ſiue diuerſitates, quæ in Mercurio apparent, tres ſint, vt prædiximus, ſiue tantum duæ. fortaſſe autem tantum duę ſunt, quoniam prima, quæ in libra & Ariete tradebatur, nullam habet neceſsitatẽ per illas duas elongationes Mercurij à Sole æquales, neq; enim neceſſario ſequitur, ſi duæ elongationes æquales ſint, altera matutina, altera veſpertina, vt in medio earum ſint puncta tarditatis & velocitatis, ſed ſolum id ſequitur, vt puncta tarditatis & velocitatis æqualiter ab illis diſtent: vt ſi in e & f ſint duæ elon-
B gationes æquales, hæc matutina, illa veſpertina, non neceſſe eſt maximam tarditatem, & velocitatem eſſe in a & c, ſed poſſunt eſſe & in b, & in d.



Secunda autem diuerſitas neceſſaria quidem videtur, & recipienda eſt, quòd autem tarditas & velocitas in Aquario eſſet, & geminis, ſequitur quidem ad eos, qui epicyclos ponunt: ijs enim ſuppoſitis licet ſtella fuiſſet in capricorno & cancro, ſequitur tamen centrum epicycli fuiſſe in Aquario & Geminis, vbi & Sol erat: Ad nos autem non ſequitur, qui epicyclos auferimus. quare tarditatem & velocitatem à Ptolemæo inuentam, dicimus in Capricorno & cancro fuiſſe, atque in ijs planetam recepiſſe tarditatem & velocitatem.

Tertia vero diuerſitas & ipſa neceſſario ponenda eſt propter directionem, ſtatum, & retrogradationem in Mercurio manifeſtam. Primum igitur, ſi duę tantum ſunt in hoc planeta diuerſitates, dicamus quo pacto fiant, deinde, & ſi tres ponantur, referemus nihilominus, quomodo & id quoq; contingat. ſi igitur duæ tantũ ſunt, duo ſimiliter Circitores ponẽdi erunt, quorũ alter per ſectiones circunductus in latitudinem puncta media in oppoſita maxime mouet, alter circunductus per puncta media

ſectiones

sectiones ipsas in opposita præcipue agit:prior igitur,cum circunductio- C
ne par Mercurio sit,tum motu proprio tardior aliquantisper est,propter
quod non retroducere ipsum,sed tardare solum potuit:tardat autẽ, quũ
in oppositum illi fertur,citat vero,quum in idem:puncta autem maioris
tarditatis & velocitatis erant in capricorno,& cancro Ptolemæi tempo-
re,in capricorno tarditatis,in cãcro velocitatis:ea enim proportione mo
uetur hic Circitor,vt tum subalternus sit in medietate contraria, quum
planeta inueniebatur in capricorno,subalternus vero in iuuante, quum
planeta in cancro sedem habebat.porrò & Circitor hic latitudinem ope
ratur circa puncta media non maiorem mi.45 propter Anticircitorem,
de quo dicemus.ille idem & Mercurium in punctis medijs semper au-
stralem facit,quoniam opposito modo mouetur,ac Venus:etenim,dum
planeta in parte superiori fertur ad punctum medium, Circitor hic non
à quarta australi pellit circulum Mercurij,sed à septentrionali,quare au-
stralem eum punctum facit in superiori medietate: quum vero planeta
in inferiori parte graditur in punctum medium,tum Circitor partẽ su-
periorem circuli Mercurij pellit in septentrionem , inferiorem in meri-
diem,in qua erat planeta:qua è re fit,vt semper ille australis conspiciatur
in punctis medijs.

Secundus vero Circitor tũ circunductione,tum proprio motu mul-
to velocior est planeta,siquidem circunducitur mensibus tribus,diebus D
25,horis ferè 22,ꝓprio autem motu retroducere planetam potest. ab hoc
igitur fit,vt Mercurius non plus à Sole elõgetur,q̃ gr.22,m̃.30:modo pre
cedens,modo sequens:in hoc enim Mercurius,& Venus cõcordant, vt
per se & motu suo semper concomitentur Solem pari gressũ, cæterum à
Circitore modo velocitatem maiorem recipiunt,modo tarditatẽ.quod
autem addit Circitor suus Mercurio,& demit,sunt gr.22,m̃.30: qđ quũ
per vicissitudines fiat,inde fit,vt vicissim planeta modo præueniat Solẽ,
modo præueniatur gr.22,m̃.30:ꝗ si quandoque etiam plus elongatur,id
præstatur ab alio Circitore,cuius si velocitas cum velocitate huius iũga-
tur,remotissimus fit,& ad gr.26,m̃.30 pertingit,ac tum planeta vesperti
nus in occasu apparet,vespertina enim elongatio per velocitatem fit, &
iuuatur:si vero tarditas vnius cum tarditate alterius concurrat,tum ma-
xima fit elongatio matutina gr.26,mi.30,fit enim illa & iuuatur per tar-
ditatem. Facit præterea secũdus Circitor latitudinem circa sectiones
maiorem,q̃ ea esset,quæ in punctis medijs fiebat,quoniam velocior hic
Circitor multo est,& plus mouet tum in longitudine,tum & in latitu-
dine:ille idem & directionem & statum & retrogradationem operatur,
per eum modum,qui & in Venere,& in alijs dictus est.Si igitur duę tan
tum

A tum sunt diuersitates in longitudine circa Mercurium, his certe modis contingunt, & non alijs. Si vero & prima illa diuersitas superaddenda videatur, quam Ptolomæus in Libra & Ariete statuebat, nihil nobis negotij est demonstrare, quomodo & illa fiat, sed prius de ordine & numero orbium Mercurij agamus, inde enim manifestius monstrare dabitur, quo pacto & prima illa diuersitas in Mercurio fiat.

De numero, & ordine orbium Mercurio seruientium. *Cap.19.*

VIdentur autem, qui Mercurio ministrant orbes, numero oẽs vndecim esse, quorum primus est ille Contrauectus, qui statim sub Venere locatus facit, ne Mercurij orbis simul cũ Venere rapiatur: ab ipso sequitur ordo Circitoris primi, qui in quinq; cõsistit, Circunducente, Circitore, Contrauecto, Anticircitore, & suo Cõtrauecto: quorum primus est Circunducens, qui in latitudinẽ anno vno par Mercurio circunducitur sectiones: sub eo est Circitor primus eodem tpe circunductus & ipse, cæterum motu ꝓprio Mercurio tardior, & puncta media in opposita ꝑ se mouens: sub quo est Contrauectus suus, duplo velocior Circunducente, & super illius polis motus: Cui subest Anticircitor primus, qui, si tantum sunt duæ diuersitates, in oppositum semper circunducitur Circitori, & quantũ Circitor in vnam partẽ, tantum hic Anticircitor in oppositam ducitur, ita vt in latitudine semper opponantur inuicẽ: per se autem
B non æqualis est Circitori, tantũ tñ opponitur, vt latitudo in punctis medijs nõ maior fiat m̃.45. Si vero & prima diuersitas addatur, oportet hũc Anticircitorẽ ita statui, vt à Circitore distet per vnã quartã circũductionis ita, vt, quũ Circitor in Ariete erit, hic in Cancro inueniatur, &, quũ Circitor in capricorno, hic in Ariete sit, & ita successiue. his ita constitutis duæ primæ diuersitates demonstrari facillime possunt. Statuatur planeta in Libra, Circitor aũt subalternus in medietate contraria, Anticircitor aũt in puncto neutro, vt in capricorno, manifestum quidẽ ꝙ planeta in Libra maximã tarditatem recipiet Circitore subalterno in contraria medietate. Moueatur mox planeta à Libra in capricornum, Circitor ꝑ vnam quartam à subalternatione ad punctũ neutrum, puta in cancrum, Anticircitor vero subalternus fiat in medietate contraria, clarũ est ꝙ planeta in capricorno tarditatẽ quoq; recipiet Anticircitore subalterno in medietate contraria. Rursus vero planeta à capricorno in Arietem gradiatur, Circitor subalternus fiet in medietate iuuante, Anticircitor autẽ erit in puncto neutro, quare in Ariete planeta velocitatem recipiet Circitore subalterno in medietate iuuãte. Postremo, si planeta in cancrum ꝑducatur, Circitor in pũcto neutro ĩuenietur, Anticircitor subalternus

in medietate iuuante,quamobrem & in cancro velocitatem superacqui- C
ret planeta.Manifestum igitur est in quatuor pũctis velocitatem, & tarditatem inueniri,in duobus velocitatẽ,in duobus tarditatem.In latitudine quoq; circa pũcta media videri potest,cur nõ maior fiat,q̃ m̃. 45:dum enim vterq; Circitor scilicet,& Anticircitor in eadẽ parte sunt(vt septentrionali)pellunt punctum mediũ vltra eclipticam versus meridiẽ m̃. 45: mox altero existente in septentrione, altero in meridie opponuntur inuicem,& latitudo non mutatur:deinde vero vtroq; rursus in eadem medietate existente meridionali repellunt punctũ medium versus septẽtrionem mi 45.si igitur tres sunt in Mercurio diuersitates,per hunc modum fieri censendum est.Sub Anticircitore est suus Cõtrauectus: sub quo est ordo secundi Circitoris,qui & ipse in quinq; consistit orbibus, quorum primus est Circunducens,qui per puncta media circumactus mensibus tribus diebus 25, horis ferè 22 Circitorem simul circunducit eodẽ tempore:sub eo est Circitor secundus,qui simul per eadem puncta media circunlatus sectiones ipsas suo motu in opposita agit,verum motu suo velocior multo planeta est,additq; in vna quarta circunductionis, ac demit gr.22,m̃.30.Sub eo est Contrauectus duplo velocior Circunducente, ac sub ipso Anticircitor alius,à quo fit,ne latitudo circa sectiões maior euadat q̃ gr.4,mi.5.ac postremo est sub ipso Contrauectus vltimus. à quibus omnibus orbis Mercurij sequitur per tot diuersitates orbem obiens an- D
no vno motu proprio,citius tamen quandoq;,quandoq; tardius propter accidentia,quę cum annuo suo motu iunguntur.Sępe enim plures retrogradationes intercidunt,sæpe pauciores.atque hæc quidem ea sunt,quæ de Mercurio dicenda visa nobis fuere.

DE LVNA.

De ijs,quæ circa Lunam apparent. *Cap. 20.*



DE Luna postremo superest,vt agamus,quæ vna omnium vltimã sedem habet.Sicuti aũt supiores planetæ tres multa inter se conuenientia habuere,tũ multa Venus,& Mercurius,ita & Luna plurima cũ Sole affinia sortita est.ergo et ipsa ĩ primis diurno vertitur motu,verũ cæteris multo tardior, si quidem paulo minus hora vna serius, q̃ alij,ad occasum ducitur.ꝓpriũ vero motũ reliquis velociorẽ habet, quando diebus septem & viginti,horis 8 orbẽ ambit totũ.Eius aũt medius circulus

Medius motus circuitionis.

gr.	m̃.	se.	ter.	q̃r.	qn.	sex.	
0	32	16	27	26	23	46	horę
13	10	34	58	38	30	30	dies.

eclipticam

A eclipticam secat, vtpote ad illã obliquus. Sectiones alij nodos vocant, alij caput & Caudam Draconis, Caput quidem eam sectionem, vnde incipit in septentrionem ferri, Caudam illam, vnde in meridiem. Sunt autẽ sectiones illæ instabiles variabilesq; diebus singulis, siquidem obseruant mutari eas aduersus signorũ ordinem quotidie mi. 3. Mutantur quidem & aliorum sectiones ob Aplanes motum, sed in ijs non apparet nisi post annos plurimos, at in Luna ea sectionum inconstantia singulis etiam diebus manifesta fit. Declinatio vero circuli Lunæ ab æquinoctiali, vbi maxima est, maior multo fit, q̃ maxima Solis declinatio: Siquidem vltra tropicos Solis, & æstiuum circulum gr. circiter. 5 recedit: quare maxima Lunæ declinatio gr. octo & viginti ferè traditur. Habet præterea Luna eam tarditatis & velocitatis inæqualitatem, quam Dij omnes habere orbes voluere, verũ non in vna magis medietate q̃ alia illam habet (vti Sol) sed vbiq; successiue, & ad punctum oẽm. Porrò quemadmodũ & Sol, neque ipsa Luna retrogradationem vllã nouit, sed semp directa fertur, quã quam modo tardior, modo velocior, modo medium motũ agens, qui & ꝓprius illi est: velocissima aũt quum fertur, gr. ẽt. 15 in die vna conficit, tardissima vero, vix 11, medium autem motum agens gr. 13, mi. ferè 10.

Inæqualitatis aũt periodus nõ oĩno æqualis est periodo circuitionis, qñ circuitio diebus 27, hor. 8 ꝑficit̃, inęqualitas aũt diebus 27 horis circiter 13.

B Ad Solem porrò relationem nõ paruam habere Lunam constat, nam modo illi cõ iungi ac subijci, qd' interluniũ vocant, modo illi è diametro opponi, quod plenilunium appellant, modo in quartis aspectibus esse, quas quadraturas dicunt, græci dicothomõ, modo in locis inter hæc medijs. coniuncta aũt quum est, nihil luminis ad nos demittit, remota aũt à coniunctione saltem gr. 14, videri vespertina incipit in occasu, at exigua, & cornuta, quod nouilunium dicũt, greci minoyden. mox ẽt magis à Sole recedens plus luminis continenter monstrat, donec dicothomos fiat: deinde transacta quadratura circa 12 diem, quũ plus dimidio lumine profert, Amphicyrthos appellatur: ac mox pleno sese orbe ostẽdit Soli opposita. Ab oppositione porrò cõminuere orbẽ incipit, & matutina in exortu cõspicitur: tũ rursus Amphicyrthos fit: mox & rursus Dicothomos: ac demũ ẽt minoydes exiguo lumine et corniculari, donec iterũ ad coitũ cũ Sole redeat. Cornicularis aũt quũ sit Luna & ante oppositionẽ, & post, tũ illud ĩterest, q; ante oppositionẽ cornua semp in ortũ spectant, post oppositionẽ autem in occasum. Ab vna vero cõiunctione ad aliam est periodus sua, tẽpusq; intercidit dierum 29, horarum 12, m̃. 44.

Medius mot⁹ inęqualitatis.

gr.	m̃.	sec.	ter.	q̃r.	qn.	sex.	
0	32	39	44	50	44	40	horæ
13	3	53	56	17	51	59	dies.

Per nouilunia præterea quum uideri à nobis incipit, non æqualiter ſeſe terris nouã oſtendit, ſed qñq; prima die à coniunctione, quod rarius fit, qñq; ſecũda, quod vt plurimum accidit, qñq; non niſi tertia,

Medius motus remotionis.							C
gr.	m̃.	ſec.	ter.	qua.	qn.	ſex.	
0	30	28	36	43	20	45	horę
12	11	26	41	20	17	50	dies

quod item rarius euenit. Multa item ac varia tum in coniunctionibus, tum in oppoſitionibus, tum & in quadraturis accidunt circa Lunam, nam in coniunctionibus non ſolum ipſa lumen amittit, ſed quaſi iniuriam vlta erepti luminis Solem ipſum obſcurat, ac demit nobis, quæ Solis eclipſis dicitur, quod nec alibi euenire, q̃ in cõiunctionibus poteſt, aut propè: in oppoſitionibus vero deficere, eclipſariq; ipſa ſæpe ſolet Luna, quod & in ijs ſolis contingit, aut prope. At vero & circa quadraturas magnam quandam accidere diuerſitatem obſeruant: eo enim tempore & maior multo, & terræ propinquior apparet, vnde & non parum aſpectum noſtrum reſpectu zodiaci euariat, & loca in cœlo eludit.

Alia præterea, & valde admiranda diuerſitas in Luna apparet, quum velocem habet motũ, & quum tardũ: nam velox quũ eſt, tum & maior & terræ ꝓpinquior videtur, quum vero tarda incedit, tum minor & remotior apparet: quippe maior & ꝓpinquior duobus in temporibus ſpectari ſolet, & quum in quadraturis eſt, & quum velocẽ agit motum. Eclypſes quoq; Lunæ ſi tũ fiant, quum velox eſt, maiores obſeruãtur, & D in maiori vmbra, minores vero & in minori vmbra, quũ tarde graditur. Sol quoq; ſi tũ eclipſatur, quũ Luna in veloci eſt motu, maiorẽ eclipſim ſuſtinet, ſi vero, quum in tardo Luna eſt motu, minorem. Ad hæc ſi deficiat in meridie Luna, maiorẽ apud nos eclipſim patitur, ſi in ſeptentrione, minorẽ. Cõtra Sol, ſi ĩ meridie ipſe deficiat, minorẽ ipſe eclipſim fert, ſi in ſeptentrione, maiorẽ. atq; hæc ferè ſunt, quæ circa Lunam apparent.


De cauſis ſecundum Aſtronomos. *Cap. 23.*

AD hæc animaduertentes Aſtronomi Lunæ orbem in primis ecentricum ſtatuunt. Quòd vero eius ſectiones cũ ecliptica diebus ſingulis mutentur aduerſus ſignorum ordinem m̃. 3, inde fieri dicunt. Supra orbẽ Lunæ, ac ſupra Deferentes eius, orbem alium ponũt, qui ſuper polis zodiaci diebus ſingulis m̃. 3 contra ſignorum ordinẽ mouetur, ac ſecum & ſectiones trahit. Orbem aũt hunc Deferẽtem Draconis vocãt. Addidere præterea orbi Lunæ & epicyclũ, cuius medius circulus ſubalternus ſemper eſt cum medio circulo ecentrici, in cuius circũferentia Lunæ ſtella vertitur, ima parte epicycli pro ſignorũ ordine oriẽtem verſus, ſuprema contra ſignorum ꝓgreſſum in occidentẽ, oppoſito quidẽ modo,




A do,ac aliorum epicycli agebantur,ij.n.superna parte in ortū, inferna in occasum voluebantur:in Luna vero cōtra fit,ima.n.in ortum,summa in occasum fertur:qua è re fieri dicunt,vt cum Luna velocē habet motum, tum maior & ꝓpinquior videatur,tunc.n.in ima epicycli parte est, quæ in idem cū ecentrico agitur,ac nobis ꝓpinquior est:cōtra vero quum superna in parte,& remotior est,& minor apparet,et tardum habet motū, qm̄ in oppositum ecentrico vertitur. Retrograda autē nūquam fit Luna,quoniam epicyclus tardior est ecentrico, quare & si retro respectu epicycli ducit̄,simpliciter tn̄ non retro,sed tardius solum mouetur.Eclipses quoq; Lunę minores fiunt,quum tarde graditur, qm̄ tunc est in summo epicyclo,& à terra remotior, maiores vero quum velociter fertur,quoniam in imo tunc epicyclo est,& terræ propinquior.Sit Sol a b: terra c d: Luna e f: vmbra terre c d: Luna in imo epicyclo,& terræ ꝓpinquior, h k: in summo epicyclo,& remotior, l m. manifestū igitur ꝙ in imo epicyclo Luna in maiori vmbra versatur,in summo in minori: maior enim est h k, q̃ l m. Qđ si Sol ipse eclipsetur Luna in imo epicyclo existente,maior eclipsis fiet, qm̄ illic Luna est propinquior terræ,& maioris basis:Sit Sol a b:vi
B sus vbi c: Luna propinquior terræ,d e,remotior f g. palàm ꝙ maior basis est d e, & plus de Sole adimit, q̃ f g,à quo solum h k demitur de Sole.






Diuersitatem aūt aspectus,quæ in quadraturis apparet,inde fieri dicunt, ꝙ Lunæ ecentricus in vnam partem,Deferentes in aliam & oppositā agunt̄,Ecētricus quidem pro signorū ordine in ortum, Deferētes cōtra in occasum:vnde euenire necesse est, vt planeta in omni reuolutione sua bis in abside fit, bis in antabside,vti & in Mercurio diximus. Sic enim cōtra actis Deferentibus oualem describi circulū necesse est,cuius longitudo multo maior sit latitudine,qualis a g h e: in quo planeta bis in abside fit in a,& h, bis in antabside in g, & e:quare bis cētro vicinior fit,bis remotior. In coniunctione igitur,& oppositione semper in abside est Luna,in quadraturis vero semꝑ in antabside:quare,quū



in his terræ propinquior fiat, diuersitatẽ quidem in aspectu maiorẽ illic facit, & maior ẽt apparet, hoc quidem, quia terræ ꝓpinquior est, illud, q̃a sola Luna inter planetas diuersitatẽ aspectus facit in cœlo ꝓpter eius propinquitatem: quare quanto ꝓpinquior erit, tanto maiorem illã diuersitatem reddet: ꝓpinquissima igitur cũ fiat in quadraturis, maxime quidem iu illis aspectum variabit, & loca in zodiaco eludet. Si vero quispiã illud mõstrari cupiat, cur sola Luna diuersitatẽ in aspectu faciat, dicimus iccirco contingere, ꝙ nobis non è centro terræ, sed è superficie videntibus linea cẽtri in zodiaco in vnũ locum incidit, linea visus in alium, inter quæ loca spatium quidem, quod intercidit, in Luna quidẽ est sensibilis basis ꝑꝑ propinquitatem Lunæ, in alijs aũt planetis propter distantiam sensibile non est illud spatium, nec loca distincta apparent: quare in idẽ videtur in ijs ferri centri linea & visus, in Luna aũt nõ in idem, sed in diuersa. Sit zodiacus a b c d: terra e g: linea centri per Lunam f l: linea visus per Lunã e k. Luna vbi s, ꝓpinquior alijs planetis. manifestũ igitur ꝙ centri linea in zodiaco in alium locũ cadit, vt in l, linea visus in aliũ, vt in k: inter quæ spatiũ q̃d intercidit sensibile est, & loca diuersa referẽs: quod in ijs planetis non accidit propter distantiã. Sit enim Sol, aut Iuppiter, vbi p, linea quidẽ centri per Iouem cadet in q, linea visus per Iouem in r: at spatium quod est inter q, & r, sensibile non est, & loca illa, vt vnum, repræsentantur. Quam ob causam in planetis aspectus non diuersificatur, in Luna autẽ, ꝙ propinquior cæteris sit, diuersificatur, & tanto magis, quanto propinquior terræ fiat, q̃d in quadraturis cõtingit. Atq; hæc quidem sunt, per quæ astronomi ea demonstrant, quæ circa Lunam apparent.




De causis per nostra principia. *Cap. 22.*

QVum autem inter diuina illa & perfectissima corpora eiusmodi monstrosi orbes esse non possint, tentandum est per alia principia prædictorum omniũ causas assignare. In primis igitur, quę dicta sunt de sectionibus eius cum ecliptica, & nos affirmamus, ac confitemur, eundemq; illum orbẽ ponimus, qui super polis zodiaci aduersus signorum ordinẽ diebus singulis m̃ 3 mouetur, à quo & sectiones Lunę simul quoq; trahũtur: potest autẽ et idẽ orbis in causa esse, cur lunæ sphęra non simul à Mercurij sphæra circunducatur. Quòd vero modo tardior, modo

A modo velocior feratur luna, Circitori ſuo aſcribendũ eſt, qui tum circũductione, tum & proprio motu tardior Luna eſt: circunducitur autẽ nõ præciſe eo tempore, quo Luna circuitionem facit, ſed paulo tardius: Luna ſiquidem diebus 27, horis 8 orbem peragrat, at Circitoris circunductio diebus 27, horis ferè 13 fit: quo euenit, vt periodus circuitionis non omnino æqualis ſit periodo inæqualitatis. Quoniam autem modo in idẽ cum orbe Lunæ, modo in oppoſitum fertur Circitor, hinc accidit, vt modo velocior, modo tardior conſpiciatur Luna. nunquam autem retroducitur, quoniam tardior illa eſt Circitor. non eſt autem inęqualitas hęc in in vna medietate magis, ſed ſucceſsiue vbiq;, quoniam non æquantur periodus inæqualitatis, & periodus circuitionis.


Ad Solem autem relationem nõ paruam habere Lunam neceſſe eſt, Sole iter per eclipticam habente, Luna vero per circulum ſuum, qui eclipticam ſecat: nec ab ea plus recedit, q̃ gr. 5: aut enim alter ſub altero eſt in eadem linea, aut erunt è diametro oppoſiti, aut in aſpectibus alijs. Eſſe autem in eadem linea nõ vno modo dicitur, ſed multipliciter, vna enim eſt interdum linea reſpectu centri, quæ per vtrũq; tranſit, vna interdum eſt reſpectu viſus, neq;.n. in idem cadit centri linea, & viſus (vt dictũ eſt.) interdum vna dicitur linea reſpectu gradus, quum enim vterq; ſub vno gradu ſunt, in vna eſſe dicuntur linea, protracta ſcilicet linea à polis zo-
B diaci ad gradus eius, quæ per vtrunq;, Solem ſcilicet & Lunam pertranſeat. In vniuerſum igitur cum Sole cõiuncta Luna dicitur, cum ſub vna linea cum Sole fuerit, quocunque contingat modo: ſimpliciter autem, et proprie coniuncta eſt, quum ſub linea centri vterque cadit: ad nos autẽ coniuncta dicitur, quum aut ſub linea viſus, aut ſub vno gradu coniunctio fit. Si qui igitur intra zodiacũ habitãt, ijs oĩbus modis eſſe vna linea, & coniunctio poteſt, quũ ſupra eorũ verticem coniunctio fit, tunc.n. & cẽtri, & viſus, & gradus eſſe vna linea põt: at quibus extra zodiacũ eſt habitatio, ijs nunq̃ eſt vna linea centri, & viſus: ſi.n. coniunctio fiat in medio cœli, centri linea ſuperius, viſus inferius cadit: at ſi ante medium cœli coniunctio accidat, tunc ſemper coniunctio viſus præcedit, centri ſequitur: ſi vero accidat poſt medium Cœli, ſemper centri præcedit coniunctio, viſus ſequitur. Sit linea centri b d, & b e: linea viſus f d, & f e: viſus vbi f: coniunctio ante mediũ cœli f d, poſt medium cœli f e.




Coniunctio aũt gradus & centri eſſe vna poteſt, quum in ſectionibus cõiunctio fit, quum vero fit extra ſectio
nes,

nes,tunc ſemper diuerſa eſt linea gradus,& centri:viſus quoq; & gradus C
coniunctio eſſe vna in ſectionibus poteſt,extra ſectiones non. Ex his
multa eorũ contingunt,quæ in coniunctionibus & oppoſitionibus ap-
parent:quotieſcunq; enim talis eſt coniunctio, vt viſus per Lunæ, Soliſq;
centrum pertranſeat,tunc eclipſis fit Solis maxima,quę eſſe poſsit,quod
in ſectionibus ſolis habere locum poteſt:ꝙ ſi tunc maioris etiam diame
tri appareat Luna,quod ſæpe accidit(vt dicemus)tunc obſcurari etiã to-
tum Solem contingit,non quidem terris omnibus,ſed quibuſdã. extra
ſectiones autem eclipſis Solis non fit,niſi forte ꝓpè ipſas,quæ eclypſis in
parte eſt ſolum. In coniunctionibus vero lucere deſinit Luna,quoniã
ex ſe quidem lumen ipſa non habet,ſed totum,quicquid demittit lumi-
nis,à Sole recipit:ſuperiore igitur exiſtente Sole,neq; pars Lunæ,quæ So
lem ſpectat,videri à nobis poteſt,neq;,quæ ad nos obiecta eſt:hæc.n. illu
minata non eſt,vtpote auerſa à Sole,illa vero illuminata quidem eſt, ſed
auerſa eſt à nobis. Obſcuratio vero hæc in Luna eclipſis nõ appellatur,
quoniam inter nos & Lunam interponitur nihil, quod requiri videtur
in ea,quam eclipſim appellare Aſtronomi voluere. Non ſolum auté in
coniunctionibus lucere deſinit Luna,ſed etiã poſt,donec interuallo gra.
ſaltem 14 amota à Sole ſit, quod breui conficit propter celeritatem. Qđ
autem quandoq; citius,qñq; tardius ſeſe nouam terris oſtendat, cauſa in
vniuerſum eſt,ꝙ modo citius ſeſe à Sole amouet,modo tardius, citius q. D
dem,quum velocẽ ipſa motum habet,Sol tardum,item quum & in rectũ
amouetur,tardius vero,quum tardum ipſa motum habet,Sol velocem,
aut cum in obliquum amouetur.Igitur ſi cauſæ omnes concurrant, quæ
celerem amotionem faciunt,prima etiam die ſperare nouam Lunã poſ-
ſumus:ſi vero omnes conueniant,quæ tardam amotionẽ apportant,non
niſi die tertia expectare debemus Lunam.Extrema autem rarius q̃ me-
dia contingere ſolent,qua re ſecunda;vt plurimũ die ſeſe nobis noua oſtẽ
dit Luna.Apparet aũt primum figuræ,quæ inde Lunaris dicta eſt, quo-
niam ſphærica eſt Luna:omnis aũt circulus in ſphærico corpore arcualis
eſt,niſi ſubalternus ſit viſui. quoniam igitur ſemper ſecundũ ſui mediũ
illuminatur à Sole Luna,circulus quidem ille terminans illuminatã me
dietatem à principio ſubalternus viſui non fit,quare arcualis videtur.
Exiguum aũt eſt,quod apparet per nouilunia,qm̃, & ſi Sol ſemper me-
dietatem illuminet,nõ tñ tota pars illuminata videri poteſt à principio,
quia maxime auerſa eſt à nobis:mox vero,quanto abſcedit à Sole magis,
tanto plus eius partis,quæ auerſa erat,ſeſe oſtendit.Cornuum vero,quæ
in Luna apparent,ea ratio eſt,ꝙ ſemper pars Soli obiecta vẽtrem ſeu de-
uexam in luna facit,oppoſita concauum,vbi cornua ſunt.quoniam igi-
tur

A tur ante oppoſitionẽ Sol ſemper pręcedit,Luna ſequitur in diurno motu,inde fit,vt ante oppoſitionem cornua ſemper orientẽ reſpiciant, quoniam deuexum & venter occaſum reſpicit,vbi Sol:poſt oppoſitionẽ autem contrarium fit,qm̃ Luna præcedit,Sol ſequitur:quare tunc vẽter reſpicit orientem,vbi Sol,concauum & cornua occidentem reſpiciunt. eadem de cauſa,ꝙ ante oppoſitionem Sol præcedit,Luna veſpertina in occaſu apparet,poſt oppoſitionẽ vero ꝙ Luna ipſa pręcedit,matutina in exortu ſpectatur.In oppoſitionibus vero ſæpe ipſa eclipſatur luna mõ tota, modo in parte,& nõ alibi,q̃ in oppoſitionibus aut ꝓpè,qm̃ obiectus terræ non poteſt vmbram in Lunam iacere,niſi quum planeta vterq; è diametro oppoſiti ſunt,aut propè. Sunt autem eclipſes Lunæ maiores Luna in meridie exiſtente,Sole in ſeptentrione,q̃ econtra,quia Sol in ſeptẽtrione minor apparet(vt dictum eſt)quare vmbrã lõgiorem à terra iacit & latiorem,vbi eclipſis fit. Exiſtens vero in meridie maioris diametri fit, quare & vmbram anguſtiorẽ & breuiorem producit. Sit Solis diameter in ſeptentrione a b,in meridie c d, terra ſit e f,luna vbi g k l h. manifeſtum igitur ꝙ à diametro a b vmbra à terra fiet e f o,lata,vbi luna per totam g h: à diametro vero c d vmbra à terra pro-
B ducetur e f n, lata, vbi Luna,quantum eſt tota k l: at multo maior eſt g h, q̃ k l. in ſeptentrione igitur exiſtente Sole eclipſis maior & diuturnior lunæ eſt.




Eclipſes autem Solis,quæ in ſeptentrione fiunt, maiores videntur,q̃ quæ in meridie, quoniam in ſeptentrione tum Luna, tum Sol minoris diametri redduntur,in meridie vero maioris.Creſcentibus igitur in meridie vtriſq; proportionaliter ſuperat quidem Sol Lunam maiori exceſſu,q̃ in ſeptentrione ſe habebãt,quare minus eclipſatur in meridie.Si enim 2 & 4 ꝓportionaliter creſcant,2 quidẽ ad 4,4 aũt ad 8,tunc 8 maiori exceſſu ſuperabit 4,q̃ 4 ſuperet 2: proportio quidem eadem manet,dupla ſcilicet in vtroq;,at exceſſus eſt in altero maior,8.n.ſuperat 4 per 4, 4 vero ſuperat 2 per 2 ſolum:ꝑpter quod minor in meridie Solis eclipſis videt̃.ſed de eclipſibus multa fortaſſe dici poſſent, quæ ad præſens inſtitutum non pertinent.



De diuerſitate aſpectus in quadraturis,& in motu veloci & tardo. Cap.23.

NVnc de diuerſitate aſpectus,quæ in Luna apparet,proſequamur, quæ duplex erat,altera in quadraturis,altera in veloci Lunæ mo-

tu:in vtroq;.n.Luna & maior,& propinquior apparere dicebatur,& loca aspectus maxime euariare.Necessarium aũt est aut ita re esse, vt ꝓpinquior fiat,aut apparere tantummodo.Astronomi igitur,quum nõ viderent,qũo contingere posset per apparentiam,existimassentq; causam omnem exclusisse,quæ ad medium reduci posset,ita esse re ipsa dixere. at vero non ita certe fuit,vt causam oẽm excluserint,quæ è medio pẽdere posset,nam tametsi causam ex aere omnem,& ex aqua, & eiusmodi exclusere,non tñ,quæ ad cœli partes referri possent, animaduertêre. diximus .n.supra non solum aerem,& aquam,& id genus posse esse medium specierũ,quæ à stellis veniunt ad visum nostrũ,sed & cœlum ipsum,& cœli partes,quarũ aliæ sunt specula reflexionis tantum(vt stellæ) aliæ mediũ refractionis esse possunt eo pacto,quo aer,& aqua,& vitrum ,& in summa diaphana omnia corpora densiora.Hæc igitur omnia in memoriam reuocanda sunt,necnõ & illud quoq; repetendũ est, ac supponendum nobis non solũ maiora ꝓpinquioraq; videri,quæ per densum mediũ species mittunt,sed & illa ẽt,quæ per plus densi medij veniunt: quo pacto ea,quæ in fundo aquæ cernuntur,maiora apparent & ꝓpinquiora,& ipsa ẽt Luna talis fit propè horizontẽ,& in septentrione,vt supra monstratum fuit.Quòd igitur in quadraturis maior appeat Luna & ꝓpinquior, causam esse dicimus,ꝙ species Solis in Lunã incidẽs per plus orbis refrãgitur ĩ eo loco,q̃ in omni alio extra quadraturas. D




Sit orbis lunæ g f d h, tantæ crassitiei, quanta est k h : Sol vbi a,superior enim est:Luna in quadratura,vbi c,vel vbi e. manifestum igitur ꝙ species Solis seu radij ad Lunam veniunt alij per lineam b c, alij per l c,illi scilicet, qui in summo refranguntur,vbi l: similiter in alia quadratura alij veniunt per d e,alij per l e:nullæ autem longio res lineę esse pñt posita Luna in omni alio loco,q̃ sint prædictæ,quod satis manifestũ est:quare per plus orbis accidit refrangi speciem Solis in quadraturis,q̃ in omni alio loco,vnde & maiorem et propinquiorem videri Lunam accidit nõ aliter,quàm ea,quæ in profundo aquæ cernuntur.Quinimo quædã specilla ocularia fiunt tantę densitatis,vt si per ea quis aut Lunam,aut aliud sydera spectet,adeo propinqua illa iudicet,vt ne turres ipsas excedãt: quare nec mirum videri debet si per orbium partes idem quoque cõtingat.Cuius rei & illud quoque signum est,quod & planetæ reliqui eo ẽt maiores apparent, quo ad quadraturas accedunt. ipsi etiam obseruauimus,

A mus Iouem in quadratura multo maiorem ſolito. Maior igitur & ꝓpinquior quum appareat in quadraturis Luna, magis etiā eo tempore aſpectum euariabit, & loca in zodiaco eludet, ad aſpectū enim euariandum nihil refert, ſiue re ipſa propinquior ſit, ſiue appareat, idē.n. omnino fit.


Nunc autem & quo etiam modo maior, & ꝓpinquior videatur, quū motu veloci fertur, expediamus. Verum nobis vnum licere, ac concedi rogamus, quod alijs Aſtronomis nemine aut admirante aut reclamante ſemper licitum, ac cōceſſum fuit: oēs.n. ſub Luna vnum orbem ſtatuūt, quē Deferentē vocāt: id ēt nobis licere exiſtimamus: vt nemo turbari debeat, ſi ſub Luna orbem aliū ponamus, eo rectius, q̃ alij, ꝙ non ecentricū ponimus. hoc, ſi vlli incōueniens videtur, illi nolumus hęc fuiſſe ſcripta.

Porrò & ſi orbi huic partes non vniformes demus, ſed alias rariores, alias denſiores, nunquid & hoc inconueniens exiſtimabitur? at certe neminem aut tam ignarū, aut tam iniquum fore exiſtimamus, cui hoc inconueniens videatur, quando & in Luna ipſa, & in tota Aplane ea partium diuerſitas manifeſta omnibus eſſe poteſt.

Ergo ſub Luna orbem vnum ponimus, qui partibus quidem magnopere difformis & inæqualis ſit, alibi quidem denſior, alibi rarior, perſpicuum tñ vndequaq; & tranſparens corpus. videt̃ aūt denſitas eius per lōgitudinem media protendi, quaſi zona quędā dēſior totā mediam lōgi
B tudinem ambiat, partibus alijs ſucceſsiue magis & magis rareſcentibus: vt ſi orbis hic ſit a b d e, zona dēſior erit a c d f, reliquæ vero partes rariores erunt, præſertim vbi b & e. Huius igitur orbis motū eſſe dicimus in latitudinem à meridie in ſeptētrionē per b e, ea ad Lunā proportione, vt, quum velociſsimū illa motum agit, tum orbis hic ſubalternā cum Lunę circulo zonam denſiorē habeat, quum vero ipſa tardiſsimo incedit motu, tum & orbis hic ſubalternam hēat rariorē partē b aut e. Videtur igitur motus eius duplo tardior eſſe circunductione eius Circitoris, qui velocitatē & tarditatē Lunæ præbet, etenim quū Circitor ſubalternus eſt Lunæ in medietate iuuante, tunc et zona quoq; ipſa denſior ſubalterna Lunæ fit: quū vero ſubalternus Circitor eſt in medietate cōtraria, tunc zona ꝑ quartā ſolum vnā diſtat à ſubalternatione, ac rarior pars b aut e ſubalterna ipſa Lunæ fit. Hinc ea oīa contingunt, quæ in Lunæ velocitate diuerſitatē faciunt in aſpectu. Subalterna.n. exiſtente zona illa denſiore neceſſe eſt maiorem, ꝓpinquioreḿq; nobis Lunā videri, refracto plurimū Sole, nihil enim eſt aliud Luna viſa,




quàm Solis ſpecies in Lunam incidens ceu ſpeculum,& inde ad nos re- C
flexa:quæ quum per mediũ denſius defertur,maius quidẽ ac ꝓpinquius
ſpeculum ipſum offert,non aliter,q̃ ſi idem Sol per aquam aut criſtallũ
reflectatur ad viſum noſtrum. Inde & eclipſes illas maiores videri acci-
dit,quæ Luna motum velocẽ habente contingunt:ſi enim Solis eclipſes
ſint,accidit maiores quidẽ videri Luna maioris diametri apparente,plus
.n.de Sole obſcuratur à Luna:ſi vero ſint eclipſes ipſius Lunæ, maiores
etiam apparent,qm̃ & vmbra,quæ à terra in Lunã iacitur,maior etiã ip-
ſa redditur per mediũ denſius tranſiens,idem.n.& Luna,& vmbra,quæ
in eam cadit,ſuſtinẽt:qua de re,quũ Lunæ centrum in latiori vmbra ver
ſetur,eclipſis maior & diuturnior fit:cuius rei ſiquis cupit ſimilitudinem
quandam atq; exemplum recipere,facillime quidẽ poterit ad Lucernæ
lumen idem coexperiri:ſi.n.inter lucernam & parietem globulũ aliquẽ
ſiſtat,cuius vmbra in parietem cadat,tum ſuper vmbra illa vel criſtallũ,
vel vitrum,vel denſum aliud corpus,ſed diaphanum ſtatuat,videbit qui
dem vmbrã multo maiorẽ latioremq; factam:ſolet enim idem & vmbra
à medio pati,quod & color & lumen.ꝓpter hãc ergo cauſam Lunę ecli-
pſes maiores vidẽtur Luna motũ velocem agẽte,in maiori.n.vmbra ver
ſatur Luna. Eſt aũt & maior vmbra alio pacto:Lunã.n.propinquiorẽ ter
ris apparentem accidit in maiori, latioriq; vmbra verſari, qm̃ pyrami-
dalis eſt vmbra terræ,& latior ſemper,quo terræ propinquior eſt.Sit Sol D
a b : terra c d : vmbra terræ c d k : Luna propinquior apparens e f, re-
motior apparens g h : palàm igitur eſt e f in maiori vm-
bra verſari,q̃ g h.ad apparentiam autem faciendam nihil
refert(vt diximus)ſiue Luna ꝓpinquior ſit,ſiue appareat.



Propter has igitur cauſas,quæ circa Lunam viſuntur,
contingere exiſtimandum eſt. De eo aũt orbe,quem nos
ſub Luna ponimus,operæpretium erit,ſi quædam dican-
tur,quo nemo exiſtimet nos rem & valde nouã,& valde
irrationabilem induxiſſe:neq;.n.nouum inuẽtum eſt no-
ſtrum hoc,neq; extra rationẽ appoſitum:nouum quidem
non eſt,tum ꝙ(vt diximus)& idem aſtronomi faciunt,tũ
ꝙ philoſophi multi orbẽ vnũ ſub Luna eſſe opinati ſunt,
inter quos & Seneca fuit,qui non quidem ꝓpter cauſam
in Luna,ſed propter cometas eiuſmodi orbem poſuit.Ra
tionabile porrò videtur aut ſaltem non præter rationem
eſſe orbẽ ſub Luna,qui in latitudinem circunuertatur,cũ
ꝓpter bonum ac finem in natura,tum ꝓpter quædam,quæ circa come-
tas apparent vltra ea,quæ & circa Lunam videntur. Primum.n.ſi eiuſ

modi

A modi orbis sub Luna sit, qui in latitudinem circumagatur, recte ꝓuidisse naturam censebimus, quo partes illæ damnatæ ignis & aeris, quæ sub polis sunt, quandoq; inde abductæ in æquinoctialem trahantur, ac contra, quæ sub æquinoctiali ac sub Tropicis sunt, qñq; sub polos ducantur, atq; ita tota ea sublunaris regio contemperetur. At vero & talem esse orbem, qui motū sub Luna habeat in latitudinem, præter ea, quæ in Luna apparent, sunt & signa quædā alia circa cometas visa: nam, quos aut legimus, aut vidimus cometas, omnes constat motum vel notabilem in latitudinem egisse. Legimus aūt cum alios multos tales fuisse, tum eū, qui 1472 visus est mēse Februario, Sole in Aquario gr. ferè 11 existente: fuit autem pogonias, qui quum prius australior fuisset, q̃ libra, mox adeo septētrionalis factus fuisse legitur, vt vltra ęstiuum Tropicum spectaretur. Nos vero tres illos cometas, qui annis superioribus apparuere, diligentissime obseruauimus, ac omnes miro quodam motu in latitudinem non parum actos conspeximus, circa quos si paulisper digrediamur, motusq; eorum admirandos recenseamus, & gratum & optabile cunctis fore arbitramur. Ergo anno 1531 primus cometa visus est die 8 & 9 septēbris: apparuit aūt primum matutinus ac valde septentrionalis (vtpote q æstiuo circulo borealior multo esset, idē mox circa 13 diem vespertinus emersit circa æstiuum circulū: sequentibus vero diebus longitudine parū mutata, in latitudinem adeo sese egit, vt vltra æquinoctialē spectaretur non
B longe à Ioue, qui tum in gr. 13 Scorpij vertebatur, circa diem autē 18 sensim absumptus fuit. Huius igitur motū si recte consideremus, videbimus certe factum per talem arcum fuisse, qualis est d e f ad æquinoctialem a b c: matutinus. n. erat in d ante Solem, qui erat vbi b, mox vespertinus apparuit retro à Sole ab e vsq; ad f. Secundus autē visus fuit anno 1532 semper matutinus ante Solem: stella erat triplo maior Ioue, Coma autem seu barba longitudinis brachiorum duorū. videri autem cœpit die 22 Septembris, ac perdurauit vsq; ad diem 8 Decēbris, qui fuere dies circiter 71. Ex quo aūt nos obseruare ꝑ instrumenta cœpimus, erat primum cometa in Virgine gr. ferè 5, australis ab ęquinoctiali gr. circiter 6, ab ecliptica gra. 15: mox in Virgine visus est gra. 7, australis ab æquinoctiali gr. 3, ab ecliptica gra. 14: deinde & in Virgine gr. ferè 11, ab æquinoctiali australis gr. 1, m̄. 31, ab ecliptica gr. 12: ab inde vero & in Virgine gr. 12, & mox 17 visus est septentrionalis ab æquinoctiali gr. 4, ab ecliptica australis gr. 3. die vero 12. Octobris fuit in Virgine gr. 21, septētrionalis ab æqui-



noctiali gr.3,m̃.30,ab ecliptica gr.o.die 24 fuit in libra gr.12,septẽtriona- C
lis ab ecliptica gr.2,australis ab æquinoctiali gr.2.die 4 nouembris visus fuit in Scorpio gr.8,australis ab æquinoctiali gr.6.erat aũt tenuis & penè euanescens.ad diem vero 3 Decẽbris absumptus omnino fuit.Eius autem motus,si recte conside retur,videbitur factus fuisse per arcũ g h k,ad æq noctialem a b c,tres aũt habuisse motus, vnũ ab ortu in occasum consequentem raptũ vniuersi, alium sequentem Solis motum scd̃m successionem signorum in longitudinẽ à gr.5 Virginis vs que ad 8 Scorpij,tertiũ in latus. Tertius vero co meta sequenti anno 1533 ab aliquibus visus fuit die prima Iulij inter pleiades & stellas, quæ sunt in cornu Arietis,à nobis nõ nisi die 7. oriebatur aũt hora ferè 2 noctis,stella erat paulo maior Ioue,verũ caudæ aut barbæ tam longę,vt militaris hastæ longitudinem in cœlo æquaret.erat aũt, quum prima visus à nobis fuit, in capite Gorgonis,ac triangulum penè faciebat cum duabus illis stellis, quæ supra lucidam sunt:sequenti nocte elongatus ab illis fuit septentrionem versus gr. ferè 3.die vero 21,hora circiter 8 noctis visus fuit ꝓpè stellã, quæ est in dextra Persei manu,vbi est ensis,quare gr.ferè 15 abscesserat in latitudinem D
à loco,vbi primũ visus à nobis fuit.die 27 apparuit ꝓpè stellã,quæ est in cathedra Antiopes, septẽtriõalis gr.ferè 30 à prima die,qua eũ vidimus, in latitudinem actus,à prima autem die, qua alij eum uidere, gr.ferè 65.




Obiter aũt nec silebimus vnũ,quod cõe fuit his tribus cometis,dignũ (vt arbitror)relatu: oẽs.n.comam seu barbam ꝓijcere è directo semper in oppositã Soli partem,ut si Sol in æquinoctiali fuisset uersus oriẽtẽ, barba in æquinoctiali uersus occidentẽ protendebatur,& quantũ Sol vnam in partem deflexisset,tm̃ in oppositam barba illa semper & ipsa sese vertebat:quod & ille etiã cometa fecisse legitur,qui anno 1472 apparuit.


Horum igitur cometarũ motus in latitudinem factos cõmode quidem demonstrare poterimus,si sub Luna ille orbis sit,qui in latitudinẽ motũ habet:si uero nõ sit sub Luna orbis ille,difficulter quidem rationem assignare poterimus,cur fiat,ut comete oẽs motũ illum in latitudinem habeant:Quod.n.consequantur pabulũ,nõ satis verisimile videtur, primũ ꝙ valde mirum esset oẽs cometas pabulum illud habere in latitudinẽ ita ꝓtentum:deinde & magis mirum videretur per tm̃ spatij,tanto ordine, & æqualitate constitutum illud esse,quum in alijs eiusmodi accensionibus,quæ pabulũ insequuntur,videamus ipsas inordinate,& per quosdã

quasi

A quasi saltus ferri, tum & figuras earum pro pabuli diuersitate mutari, & colores, & reliqua, at in prædictis cometis idem ordo, eadẽ figura, & color immutata oĩa permansere. Adde ꝙ rationabile non uidetur, ut idem modus adustiõis & hipercaumatis in æquinoctiali & circa Tropicos fiat, qui circa septentriones & arcticum circulũ, quam ob causam, siquis etiã bene notauit eos cometas, manifeste illos vehi deferriq; una cum aere, in quo sunt, dijudicare potuit: nam sicut à motu raptus uniuersi cœli in longitudinẽ feruntur ab oriente in occidentẽ, ita & in latitudinem portari consentaneũ est existimare. quapp nec longe abest, quin arbitrari debeamus à sublunari illo orbe hunc transuersalẽ motum cometis dari, cuius si polos statuamus in Virgine & Piscibus, medius autem circulus per Geminos & Sagittarium feratur, intelligere forte poterimus, quomodo prædicti tres cometæ in latitudinem acti sint. Circũducto enim summo aere cum eo, & una ijs accensionibus, quæ in aere sunt, circa polos quidem eius orbis plures est circulos ĩtelligere, alios maiores, alios minores, quales sunt circa b polum, f g h k minor, & a d c e maior. si igitur æquinoctialis sit a b c, primus cometa motus fortasse fuit per circulum a e c d. septentrionalis au-
B tem erat à principio & matutinus vbi e, Sole existẽte vbi h: mox vespertinus factus fuit per arcum e c l, ac simul australis uisus est ubi l.



Secundus autem in minori circulo actus primum australis fuit, ubi g, mox & in æquinoctialem perductus in f, atque inde etiam factus septentrionalis in k, ac postremo rursus australis reductus, per se quidem descripsit circulum f k h g, per accidens autem protraxit arcum oblongum g f k h ad æquinoctialem a b c, propter motum in longitudinem, quem insequendo Solis motum habuit. Tertius autem Cometa per circulum adhuc maiorem & forte per medium circulum sublunaris orbis tantum latitudinis obijt. Verum de motibus horum cometarũ ita verisimiliter dictum à nobis sit, neque enim in omnibus certæ demonstrationes sunt expectandæ, sed pro materia, si quæ possibilia sunt, induxerimus, satis qui-



dem,

dem, quantum attinet ad institutum nostrũ, fecisse dici debemus. C

De orbibus Lunæ seruientibus. *Cap.* 24.

VIdentur autem, qui Lunæ orbes seruiunt, omnes numero septem esse, quorum primus est, quem alij Deferentem Draconis vocãt, qui sectiones Lunæ mouet diebus singulis m̃ 3 aduersus signorum ordinem. Secundus est Circunducens, qui in latitudinem circunfertur diebus 27, horis circiter 13. sub eo est Circitor eodem tempore circunductus & ipse, cæterum ꝓprio motu Luna tardior, qui modo citat, modo eã tardat. sub quo est Cõtrauectus suus, & sub illo Anticircitor, per quem fit, vt in latitudine Luna à Circitore non in opposita agi possit. sub eo est Contrauectus suus, ab his lunæ orbis sequitur, & sub ipso sublunaris vltimus orbis, qui in latitudinẽ circũfertur mõ subiectus Lunæ per densiorem partem, modo per rariorem. Atq; hactenus de sphæris omnibus, quæ sint, & quibus ferantur motibus, & quæ sint eorum, quæ circa ipsas apparent, causæ, ꝓ conditione materiæ dictum sit.

	8
	6
	10
	11
	9
	4
	11
	11
	6
	1
	77

Videntur autem ꝑ assignatam rationem sphære omnes numero septem & septuagĩta, 8 quidem earum, quę stellas habẽt, reliquarum vero 69: quarum 6 sunt supra Aplanen, supra Saturnum 10, supra Iouem 11, supra Martem 9, supra Solem 4, supra Venerem 11, supra Mercurium 11, supra Lunam 6, ĩfra 1, omnes omnino 77: q̃ si Soli quis addat duas, erunt ad summum 79. D

Quomodo antiqui Eudoxus & Callippus apparentia in stellis demonstrabant. *Cap.* 25.


QVod superest, illud non ingratum existimamus futurum, si cum his annectamus, quod plerique audire desiderant, quæ nam astronomiæ ratio temporibus antiquorum fuerit, Eudoxi præsertim, & Callippi, quorum placitis visus est Aristoteles acquiescere: quanquam non me latet eam rem coniectura potius, quàm certa ratione complecti posse, quãdo nihil nostris temporibus de eorum opinionibus extat, præter paucissima quædam, quæ circa primam philosophiam Aristoteles reliquit: verum etiam illa cum per se multa in difficultate posita sunt, tum ab expositoribus varijs modis interpretata. si qua tamen licet de ijs conijcere, hæc ferè esse existimanda sunt.

Eudoxus igitur, qui ante Callippũ res astronomicas pertractauit, primum, quæ circa Solem & Lunam apparebant, in tribus sphæris ostẽdit: nam & motus tres in vtroque cõspiciebantur, quorum primus est, qui

ab

A ab ortu in occaſum fit, ſecundus eſt, quo vterque videtur per zodiacum ab occaſu in ortum agi, tertius erat, q̄ declinationes eorum maximæ ab æquinoctiali variari percipiebantur. Luna enim ſecundum maximæ declinationis punctū nunc in vno ſigno, nunc in alio cernebatur, Sol vero in maxima ſua declinatione, videbatur nunc magis ab æquinoctiali diſtare, nunc minus. Ad hæc igitur demonſtrāda primum ſphæram vnam ponebat, quæ vicaria Aplanes motū diurnum daret: ſuam Soli, & ſuam Lunæ: ſub hac aliam vtriq; ponebat, cuius motus per mediū zodiaci, hoc eſt per eclipticā erat, à qua dabatur motus, qui per zodiaci longitudinem protenditur: tertia vero, in qua aſtrum ferebatur, erat obliqua ſecundæ, hoc eſt eclipticæ: & declinabat ab ea, Lunæ quidem ſphæra magis, ſolis minus. Hæc igitur à ſecunda per zodiaci longitudinem ducebatur, motu autē ſuo faciebat, vt ſtella non in eadem maxima declinatione ſemper maneret, ſed Luna modo in vno ſigno, modo in alio videretur, Sol magis & minus declinaret ab æquinoctiali. atq; hæc ſignificauit Ariſtoteles ſcribēs, Eudoxus igitur Solis & Lunæ vtriuſq; lationem in tribus poſuit ſphæris, quarum primā eſſe non errantium ſtellarum, ſecūdam aūt p eū circulum ferri, qui per medium zodiaci eſt, tertiam autem per obliquū circulum ad latitudinem ſignorum: in maiori autem latitudine eſſe eū, per quem Luna fertur, quàm eum, per quem Sol.

B In planetis aūt alijs quinq;, qui retrogradationē ſuſtinēt, quatuor ſphęris in ſingulis vtebatur, quarum primæ duæ eædem erant cum ijs primis, quæ in Sole & Luna poſitæ fuerant, & propter eandē cauſam: prima erat vicaria Aplanes, & motum diurnum dabat, ſecunda per medium zodiacum mouebat, duas autem reliquas ponebat ad demōſtrandam directionem & retrogradationem. Tertia igitur polos in zodiaco habebat ſupra & infra, vertebatur autem in latitudinem per æquinoctia, cui quarta obliqua erat, & in contrarium mouebatur. poli autem huius quartæ à polis tertiæ per tantum diſtabant, quanta erat retrogradatio. Vt ſi ecliptica fuiſſet a b c, poli erant tertiæ b, quartæ vero d. Si igitur ſtella fuiſſet vbi d, oportebat circūacta tertia ſphęra in latitudinem per a m c n, d polum quartæ & ſtellam ipſam deſcribere paruum circulum d e f g, quare & modo directam ferri, modo retrogradam. quoniam vero quarta ſphæra ſuper polo d habet proprium motum, & in oppoſitū tertiæ mouetur, ſiquidem ponatur duplo velocius ferri, accidet d in eadē



linea ſemper ſtantem,modo ante,modo retro agi:ſi vero non duplo velocior fuerit,accidet d quidem & ante,& retro agi, ſed non in eadem linea,ſed latitudinem quandam trahere.Quos motus quidam recentiores animaduertentes putarunt viam nactos ſe eſſe ad oſtẽdenda omnia, quæ circa ſtellas apparent.ita igitur Eudoxus de planetis exiſtimabat,dẽ quo ſic Ariſtoteles ſcribit. Planetarum vero aliorum cuiuſq; in quatuor ſphæris,quarum prima & ſecunda eadem eſt, quæ & Aplane ferẽs omnes,& quæ ſub ea poſita eſt,quæ per medium zodiaci motum habet communem omnibus:tertiæ vero omnium ſphæræ polos eſſe in eo circulo,qui per medium ſignorum tranſit:at quartę conuerſionem eſſe per circulum,qui obliquus eſt ad medium circulum huius. dupliciter igitur poſſumus imaginari circulos quartæ,& tertiæ ſphæræ ſecare ſeſe inuicẽ, vno quidem modo,ꝙ ſecent ſe ad rectos angulos, poli aũt vnius ſint ſub polis alterius,ſtella vero à polis diſtet quanta eſt retrogradatio:ac ſic quidẽ ſequetur planetam modo directũ, modo retrogradum agi per circulũ à ſe deſcriptũ. verum circulus ille in Venere,& Mercurio,tam immẽſæ,& tam manifeſtæ latitudinis fiet, vt credendum non ſit hoc voluiſſe Eudoxum. Alio modo putare poſſumus circulos illos ſeſe inuicem ſecare ad angulos acutos,ac obliquos ſolum eſſe,polos autem inter ſe diſtare,quanta eſt retrogradatio planetæ,ac in polo quartæ planetam eſſe, vt ſupra diximus.Si igitur ita exiſtimemus Eudoxum voluiſſe, euitabimus immenſam illã latitudinem dictam, ſed planeta ante retroq; agetur per eandem lineam,ſi circulus quartæ in oppoſitum tertiæ feratur, duplo autem velocior ſit:aut ante & retro ducetur non per eandem lineam, ſi nõ ſit duplo velocior.ita igitur Eudoxus de planetis opinabatur.

Callipus aũt partim cum Eudoxo cõueniebat,partim ẽt diſcrepabat. Conueniebat quidẽ in ordine ſituq; planetarũ,tum & in interuallis eorum,hoc eſt in ijs ſphæris,quæ inter vnum planetã & alium ponebãtur. itẽ & in Saturno ac Ioue concordabat contentus quatuor illis eiſdẽ ſphæris,quas Eudoxus poſuerat.Diſſentiebat autem primum in Sole,& Luna,deinde & in tribus alijs planetis Marte,Venere,& Mercurio. quippe in Sole & Luna addendas duas alias ſphæras cuiq;,tribus autem illis planetis vnam,ſupra eas,quas Eudoxus poſuerat,exiſtimabat.In Sole igitur & Luna primũ tres illas,quas Eudoxus ſtatuerat, neceſſarias putauit & Callippus propter dictam ſuperius rationem:verum quum alia quædam circa Solem & Lunam animaduertiſſet,quæ Eudoxo nota non fuerant, ad ea demonſtranda vidit vltra prædictas opus eſſe duas alias ſphęras cuique illorum addere:animaduerterat enim,quod mox clariſsimum fuit, Solis & Lunę curſum æqualem non eſſe,ſed modo velocem, modo tardum

C … D (marginal section letters)

A dum procedere:ad hanc igitur inęqualitatē ostendendam illas duas sphę ras superaddidit,quas Eudoxus in tribus planetis posuerat vltimas, tertiam scilicet,& quartam,quæ sese intersecant ad obliquos angulos. Verum in planetis illis retrogradis oportebat motum,quo ante & retro ducebantur,velociorem esse secunda sphæra,quæ per zodiacum mouebat, sic enim retrogradatio fieri poterat:at in Sole & Luna tardiorem oportet illum motum esse,sic enim non retrogrados agi Solem & Lunā, sed modo tardos solum,modo veloces. Cæterū omnia eadem sunt. Tribus autem planetis reliquis Marti scilicet,Veneri,& Mercurio vnā solā cuique sphæram addendā putauit:nam primum cuiq; illorum necessarias esse illas tres vidit,quæ ab Eudoxo positæ in Solæ & Luna fuerant: de prima enim,& secunda dubium non erat,at & tertia necessaria videbatur, quoniam & in ijs maximæ declinationes ab ęquinoctiali variari percipiebantur,quemadmodum in Sole & Luna.in Saturno autem,& Ioue nondum hoc constabat propter tarditatem motus eorum, at in his tribus, quorum conuersio breuis est,melius animaduerti poterat. Necessariæ igitur quū essent tres primæ sphæræ,tum & duæ reliquæ necessariæ erāt ad demonstrādam directionem et retrogradationem earum per eundē modū,quo & Eudoxus vsus fuerat,quā ob rem quinq; in ijs tribus planetis sphæris vti Callippo placuit,quum Eudoxo solū quatuor placuissent.

B Aristotelis autem verba de his sunt hæc.

Callippus autem positionem quidem sphęrarum eandem cum Eudoxo posuit,tum & interualla eadem: porro ei,quæ Iouis, & quæ Saturni, eandem sphærarum quantitatem dedit:Soli vero & Lunæ duas insuper adijciendas existimauit,si quis præstare debet,quæ apparent. Reliquis vero planetis vnicuique vnam.

Porrò Callippus in alio etiamnum ab Eudoxo discrepauit, quod ille non animaduerterat.quoniam enim omnes superiores sphęræ secum ducunt & illas,quæ infra sunt,oportebat quidē per preassignata,quot motibus superiores planetæ agerentur,totidem & inferiores trahi,quum autem hoc non appareret,necessarium vidit Callippus esse,vt contrauectę sphæræ ponerentur,quæ reuoluentes seu restituentes appellantur:quarū officium est tantum restituere sphæram aliquam, quantum superior in oppositam partem duxisset.Sphærarum igitur aliæ Ferentes appellātur, quæ sunt supra planetā,& ipsum aliq̄ in partem ferunt ac mouēt: alię Restituentes dicuntur,quæ Contrauectæ Ferentibus sphærā restituunt. in omni igitur ordine planetarū vidit Callippus vnicuiq; Ferenti oportere suā Restituentem opponi,excepta vltima sphęra,in qua est stella: hęc.n. Restituente non indiget,quę sibi opponatur,q̄m hęc tā in Sole & Luna,

quàm in alijs planetis vnum ſolum habet motum reſultantem ex quarta & quinta,quare illis vtriſque vna ſola Reſtituens ſatis eſt,quæ opponatur,ex quo fit,vt Reſtituentes in vno quoq; ordine pauciores ſint, quàm Ferentes,pauciores autem vna tantum,quando vltima,in qua eſt aſtrū, Reſtituentem non poſcit. C

Incipiētibus igitur nobis à Saturno palam eſt Ferentes illius eſſe quatuor(vt dictum eſt.)ne igitur ab illis Iuppiter ſimul trahatur,opus eſt ſub Saturno Reſtituentes collocare vna pauciores,q̃ ſint ferentes Saturni, 4 autem quum eſſent Ferentes eius,reſtituentes quidem 3 tantum erunt, quæ non ſolum ſupra Iouem ſunt,ſed ſupra globum omnium Ferentiū eius.illæ igitur Reſtituentes primam Ferentem Iouis,& cum illa omnes alias,ac ſimul & Iouem ipſum reſtituunt.porrò & Iouis Ferentes erant 4:tres igitur erunt Reſtituentes ſub eo,quæ Martem reſtituant. At vero Mars quinq; habebat ferentes: erunt ergo ſub ipſo reſtituentes 4,quæ reſtituant Venerē.Venus quoq; & ipſa 5 Ferentes habebat:quatuor igitur ſub ſe reſtituentes tenebit,quæ Mercurium reſtituant.ſed et Mercurius Ferentes habebat 5: poſcet ergo reſtituentes 4,quæ Soli ſeruiant. at & Sol 5 ferentibus tenebatur:volet igitur reſtituētes 4,quæ reſtituant Lunam. Luna poſtremo tametſi ferentes 5 habet,nullam reſtituentē ſortita eſt,quum ſub ipſa nulla alia ſit ſphęra.erunt igitur ferentes omnes numero 33: 8 quidem Saturni & Iouis, aliorum vero 5, 25. Reſtituentes autem omnes erunt 22: 6 quidem Iouis & Martis,aliorum vero quatuor ſedecim: oēs autem tam ferentes,q̃ reſtituentes ad ſummum erunt numero 55.q; ſi quis in Sole & Luna demat illas duas ferentes,quas Callippus ſuperadiecit,vt forte curioſe additas,vt Ariſtoteli videbatur,neceſſe erit & ſimul demere duas reſtituentes:demptis autem ſex è toto numero ſphærarum 55,remanebūt omnes 49,vt veriores textus in Ariſtotele habent:non enim ſi duæ ferētes in Sole,& duæ in Luna demantur,neceſſe eſt 4 reſtituentes demi,quoniā ſub Luna nulla reſtituens eſt.de his igitur ita Ariſtoteles ſcribit. D

Ferentes		Reſtituētes.	
Saturni	4	Iouis	3.
Iouis	4	Martis	3.
Martis	5	Veneris	4.
Veneris	5.	Mercu.	4.
Mercurij	5.	Solis	4.
Solis	5.	Lunæ	4.
Lune	5.		
33		22	
55			

Si autem omnes ſimul poſitæ debent apparentibus ſatisfacere,neceſſe eſt ſecundum vnumquenq; planetā eſſe alias ſphæras vna pauciores, quę reuoluant,& ad idem reſtituāt ſemper primam ſphæram ſtellæ infra ordinatæ:hoc enim pacto ſolum cōtinget planetarum motus præſtare omnia,

A nia,quæ apparent.Quoniam igitur ferentium sphærarũ aliæ 8 sunt,aliæ 25,& harum non necesse est habere restituentem solam illam,quæ astrũ ultima fert,restituentium quidem sex erunt duorum primorũ, sedecim vero posteriorum quatuor,quare omnium numerus & ferentium, & restituentium erunt 55.Si vero Soli & Lunæ non addiderit quis, quos diximus,motus,omnes sphæræ erunt nouem & quadraginta.

Videtur autem Eudoxus & Callippus noluisse Aplanen orbem vnicuiq; planetæ motum diurnum dare,sed Soli Saturno,in reliquis voluisse esse in singulis sphæram,quæ vicem Aplanes suppleret:alioqui sphæræ omnes 55 non fuissent, si Aplane, quem primum orbem censebant, sphæras omnes ab ortu in occasum mouisset.Causam vero,cur ita opinarentur,ego inde fuisse existimo,ꝙ planetas viderent inæqualiter ad occasum duci,alios citius,alios tardius,quod posse contingere propter obliquum eorum motum atq; oppositum non credebant,quum viderent ipsum in latus solum ferri.quum ergo in occasum ducerentur planetæ inæqualiter,ab Aplane autem hoc dari non posset,putarunt vnumquenq; illorum habere suam spheram,quæ motum diurnum daret,alijs citius, alius tardius:propter hoc ipsi Aplanæ,quæ erat vna ferentium Saturni, opponebant suam restituentem supra Iouem,deinde sub omnibus restituentibus ponebant vicariam Aplanes sphęram,quę ab ortu in occasum
B Iouem duceret certo & statuto tempore.similiter & in Marte aliam ponebant,& ita in reliquis.atque ita quidem antiqui videntur de planetis existimasse,& causas eorum motuũ per Homocentricos orbes reddidisse,defectuose quidem in multis:ꝓpter quod Hipparchus (vt Ptolemęus refert)opus ædidit,in quo placita Callippi & Eudoxi quum sustulisset, viam Ecentricorum induxit.

Quòd ecentrici orbes,& epicycli in natura non sint. *Cap. Vltimum.*

ILlud postremo è toto negotio reliquum,ac supremum esse videtur, vt(quod à principio promisimus)rationem de ecentricis orbibus atque epicyclis habeamus:namq;(qñ necessarios non esse propter apparentia ostendimus)simul etiam demonstremus & non posse esse eos in natura,& apparentium pluribus aduersari. Primum igitur statuamus nullam naturam tota specie deficere in eo posse,in quo præcipue ac per se esse perfecta debet,vt si hominis perfectio sit intelligere,impossibile est totum humanum genus insanum esse:& si oculi perfectio est videre, impossibile est omnes oculos cęcutientes esse. Secundùm quidem indiuiduum aliquod nihil fortasse prohibet deficere naturam aliquam in ijs, q̃ in materia sunt: & casus,& accidentia multa patiuntur:at secundũ totam

tam ſpeciem vel in ijs impoſsibile eſt. Ad hæc autem & illud conſtitua- C
mus cœleſtium corporum vti finis eſt ſphærice moueri, ita & propriam
eorum perfectionem in ſphæræ ratione cõſiſtere. in ea igitur deficere ali
quod vnum illorum impoſsibile eſt: ſi enim vnum deficeret, & tota defi
ceret ſpecies aliqua, in ijs. n. idem eſt indiuiduum, & ſpecies tota, quã ob
cauſam illi in primis orbes, quos Deferentes vocãt, ecentricos vna ſuper
ficie, eſſe quidem in cœleſtium natura non poſſunt, quando à ſphæræ ra-
tione longe deficiunt, quæ eſt circa centrum vtraq; ſuperficie æqualiter
verti. At vero nec minus illi eſſe in natura non poſſunt, quos ſimpliciter
Ecentricos vocant: quærere enim licet, vnde habeant ij, cur non circa cẽ
trum conuertantur, num per ſe & à natura, an per accidens aliquod: at ꝑ
ſe quidẽ hoc habere non recte dicitur, tum quia ipſi per ſe ſphærici ſunt,
& nati circa centrum ęqualiter (quemadmodum & alij) verti, tum quia,
ſi per ſe aliud centrum habeant, q̃ vniuerſi centrum, oporteret duo cẽtra
per ſe in natura eſſe, quod eſſe non poſſe vel vocabulum ipſum oſtendit:
vnum enim omnium corporum centrum eſt, ad quod, & à quo, & circa
quod feruntur omnia. Si vero per accidens aliquod habent ecentrici illi,
vt non circa centrum agantur, vt quia ſiti ſint inter Deferentes ecentri-
cos, tum quidem ſequetur aliquid per ſe natum aliter eſſe, ęterno tamen
tempore fruſtrari: quod certe cum in omnibus, tum præcipue in cœleſti-
bus, & ſempiternis eſt impoſsibile. D

Ad hæc autem, ſi in natura ſint eiuſmodi ſphæræ, neceſſe eſt eas nõ ſo
lum ſpecie à reliquis, ſed tota natura & pluſquam ſpecie differre, quod
in æternis eſſe non poſſet: genus enim ſi habeant, iam & in materia erũt,
& ſimplicia deſinent eſſe.


Propter eandem cauſam neq; illi, quos epicyclos vocant, eſſe poſſint
in cœleſtium natura: ſi. n. non continuus eſt cum orbe epicyclus, ſed con
tiguus ſolum, & naturam habet non ſe circa centrum aliorum vertendi,
ſed circa centrum ſuũ, alienæ omnino naturæ eſſe neceſſe eſt, & quæ ab
alijs differat pluſquam ſpecie, quod inconueniens certe eſt, tum quia nõ
poſſunt æterna plus, quam ſpecie differre, tum quia irrationabile eſt par
tem aliquam eſſe in ſphæra, quæ non eiuſdem naturæ ſit, imo q̃ alieniſsi
mæ. quapropter magis etiam repugnant naturæ epicycli, q̃ ecentrici.

Illud præterea valde mirum videri poteſt, ꝙ ecentricis orbibus nullũ
Aſtronomi proprium motum dent, exceptis Mercurij ac Lunæ Deferẽ-
tibus: ſed hæc vniuerſalia ſunt, nunc ſigillatim circa vnumquenq; orbẽ,
quantum abſurditatis ſit, inquiramus.

In tribus igitur ſuperioribus planetis epicyclum ponunt, cui duos aſ-
ſignant motus, alterũ in latitudinem, quam inclinationem vocant, alte-
rum

A rum in longitudinem:inclinari autem epicyclum à ſectione vſq; ad punctum medium, mox releuari reſupinariq; vſq; ad ſectionem aliam. quæ omnia ita eſſe mirandum eſt ab Aſtronomis dici, quo autem modo eſſe poſsint, non dici. primum enim oppoſiti motus ſunt, quod inclinari epicyclum, mox releuari aiunt:à quo igitur dabuntur oppoſiti illi motus? per ſe enim vnum tantum illorum habere epicyclus poteſt, quanq̃ mirũ & illud ſit, qui fiat, vt quum inclinari epicyclus cœpit, motum tamen nõ cõtinuet, ac reuolutionem abſoluat. præterea vnde duos illos motus habet in longitudinem et in latitudinem? Vnus enim orbis non niſi vnum motum per ſe habet (vt à principio dictum eſt.) nunquid igitur epicycli epicyclus eſt? an quomodo habet? præſertim quòd ſi in ſectione altera fieri rurſus ſubalternus cum ecliptica debet, reflexione etiam quadã indiget.

In Sole vero, ſi ecentricus eius orbis ponatur, abſurda hæc conſequũtur. primum quidem quòd æſtiuus circulus, in quo eſt abſis, multo maior, & ab æquinoctiali remotior erit, q̃ hibernus: quod ſi detur, oportebit quidem, qui æquinoctialem incolũt, remotiorem habere Solem in vna hyeme, q̃ in alia, & ſeptentrionalem hyemem frigidiorem auſtrali, Solemq; minorem ab ijs videri in æſtiuo tropico, q̃ hiberno, quæ omnia falſa eſſe negotiatores affirmant. Deinde oportebit lõgiſsimam diem æſtiuam eſſe longiorẽ, quàm



B noctem hibernam longiſsimam, quod pariter falſum eſt, longiſsima enim nox longiſsimæ diei æquatur. ſequitur autem hoc, quoniam in parte abſidis magis diſtat ab æquinoctiali Sol circa ſolſtitium, quàm in parte antabſidis, maiorem ergo arcum diei trahet in ea parte in ſolſtitijs, quàm in alia arcum noctis. ſit æquinoctialis a b c: Horizon noſter l m: Sol diſtantior ab æquinoctiali in parte abſidis, vbi f, minus diſtans in parte antabſidis, vbi k. manifeſtum igitur, quòd in maiori diſtantia Sol longiſsimam diem faciet in arcu f g: in minori diſtantia longiſſimam noctem faciet in arcu k h: maior autem eſt f g, q̃ k h.

In Venere autem magis etiãnum manifeſta eſt epicyclorũ vanitas, vt iam ſufficere hoc vnũ poſsit: quis.n. non videt epicyclum nullum tantæ magnitudinis eſſe poſſe, vt ſemidiameter eius gr. 43 exiſtat, tota vero diameter gra. 86. quòd ſi talis forte fortuna vllus eſſet epicyclus, oporteret eius circunferentiã penè ad centrũ pertingere, quod mathematica demõſtratione probari quã facillime poteſt. Sit orbis Veneris a b c d: centrũ terræ e: ſit ergo Diameter epicycli gr. 90, quæ reddat quartam eius orbis,


&

et ſimul quartam zodiaci:erit illa quidem qualis C
a d, aut qualis f g, aut qualis h k. ſit autẽ
gratia exempli a d: cuius ſemidiameter ſit l d:
protrahatur igitur linea l e pertingens ad cen
trum,deinde protrahatur c d, quæ diuidatur
in m per lineã e m: conſtituetur igitur qua-
dratum l e m d. latus ergo e l æquale eſt
lateri l d. quare deſcripta circunferentia epicy
cli ſuper puncto l manifeſtum,ꝙ pertinget ad e, quod erat centrum.
Si igitur exiſtente diametro gr.90 oportet circunferentiam ad centrum
vſque pertingere,palam ꝙ &,ſi diameter erit gr.86,ſi non ad centrum,
at tamen iuxta perueniet.Idem fiet,ſi & ſuper f g, & ſuper h k de-
monſtratio ducatur,omnes enim illæ diametri quartam cœli reddunt.
ꝙ ſi quiſque videre poteſt epicyclum hunc ridendæ magnitudinis eſſe;
quid ſi cogamur & epicycli epicyclum facere, & huius alterũ epicyclũ?
cogemur autem abſque dubio, quoniam epicyclo Veneris motus A-
ſtronomi tres aſsignant,quum etiam quatuor ſint aſcribendi: vnum igi-
tur poteſt epicyclus per ſe habere,reliquos ab alio dari neceſſe eſt, quod
neque vnum eſſe poteſt,ſed tria. Addunt præterea & aliud in Vene-
re Aſtronomi,quod per eorum principia,qnomodo fiat,non poteſt cer- D
te monſtrari:dicunt enim ecentricum modo citra eclipticam, modo vl-
tra agi,quo autem pacto agatur,nemo oſtendit,ſed ne oſtendi quidẽ po
teſt niſi per noſtra principia.

In Mercurio vero eadem inconuenientia ſequuntur,nam & ecentri-
cum eius modo citra eclipticam,modo vltra dimoueri dicunt.Epicyclo
inſuper tres illos eoſdem motus dant,quos eſſe quatuor neceſſe eſt. tan-
tæ autem magnitudinis & ſi non faciunt,at tamen tantæ eſſe conſtat, vt
quiſq; videre poſsit figmentum eſſe.inconueniens præterea eſt & illud,
ꝙ à poſitione epicyclorum coacti ponunt Mercurium bis centro propin
quiorem fieri abſq; vlla neceſsitate:quo etiam poſito,non tamen demõ
ſtrare poſſunt per hoc,quomodo elongatio matutina maxima fieri poſ
ſit & gr.26.m̃.30,quoniam per tarditatem matutina elongatio iuuatur:
at per appropinquationem ad centrum non tarditas, ſed velocitas da-
tur. ꝙ ſi quis dicat retrogradationem etiam citari per appropinquationẽ
ad centrum,non tamen dicere poteſt,quomodo centrum epicycli tarde
tur,quod requiritur in ea elongatione,quæ maxima futura eſt.

Poſtremo & in Luna manifeſtiſsimum eſt neque ecẽtricum eſſe eius
orbem,neque ipſam in epicyclo verti.primo enim ſi ecentricus eſt eius
orbis,in oppoſitum autem vertitur deferentibus ſuis, alterum duorum

A sequi necesse est, aut Lunam inæqualiter in zodiaco moueri præter inæqualitatem epicycli, aut inæqualiter suo in ecentrico moueri: vtrinque autem inconueniens est, moueri enim Lunam inæqualiter in zodiaco contra sensus est, moueri autem inæqualiter in orbe suo impossibile est, & contra naturam, idem enim orbis per se semper eundem motum facit: quod autem alterum horum sequatur, manifestum ex demonstratione fiet.



Sit enim zodiacus a b c d: oualis circulus, quem Luna describit deferentibus in oppositum actis a e c f. si igitur æqualiter mouetur in orbe suo Luna, æquales erunt partes a g, & g h, & h i, & i f. at certe his æqualibus partibus inæquales in zodiaco correspondent a k, & k l, & l m, & m d: quare inæqualiter mouebitur in zodiaco Luna, si æqualiter in suo orbe mouetur: si vero æqualiter mouetur in zodiaco, æquales partes erunt b p, & p q, & q r, & r c. at æqualibus istis partibus inæquales in orbe Lunæ respondent e s, & s t, & t u, & u c. quapropter si æqualiter in zodiaco fertur, inæqualiter mouebitur in orbe suo, quod nec negari ab Astronomis video: quo nihil absurdius esse potest. quod igitur ecentricus non
B sit Lunæ orbis, ex his manifestum est.

At vero, quod nec in epicyclo vertatur Luna, manifestum quoque esse potest ea ratione, qua & Aristoteles & alij multi vtũtur. si enim verteretur in epicyclo Luna, oporteret vocatã in ea maculam mutare continenter situm ad nos & rationem, & quod supra est, videri infra, & è contrario: semper autem quum eodem in situ sit, indicat profecto non moueri in epicyclo Lunam. quanquam scio nonnullos esse, qui ad difficultatem hanc animaduertentes dicant Lunam non solum habere motum, quo ab epicyclo fertur, sed & ipsam quoque stellam moueri proprio motu, opposito autem ipsi epicyclo, quantum enim epicyclus in vnam partem maculam inclinat, tantum Lunam ipsam restituere illam in contrarium, quo fieri, vt semper eodem in situ macula videatur. sed certe hoc pacto oporteret & epicyclum diuersæ alienissimæque naturæ ab orbe esse, & Lunam ab epicyclo, ac in eodem simplicissimo & immortali corpore tres diuersas naturas insitas esse, quæ absurda quidem in diuinis illis & sempiternis corporibus esse videntur. Quòd igitur ecentrici orbes necessarij non sint propter ea, quæ apparent, & quomodo sine ipsis demõstrari possint, & quod impossibile sit eos esse in natura sphærarum, & apparentium pluribus aduersentur, hactenus declaratum à nobis sit. Cæterum, si in red-

dendis planetarum motibus exactißimas supputationes neglexímus, nemo miretur, quoniam id ad institutum nostrum minime pertinere iudicauimus, præsupponentes minutißimas illas rationes è tabulis petendas esse, eædem enim illæ & Homocentricis nostris commodißime aptari possunt. ac de stellis ita tandem determinatum sit. C

Sed iam me rapidi diuersa volumina cœli
Dimensum satis, & nunquam requieta secutum
Sydera, per varios cursus variosque recursus,
Hac iuuet insudaße tenus, nunc vltima fessum
Accipiat, finemq; meo det meta labori.
Vos æterni orbes, æterniq; ætheris ignes,
Qui tacito circum labentes tempora cursu
Ducitis, & longum per secula voluitis æuum,
Si non æternum (neque enim fas poscere tantum)
At saltem durare diu, & producere vitam
Hoc concedite opus, videant vt vestra nepotes
Secula, & æternis vos admirentur ab annis.
Mirenturq; vias, quum iam non tramite sueto
Curret iter solitum Titan, sed purpureum ver D
Et iuuenem signis conuersis inuehet annum.
Tuque etiam, seu te tua tanta inuenta, nouosq;
Admirantem orbes, puro fulgentia cœlo
Templa tenent, seu Traiciæ testudinis audens
Tangere ebur plectis numeros, & carmina dictas,
Qua via sydereo candescit lactea cœlo,
TVRRI ades, inuentisq; tuis nostroq; labori
Da sancte Augurium, atque optatis annue nostris.



HIERONYMI FRACASTORII
DE CAVSIS CRITICORVM DIERVM.



ATVRA Dei optimi munus cùm tota, qua aut oculis cernitur, aut concipitur animo, admirationis multæ plena est, tùm maxime, qua in animalibus viget: nam & animalia ipsa, & quę ab ijs fiunt, sensus, cognitiones, appetitiones, generationes, & motus reliqui admiranda omnia sunt. nec vero, & quæ ijs accidunt, non multa sunt, quæ nō paruam sui admirationem præbent: inter quæ illæ in primis sunt, quæ Crises appellari consueuere, quarum vel adeo mira natura est, vt neque adhuc satis perspectum sit, quam omnino causam habeant: nam quosdam esse dies constat, quos perinde ac fatales natura ante omnes deligit, in quibus de morbis decernat, quosdam vero ita neglectos esse, vt nullas vnquam Crises videant, nullo naturæ munere habeantur digni. quæ admiratio sapientes & naturæ interpretes viros in diuersas opiniones perduxit. quippe Pythagoreis visum est certis numeris Deos & naturā gaudere, ante omnes septenario, quem ad rationem Crisium non nihil con-

B ferre arbitrati sunt. Philosophorum vero nonnulli causam omnē dierum in Crisibus casui ascribunt. Astronomi autem cœlo & syderibus, Lunæ præsertim, quam per septenarios suæ conuersionis dies rebus, quę hic sunt, impetum quendam ac vim immittere affirmant. Soli medici videntur mihi rerum suarum suique muneris obliti, soli enim ipsi quū viam facultatemq; habere possent inquirendi inueniendiq; rationē Crisium, tum fortuna, nescio qua, ab Astrologis seducti persuasiq; illorum opinionem secuti sunt: quos cùm omnes tum præcipue Galenum mirari licet, qui alioqui tantus philosophus, tam accuratus, & medicinæ parens, ac veluti Deus tam facile persuaderi potuerit, vt facultate ꝓprie artis neglecta, præstigijs alienæ inuolui passus sit. sed certe de magnis ingenijs illud dici par est, quod & de magnis venatoribus, qui sæpe, ꝙ multa sectentur, quædā negligentius insequūtur: vnde nihil mirū videri debet, si & Galenū, qui tot inuenit, qui tanta scripsit, qui ingentem illā medicinæ molem digessit, formauit, condidit, quædā tandem effugerint. Posteriorum vero vti nulli ab eo recedere ausi sunt, ita qui hac de re scripsere, oēs id solū curasse videntur, vt aut Galeni scripta, aut Astrologorū placita declararent. operæpretium igitur existimamus, si rursus hoc saxū vertatur, atq; inquisitio tam dignæ, tam necessariæ rei habeatur: si enim ꝑ ea,

quæ in nobis ſunt, ratio omnis & cauſa Criticorum dierum oſtendi poſ C
ſit, bene erit ab eo labore Lunam, & beata illa corpora liberare, quæ quũ alioqui multa penes nos faciant, tum & multa à nobis & à natura fieri ſinunt. Equidem ſcio Galenum ſophiſtas vocare, conuicijs maledictisq; ꝑſequi, ſi qui ratione vlla malint hanc rem inquirere, ꝙ minime Aſtrologis credere, præcipue Aegyptijs, qui aſſeueranter hæc à Luna fieri affirmẽt: ſed certe, nedum ſi Aegyptius aliquis Aſtrologus, ſed ſi Aegyptius aliquis Deus, aut Anubis, aut Oſyris hæc mihi dixerit, non facile credã. Sophiſtam autem obſecro, ne quis me prius vocet, ꝙ hęc amice atq; ęquo animo cuncta perlegerit. Referemus igitur, quæ in huius rei perueſtigatione, quam diligẽtiſsime habuimus, nobis tandem comperta ſunt, quæ neque prius credi audiriq; volumus, ꝙ & re ipſa, ac rerum (vt aiunt) magiſtra experientia fuerint comprobata, eiuſmodi enim ſunt, vt & rationibus credi, & obſeruationibus plane ſperari poſsint.

Cap. I.

DE cauſis igitur Criticorum dierum acturi ea præmittemus in primis, quæ circa morborum dies ſunt obſeruata: deinde referemus, quo pacto alij eorum cauſas reddere tentauere: tum demum, quomodo & nos per magis rationabilia, & conſentanea magis naturæ reddendas exiſtimemus. In primis igitur recipiendũ eſt nobis dierum, per quos ęgri D
tudines pergunt, alios Criticos dici, in quibus, quæ fiunt Criſes, maiori ex parte fiunt, alios vero nõ Criticos vocari, in quibus perraro viſuntur Criſes, quoſdam vero medios eſſe. obſeruatum enim eſſe conſtat & maiorum noſtrorum experiẽtia, & ea, quæ in dies fit, certis diebus innumeras Criſes videri, certis rariſsimas, aliquibus medio modo ſe habere: item & inter Criticos vocatos, quoſdam eſſe præcipuos, & quaſi principes, quoſdam principatu minores, porrò & alios eſſe indicatiuos & quaſi nũcios eius Criſis, quæ in die principe futura eſt. Critici ergo ſunt 4, 7, 11, 14, 20, 21, 27, & ſm alios 28, & alij, quos recenſere neceſſariũ nõ eſt. Pręcipuos autem oĩum eſſe conſtat 7, 14, 20, & 21 quãꝗ de 20 et 21 non plane inter antiquos cõuenit, vter magis Criticus ſit. Archigenes. n. magis amare 21 viſus eſt, Hippocrates vero & eius ſectator Galenus 20 magis ſequuntur: deinde principatu minores 11, & 4. Non Critici vero ſunt 6, 8, 10, 12, 16, 19, 22, et 25: quanquam 6 quandoq; Criſes nõnullas videat, verum illæ non proprie Criſes ſunt, quare & ipſe inter Criticos recenſeatur. medio vero modo ſe habent 5, 9, 13, 17, 18, & 24: ſed horum 17, 13, ad Criticos appropinquant magis, 9 vero ad non Criticos. Indicatiui vero ſunt 4 quidem ſeptimi, 11 decimi quarti, decimus ſeptimus vigeſimi,

A 24 vigeſimi ſeptimi, omnes quidem quarti à die, in qua perfecta futura eſt Criſis. hæc igitur ꝙ ita ſint, recipiendum eſt, cur autē ita ſe habeant, & vnde tanta dierum diuerſitas enaſcatur in morbis, nunc inquirendū.

Cap. 2.

PYthagoricorum autem dogmata aut referre, aut refellere ſuperuacaneum quidem videtur, quando iam ſatis manifeſtum eſt neq; numeros, neque in vniuerſum quantitatem vllam principium actionum eſſe poſſe, niſi forte per accidens.

Philoſophorum vero quicūq; rationem dierum in Criſibus caſui donant, rationabilius quidem magna ex parte loquuntur, dicunt enim quęcunque agunt & patiuntur, omnia certa inter ſe ratione proportioneq; conſiſtere, & certo tempore agere, hæc quidem maiori, illa minori, vt accidit: quare & circa Criſes, ꝙ die ſeptima aut quartadecima humores moueantur in nobis, nulla certe alia cauſa eſt, niſi quòd talem accidit eſſe ꝓportionem naturæ ad humorem, quem tanto tempore concoquit, concoctum expellit, hunc quidem in ſeptima, illum in quartadecima: quemadmodum & ignis hoc quidem robur vna die, illud duabus abſumit: & bilis quæ flaua eſt, per tertias, quæ atra, per quartas mouetur: ſicut igitur in his non quærimus rationem dierum, ita nec circa Criſes debemus quę-
B rere, ſed ſolum cur hoc humoris genus citius, illud tardius moueatur.

Verum enim vero, tametſi verum hi in vniuerſum dicunt, certam eſſe inter agentia proportionem, & certam menſuram temporis, tam ſimplicem tamen cauſam habere Criticos dies exiſtimandum non eſt, ſed magis credendum quædam etiam ad Criſes concurrere, propter quæ certis diebus multæ, certis paucæ ſpectentur Criſes: ſi enim ſola illa proportio accederet, profecto non magis ſeptimam, quàm octauam & nonam diē Criticam videremus, ſiquidem paulum immutata materia, & in octaua & nona ſpectarentur Criſes.

Cap. 3.

CVm Aſtrologis vero, & medicis, qui eos ſequūtur, maius mihi negocium parari video, quorū alios Aſtrologiæ, alios Galeni amor permoueat: ſed hi certe ſi non ob aliud nobis infenſi ſint, iniuſte quidem nobiſcum agant, quando & nos alioqui Aſtrologiam veneramur, & Galeni nomen ac memoriam vti ſacram ſanctamq; colimus: quicquid vero molimur, id omne veritatis & philoſophiæ amore facimus, quæ in nullius verba iurare addicta eſt. Referemus igitur, quæ medici ex Aſtrologorum decretis ſcribunt. certum eſſe inquiūt per ſeptenarios dies Cri-

ſes

ses incedere,circaq; illas potissimum fieri:quum vero & Lunam quoq; C
certum sit per septenarios dies & cœli quartas rebus,quæ hic sunt, impe
tum quendam & vim ingerere,quid nam aliud censendum sit,q̃ Lunã,
quod septenarias illas commotiones immittat Crisibus? Efficax quidem
atque euidentissimum signum est hoc rationem dierum in Lunam refe
rendam esse,quum præsertim nihil aliud sese offerat, quod in medium
afferri possit. Dupliciter autem quum Lunæ conuersionem dimetia-
mur,& per reditum ad Solem,quem mensem ciuilem vocant,& per re-
ditum ad certum punctum in zodiaco,quem lunarem appellãt mẽsem,
in vtroque quidem mense manifestum esse dicũt Lunam per cœli quar
tas & septenarios dies commotionem impetumq; rebus hic inferre. Ciui
lis enim mensis ex diebus 29,horis circiter 13 constat,quod tempus si ꝑ
quartas suas partiaris,erit quarta quælibet dies 7,horę fermę 9: circa cu-
ius temporis extremas 24 horas res maxime à Luna moueri testimoniũ
dicunt & illos facere,qui circa maritima versantur,& illos, qui circa ru-
stica. Similiter autem se habere aiunt & in lunari mẽse,qui ex diebus 27,
horis 8 conficitur,quod Astrologi præsertim Aegyptij affirmãt, quibus
credendum esse Galenus præcipit,ac penè minatur:cuius rei & grauissi-
mum testimonium afferunt,dicunt enim ægrotante aliquo,si Luna for-
te fortuna in eo puncto fuerit,quo ille exortus fuit,tum ei bonã vel ma-
lam conditionem allaturam,quum in quarta cœli ad eum punctum ex- D
titerit:si enim oriens ille eo in puncto salutares felicesq; stellas habuit, tũ
Lunam ab ea quarta salutem elargituram,si vero infelices in ortu stellas
sortitus est,periturum quidem ab ea cœli quarta. Ex quo existimari de-
bet septenarios Lunæ dies hic magnam quandam facultatem & vim ha
bere. Hæc igitur sunt quæ medici partim nautarum,rusticorumq; testi
monio,partim Aegyptiorum astrologorum de Criticorum dierũ cau-
sis referre solent. Nos autem Astrologorum ac Galeni amicos roga-
mus,vt contenti sint placide et sine stomacho nobiscum hanc rem inqui
rere:primum enim examinabimus, quæ experientia obseruationibusq;
consistere medici dicunt:mox aperte(vt arbitror)ostendemus, quomo-
do quasi fascinationibus Astrologorum lustrati,& vomere & sudare in
septima & quartadecima sine Luna possimus.

Cap. 4.

IN ciuili inquiunt mense tum nautæ,tum agricolæ affirmant per cœ-
li quartas commotionem maiorem rebus Lunam dare. at certe dece-
bat eos ab ijs accipere,quę nam ea essent,in quibus maior illa commotio
videatur,si enim in vniuersum ita esse circa maria affirmẽt,falsum nimi-

rum

A rum asserunt. primum .n. circa maris crementa & decremēta (quos ęstus vocant) constat non maiorem commotionem per quadraturas Lunæ fieri: quando per id tempus vel minimos cerni æstus manifestum est: at vero maiores & ventos, & tempestates non circa septimam Lunæ diē, sed circa quintam exurgere nautis omnibus notum est: quod & Virgilius & Hesiodus quoq; notarunt, quum quintam esse fugiendā præcepere. quænam igitur ea sunt circa maria, in quibus maior illa agitatio percipiatur? Testacea fortasse, & crustacea, & id genus dicent sub quadraturis Lunæ excitari magis, & nutriri, & pinguescere melius: quod certe neque negamus, nam per cōiunctiones Lunæ tum & calor, tum & humor exiguus in illis est, vegetari autem excitariq; vterque incipit tum forte, quum Luna circa quadraturas versatur, non quidem ea de causa, q̄ Luna in quarta cœli sit, sed ob id magis, q̄ tunc tantum demittitur luminis, quantum sufficiens est ad fouendum eorum animalium calorem, humoremq; pro alimento suggerendum: cuius signum illud est, q̄ nō solum per quadraturas pinguescunt ea animalia, sed etiā post, et magis. manifestū igitur ex his esse potest nihil ea exempla ad Crises facere, quę è maritimis accepta sunt. Circa rustica vero quędam ab agricolis tum maxime fiunt, quum semiplena est Luna, non certe alia de causa, q̄ vt extrema effugiant, hoc est cōiūctiones, & oppositiōes quorū vtrūq; quibusdā rebus obesse solet,
B hoc quia nimij humoris est, illud quia exigui caloris. q̄cunq; igitur ob humoris abundantiā nata sunt aut putrescere, aut in luxuriem abire, ijs oppositiones Lunæ timent, quæ vero caloris inopia sterilescere, illis coniūctiones cauēt: qua de causa mediū tempus eligere solent. arbores igitur, quas duraturas volunt, multas per plenilunia non cædunt, multas p̄ Lunę silentia, in altero .n. ob nimiā humiditatem putrescant, in altero inopia caloris emarcescant. nihil enim refert ad putredinem efficiendam, siue humor plus æquo accesserit, siue calor, qui cōtinet mistionem defecerit, similiter & satorū quæcunque facile luxuriant, vt faba, & aphaca, & cicer, & penè omnia, quæ siliquā gerunt, nec per coniunctiones, nec per oppositiones Lunæ ferunt, magis vero oppositiones etiam timent. Idem & circa vindemiā & vina conficienda nonnulli obseruant, per plenilunia enim humidiora, quàm par sit, & aquosiora vina fiunt, per coitus vero frigidiora & minus potentia. atque hęc ferè illa esse existimo, quæ rustici obseruent, non quidem quòd in quartis cœli vlla vis maior insit, sed quòd lumen id mediocre aptissimum quibusdam rebus conficiendis videtur. quod vero in ore vulgi est per quartas Lunæ mutari aeris cōstitutiones, & serenitates, & pluuias, & id genus, vel ipsi vulgo notū est esse mendacissimum.

At

At in lunari mense Astrologi Aegyptij affirmãt cœli quartas vim habere maximam,exemplo eorum,qui ægrotant Luna eo in puncto existẽte,in quo enati illi sunt:sed profecto(vt suas Aegyptijs condonemus obseruationes)mirari tñ Galenũ ipsum debemus ,qui quũ optime alioqui naturam inductionum nosset, tum vni tamen exẽplo tam facile manus dederit.Inductionum enim aliæ necessariæ sunt,aliæ probabiles tãtum, & harum aliæ simpliciter probabiles,alię secundum quid & ad hominẽ. Necessarie sunt aut in quibus inductio ad omnia singularia fit:aut in quibus omnia singularia prorsus similia sunt, & nullum accidens pati possunt,vt mathematica:aut in quibus inductio in paucis quidem fit, sed ratio ad naturam communem & ad vniuersale fit. Quòd si nec in omnibus inductio fiat,nec singularia prorsus similia sint,nec ratio ad communem naturam sit facta,tum quæ fit inductio probabilis solum est: simpliciter quidem probabilis,si in valde multis sit habita,aut ratio ad communem naturam quidem fiat,sed per communia: secundum quid autem ꝓbabilis,& ad hominem,si in paucis inductum sit.quid igitur dicemus de Aegyptiorum inductione? primum quidem si dixerint in omnibus & quartis cœli,& rebus omnibus ita obseruasse,rem quidem vulgo impossibilem affirmabunt:sed certe nec singularia prorsus similia sunt,quartę quidem enim cœli,quatenus quartæ sunt, & mathematice considerantur,similes nimirum sunt omnes,at quatenus agentes,& quatenus in illis Luna operatur,non similes certe sunt,sed accidentia multa patiũtur. At vero nec factam fuisse ad naturam communem demonstrationem dicendum est,nam quæ quidem communis esse ratio potest ad naturam quartarum cœli? nisi forte dicant in quadraturis Lunã terræ proximiorem fieri,in oppositionibus plus luminis ad nos demittere. Verum hoc erat in ciuili mense,non in lunari,de quo nunc quęrimus,quartæ autem lunaris mensis vt plurimum extra quadraturas sunt.ex his igitur est videre necessitatẽ nullam habere Aegyptiorum inductiones,sed nec simpliciter probabiles esse,quum nec in valde multis obseruationem fecerint, nec probabilem rationem ad vniuersale. Cur igitur sophistas Galenus vocat,cur maledictis incessit omnes,qui rem isthanc velint ratiõibus inuestigare? si enim vix probabile secundum quid,& ad hominem est, qđ Aegyptij dicunt nihil necessitatis cõtinens,quid prohibet aliter esse posse,quod æquum decetq; est à Philosopho homine inquiri?

C

D

Cap. 5.

SEd quid adeo laboramus? dentur omnes Aegyptiorum obseruationes,valeant nautarum agricolarumq; testimonia,moueat Luna fortius

tius

A tius per quartas cœli vtriuſque menſis,moueat per quartas Natalicij pũcti fortius,quam tamen cauſam illis Criſibus dabimus,quæ extra quartas vtriuſque menſis,extra quartas Natalis fiunt? rariſsime enim contingit,vt ſeptenarij morborum dies cum ſeptenarijs Lunæ coincidant.

At hic conſurgunt recentiores quidam Aſtronomi ſimul & medici, ac vocem tollunt,clamantq; nos Aſtrologorum decreta nõ intelligere, neque enim ita eſſe,vt in ſolis menſium illorum , & pũcti Natalicij quartis Luna res moueat, loco enim exẽpli hæc ſunt,ſed ita accipi oportere, vt quocunq; in puncto quis ægrotauit,Lunam per quartas cœli ad eum punctum cõmotionem inferre:vt ſi heri Dion, hodie Callias in morbũ incidit,per ſuam ſeptimam Dioni,per ſuam Calliæ Luna impetum dabit,quare & ad omnes Criſes concurrere,ſed per ſeptenarios cuiq; ſuos.

Nos vero medicos iſtos atq; Aſtrologos rogamus, vt paulisper conſideant, & vocem demittant:volumus enim quædam eos placide percunctari,ac primum illud,nũquid,quod dicunt de Luna,in morbis ſolis ſpectetur,an & omnibus alijs quæ noua fiunt:ſi quidem in omnibus ita eſſe dixerint,nunquid igitur, ſi Praxiteles Iouem facturus hodie marmor incidere cępit,die ſeptima fœlicius aut infœlicius ſculpet? & ſi fontem quis hodie deriuauerit,nunquid largius ille fluet in ſeptimam? ita enim fieri oportet,quando & in fluxũ humorum noſtrorum idem contingit: & ſi
B colonus agrum ſtercorarit,opimiorem in ſeptima videbit q̃ in octaua? qm̃ ita ſe habet & humor, qui in nobis putreſcit? quæ certe omnia quàm ridicula ſint,nemo eſt qui nõ videat. Si vero in ſolis morbis ſeptenarij hi Lunæ motus vim ſuam habent, mirum profecto eſt cœli quartas virtutes has dare Lunæ in ſolis morbis,& non hoc ſolum Galenus dicit affirmari ab agricolis & nautis,ſed multo amplius teſtimoniũ afferre voluit. ſed quoniam placide cum his Aſtrologis agimus,placet quidem vt in ſolis morbis inquiramus,quale ſit, quod de Lunæ ſeptimis nuper dixere. Primum autem illud ſtatuatur Criſim eſſe localem motum humorum, ſi igitur Luna hunc motum facit,quærimus,an eam vim facultatẽq; mouendi humorem per ſe &(vt aiunt)eſſentialiter habeat,an ab alio acquirat,aut loco,aut aſpectu,aut reflexione luminis,aut alio. ſi quidem eſſentialiter id habet Luna,non igiť in ſeptima magis,quàm & in octaua mouebit,& nona,quæ enim per ſe inſunt,ſemper inſunt,& idem ſemp operantur. Si vero ab alio acquirit,quicquid ſit illud,ſi id quidem vnum eſt & determinatum,quales ſunt quadraturæ & oppoſitiones, & quartæ natalis puncti,tum ergo ſolum mouebit Luna,quũ in eo erit, aut loco, aut aſpectu,aut alio,recedens autem non mouebit:at vero ſi vnum & determinatum non eſt id,à quo virtus Lunæ datur,ſed talia ſunt omnia pun-

cta,in quibus q̃s ægrotet, vt per ſeptimã cuiq; ſuam efficacior ſit Luna, C
primum quidem hoc poni valde mirum eſt,ſed tamen ponatur: ſit ergo vt hodie Dion ægrotet,cras Callias,poſtridie Plato,in alijs alij,omnes quidem eadem ægritudine,& ad ſeptimum Criſim factura, per ſuam igitur cœli quartam Luna vnicuique Criſim dabit,in ſeptima quidem Dioni, in octaua Calliæ,quæ illi ſeptima eſt,in nona Platoni,ipſi ſeptima , & ita in alijs:at certe ſi ita fiat,nimirum Luna quotidie eundem effectum faciet,Criſim videlicet,& localem motum humorum: quod enim in Dione fit in ſeptima,in Callia fit in octaua,in Platone in nona,in alijs in decima:idem aũt effectus ſi fiat diebus ſingulis,oportet & cauſam continẽter eandem eſſe,diuerſa enim ſi ſit,eundem effectum non faciet. ſi igitur à loco acquirit Luna eam vim & facultatem mouendi,omnia quidẽ loca ſucceſsiue,& puncta omnia eandem habebunt vim,quare & quocũq; in loco ſit Luna,idẽ ſemper operabitur:igitur ita in octaua mouere Dionem poterit, ſicut & in ſeptima,locus enim, in quo eſt in octaua, eandẽ vim habet per ſe.Nec certe dici illud poteſt non moueri in octaua Dionem , q̃m illi ſeptima non eſt , quòd enim pũctus aut locus ſeptenarius alteri ſit,reſpectus quidem eſt forinſecus veniens,quem & nos facimus , reſpectus autem nihil ipſi per ſe agũt,niſi in re,& in cauſa mutatio aliqua ſit.Si ergo locus,qui in octaua eſt,eam vim per ſe habet mouendi humorem,ſiue ſeptimus ſit ſiue octauus,ſemper eodem modo mouebit:quam D
ob rem nihil tandem eſſe manifeſtum eſt,quod dicunt Lunam egrotanti cuique per ſuas ſeptimas cõmotionem ad Criſim dare. Præterea penè riſu dignũ eſt dicere primũ, verbi gratia , punctum arietis primo cancri & primo libræ ſolum reſpondere,ſecundum ſecundo,tertium tertio, & ita in alijs,ſimplex enim corpus eſt cœlum & eiuſdem naturæ,& virtutis per totum orbem:quòd ſi diuerſæ naturæ primus arietis & ſecundus cancri eſt,quo ergo modo Luna eundem effectũ facit,& in ſecundo cancri,nam & in eo humorem in Callia mouet? muſitant ad hæc pauliſper Aſtrologi quidam,tamen aliud quid comminiſcuntur , ac dicunt eo in puncto,quo quis ægrotat,infundi à Luna neſcio quid,quod non niſi per ſeptenarias periodos vim ſuam ædit,ſed certe & hoc ridiculum eſt , & in idẽ redit,quod enim hodie Dioni infunditur,cras infundetur Calliæ,poſtridie Platoni,idẽ ergo quotidie effectus fiet,quare & eandẽ oportet cõtinenter cauſam exiſtere,vnde & idẽ diebus ſingulis efficiet Luna , & in omni ſubiecto, ſi paratum ſit.Eadẽ dicãtur , ſi Luna eam vim ab aſpectu acquirit,aut reflexione, aut alio.

Poſtremo(vt tandẽ finem faciamus,iã enim moleſti videri poſſumus aperta in re)ad hæc aduertere Aſtrologorum amicos rogamus , ſupponamus

A mus autem in primis actionem omnẽ non nisi contactu fieri,cœlum aũt & sydera,quum huc non pertingant,agere quidem per aliquid huc demissum,id vero aliquid spirituale esse,dico autem spirituale qualitatem contrario carentem,quæ & momento diffundi solet,quale lumen,& si quid aliud eiusmodi demitti à cœlo potest.spiritualium autem actiones (vt in ijs,quæ de contagione,diximus)omnes hæ sunt,& non aliæ. Primum quidem videntur posse qualitates illas producere,quæ primæ vocantur,vt lumen videmus calorem facere,quocunque id modo fiat.

Deinde videntur & vim trahendi ac fugandi quædam habere, quod in Magnete, Adamante, Electro, & alijs quibusdam est manifestũ, certa enim attrahunt,quod non aliter posse facere,q̃ per spirituale aliquid, monstratum est in alijs:at vero & in Antiparistasi multorũ palàm est fugare sese nonnulla per spirituales qualitates.possunt deinde & hęc eadẽ spiritualia in animalium membra modo tristitiam & displicentiam, modo suauitatem & voluptatem ingerere,recepta enim in nobis necesse est aut vt grata atque amica recipi,aut vt ingrata & inimica:sic sonus, & sapor,& odor,& lumen,& id genus reliqua recipi consueuere. Postremo quòd eadem posint id cognitioni repræsentare,vnde effluxere,manifestum est:tot igitur & non plura posse facere spiritualium vnũquodque supponendum est nobis. Si igitur aliquo horum mediante con-
B currit ad Crises Luna,quærendum est,quo nam prædictorum modo cõcurrat,generandó ne aliquam qualitatum primarum, an trahendo, vel fugando humores,an displicentiam vel voluptatem ingerendo : horum enim aliquid dici necesse est,nam cognitionẽ ad Crises faciendas prębere,nemo est qui dixerit.Sed certe quicquid horum detur,vna quædã cõmunis ratio contra est,particulares autem multæ, nam primũ quicquid ponant,superuacaneum est,& sine necesitate,siue enim spirituale illud calorem generet,nostrumq; eo modo augeat,siue trahere vel fugare dicatur,siue displicentiam stimulumq; in membra ingerere,incassum ponunt omnia,quando ea in nobis omnia sunt,quantum sit satis,calor, ꝑpulsatio,stimulus.particularius autem inquirendo si spirituale illud ob id ad Crises concurrit, quòd caloris sit productiuum, lumen ergo id erit : at certe lumen non vna die magis quàm alia calorem suggerit, nisi quo plus ad terram reflectit, quod in Sole quidem accidit, quanto directior fit nobis,in Luna vero quo plus luminis à Sole recipit, recipit autem continenter plus,quo magis ab eo remouetur,quare quum octaua & nona die abscedat à Sole magis, vtiq; & in ijs calorem apportabit maiorem semper, quàm in septima. Si vero dixerint non hoc modo spirituale illud operari,sed magis aut trahendo humores,aut fugãdo,illi qui

dem primum ſciant,quæ ſeſe inuicem trahunt,aut pellunt , omnia finē in natura habere,quo ſic mutuo conſeruentur,hæc quidem repellendo contraria,illa trahendo affinia conſimiliaq;,at inter cœlum & humores noſtros hic finis eſſe non poteſt,neq; enim inimicitiā vllam cum humoribus cœlum habet,nec trahendi neceſſitatem,quo aut conſeruet,aut cō ſeruetur. Præterea,quę ſeſe trahunt,omnia eo vſq; ſeſe attrahunt,quo in vnum coeant,niſi impediantur,hic enim attractionis eſt finis:trahi autem humores vſque ad cœlum neminem dicturum arbitror , niſi ſiquis etiam putare poſsit paſci ſydera,vt antiqui poetæ dixere. Impediri vero cœlum perpetuo tempore à fine ſuo diuinum corpus & immortale, inconueniens nō paruum eſt:ac demum ſi ſpirituale illud per ſe uim eamtrahendi,aut fugandi habet,ſemper quidem per ſe trahet,& non magis ſeptima quàm octaua,niſi quid aliud ex parte recipientis ſubiecti obſtet. ſed neque poſtremo quis poteſt dicere ſpirituale illud vti triſte receptum diſplicentiam in membra ingerere,atq; irritare ad eam expulſionem faciendam,quæ Criſis dicitur,primum quidem quia ſic dicere quidem nō poſſunt,cur maiorem diſplicentiam dies ſeptima ingerat q̃ octaua & nona,ſi per ſe eam inimicitiam cum membris habet deinde & illud valde mirum videri debet Dioni triſte eſſe ſpirituale hoc in ſeptima,Callię vero non,eadē in domo eodē in lectulo iacenti:mox eidem Calliæ in octaua triſte & inimicum fieri,Dioni non amplius:ac demum ſi propter ingeſtam diſplicentiam dicatur id Criſes facere,imo magis oppoſitum ſequi videtur,& impediri potius ea de cā Criſes,quēadmodū in conſimilibus ſæpe videmus fieri,ſæpe enim futura exiſtente Criſi, accidit eam impediri ex nouo recepto dolore,aut ex ira et eiuſmodi,quod iure fit,diuertitur enim natura à priori ſtimulo,noua recepta ſpecie triſtitiæ alterius. ſimiliter & ſi operari illud Criſes dicatur,ꝙ vt ſuaui recepto corroborentur membra,eadem opponi poſſunt,nō eſſe enim ſuaue niſi cui ſeptenarium acceſsit,& in eodem lectulo Dioni , non autem Calliæ ridiculum certe eſt,& philoſopho homine indignum.

Ad hæc igitur ſi quis recto reſpiciat oculo depoſito ſectæ amore, videbit Lunā & beata illa corpora non aliter ad Criſes facere, q̃ & ad cibi cō ctiones & generationes,& alia id genus:neque enim ſumus,qui & Solem,& Lunam,& alia ſydera negemus multa hic operari & mouere, & ad Criſes quoque accedere poſſe,quemadmodum ad alia, vti vniuerſales multorum cauſas,proprias vero cauſas eſſe, & nihil aliud ad rationē dierum in Criſibus debere inquiri aut inueniri poſſe,& negandum,& à philoſopho ridendum fore exiſtimamus,ſed de his ſatis ſuperq; dictum iam eſt,accedamus iam ad ea,quæ magis ratiōabilia ſunt, & ad medicos

pertinentia

A pertinentia magis, demõſtrantes rationem omnem dierum in Criſibus ex ijs pendere, quæ ſunt in nobis.

Cap. 6.

PRincipio illud non ignorandum eſt duo eſſe, quæ potiſsimũ ad eã expulſionem faciunt, quæ Criſis dicitur, alterum eſt diſplicẽtia ſtimulusq́;, quem corruptus iamq́; inimicus humor in membra ingerit, alterum eſt digeſtio, hoc eſt pręparatio illa, quę requiritur, ſi expelli debet: vtrunque enim quum ſimul conuenit, tum maxime propulſatio humoris corrupti fit, quapropter rectiſsime Galenus dicebat in paroxiſmis, & circa morborum ſtatus maxime videri Criſes, in paroxiſmo enim ſtimulus atque irritamentum fit maximum, circa ſtatus vero, concocta digeſtaq́; materia eſt. accidit tamen quandoq; tantum eſſe irritamentum, vt quanquam nec plane digeſtus ſit humor, foras tamen pellatur, conatu quodã maximo à natura facto, quòd enim ea vis inſit membris, vt nocentia repellat, manifeſtum eſt, quãquã, quo principio & quo pacto id fiat, non ita eſt manifeſtum.

Ergo & quum plus nimio humor exuberat, & quum furenti eſt ſimilis, quaſdam ante tempus accidit Criſes fieri, ſed certe eiuſmodi non B propriæ Criſes ſunt, ſed violentiæ quædam magis, in quibus nullus dierum, nullus naturæ ordo ſeruatur.

De ijs igitur, quæ Criſes non propriæ ſunt, ſed irregulares quidam impetus, nullus nobis ſermo erit, ſed de ijs ſolum, quæ proprie Criſes ſunt, & cauſam certam habent, & rationem dierum aliquam.

Cap. 7.

AD hæc & illud quoque conſtituendum eſt rariſsime fieri, vt tranſeunte in humores vitio aliquo, vnus tantum humor corripiatur, nam vt plurimũ vel duo, vel plures vitium idem concipiunt, aut ſimul, aut poſt. Quippe ea in maſſa ſanguinis, quæ intra venas continetur, cõfuſi cõmiſtiq́; ſunt & reliq vocati humores, cholera, phlegma, & melãcholia, ſed ita vt quodãmodo actu, quodãmodo potentia in ea maſſa ſint, potentia quidem, quia ad minimas, & indiuiſibiles particulas redacti ſunt, nec moſtrari pñt, hoc quidem phlegma, illud cholera, illud melãcholia, niſi particulæ vniantur, at actu ſunt, quoniam tametſi ad particulas minimas deducti ſunt, proprij tamen generis rationem habẽt: igitur propter vicinitatem confuſionẽq; eorum rariſsime fit, vt infectionis cauſa communis

munis pluribus non fiat, si enim cõtagio & putrefactio in causa est, aut C
liquefactio, aut obstructio, aut aliud id genus, ægre fit, vt vitium ad vnũ tantum sese applicet.

Incipientibus autem ijs vitiari, tum quod corruptum est secernitur, quantum fieri potest, à reliquo, quod sincerũ est, ita operante natura, cui ea vis inest, ac tunc actu humor fit, coeuntibus in vnum particulis, ac sensibilem humorem conflantibus, per quem modum tandem & expulsio deinde fit, & Crisis, modo per vnam, modo per aliam partem, qua magis naturæ commodum est.

Cap. 8.

ACcidit autem dum corruptos humores natura separat, & actu facit, ita interdum commisceri eos inuicem, vt vnam conficiãt formam, vnumq; motum dent, ac morbum vnum, qui rationem dominantis insequitur: vnde choleræ nothæ, & pituitæ nothę, & melancholiæ nothæ contingunt, à quibus & morbi denominantur nothæ tertianæ, nothæ quotidianę, nothæ quartanæ: sæpissime vero non vnam omnes formam conflant, nec vnum motum dant, nec morbum vnum, sed plures, vnde & morbi compositi fiunt.

Si igitur, qui peccat, humor simplex, & vnus tãtum sit, aut plures qui D
dem, sed in formam vnam redacti, tunc nulla dierum criticorum ratio est expectanda, sed paroxismi soli considerandi sunt, & eorum dies, in phlegmate quidẽ quotidianę, in cholera tertianę, in melancholia quartanæ, in quibus cadent quidem suæ Crises, sed vt accidit materiam digestã esse, quod certã diem nullam per se habet, propter quod in tertianis, quę puræ sunt, videmus, & quintam indifferenter & septimam & nonam, & in summã omnes impares dare Crises, nec Hippocrates aliud in his præcipit attendendum esse, quàm dies impares. At vero vbi & plures peccãt humores, & non sub formam vnam commisti, sed confusi solum, propriam naturam seruantes, tunc sperare possumus certas dies videre, in quibus Crises permultæ fiant, certas, in quibus rarissimę, alias medio modo se habentes, quorum omnium causam & certam rationẽ habere possumus: ac talis maior est morborum pars, quoniam vti raro est humorẽ simplicem peccare, ita & plures ad vnam formam conuenire perrarum est: quare in multis morborum, aut Crises videri possunt certis diebus, aut motus saltem humorum. Illud vero interest inter humores, quòd ad eam mistionem conficiendam, quæ vnius formæ est, aptissimum est phlegma, quoniam humidum liquidumq; est, ac bene miscibile, ineptissima

A sima melancholia, quoniam siccior terrestriorq; est, & ad miscẽdum durior, nihil tamen prohibet & phlegma seorsum morbum facere, & melã choliam ad vnam formam venire.

Cap. 9.

PLures igitur quum humores in morbis peccant, non autẽ sub forma vna, accidit quidẽ interdum, vt vnusquisq; illorum manifestũ prodat paroxismũ, Cholera quidem tertianarium, phlegma quotidianũ, melancholia quartanariũ, vnde & morbi manifeste cõpositi fiunt. Interdum vero accidit, vt non omnes manifestũ dent paroxismum, sed aliqui illorum latentiorem edant: dico autẽ latentiorem paroxismum, nõ quòd humor non moueatur, sed quòd motus ille suboccultus sit, quod nonnullis de causis accidit: sæpe enim, qui mouetur, humor non multus est, & vix perceptibile est, quo exacerbat: sæpe sensim, & per moras putrescit, vnde nec horrorem incutit, nec calorem acrẽ apportat: sæpe & superuenit maiori febri: at vero & quũ non paucum est, quod mouetur, & repente inuadit non sensim & per particulas, nec maiori alteri morbo superuenit, tum manifestũ affert paroxismũ, & manifestæ fiunt compositę pluresq; febres & Hemitrithei, aliæ quidẽ ex cholera, & phlegmate, aliæ ex cholera, et melancholia. Sed certe non frequenter admodũ fit, vt pec-
B cantibus pluribus humorũ, manifestos quisque motus prodat, verum sæpius id videri accidit, vt vnus manifestũ edat paroxismũ, alius latentiorẽ, manifestum quidẽ ille, qui principaliter peccat, latentiorẽ, qui nõ principaliter, sed quasi per sequelã quandam. Ex his ratio omnis Criticorum dierũ pendet, peccantibus.n. humoribus magna ex parte morborũ pluribus, & ijs quidẽ non facientibus formã vnam, vnoquoque autẽ motum suum pro natura faciente, cholera quidem per tertias, melancholia per quartas, inde fit, vt quibusdam diebus humores, qui peccant, simul omnes cõmoueantur, quibusdam aliqui solum, quibusdã nulli: quare & dierũ accidit quasdã placidissimas in morbis esse, alias acerbiores, alias acerbissimas: placidissimæ illæ sunt in quibus nulli humores mouẽtur, quod quidem fieri potest, quanq̃ phlegma quotidie motũ faciat, ob id, quòd phlegma ipsum vt plurimum formam vnam cum alijs conflat, & illorũ motum consequitur: acerbiores sunt dies, in quibus vnus humor mouetur: acerbissimæ, in quibus omnes. aptissimæ igitur dies illæ sunt ad Crises faciendas, in quibus concursus fit humorum omnium, acerbissimus enim tum paroxismus fit, ac stimulus & irritamentum naturæ maximũ, quod præcipue sequi ad agendas Crises dictum est supra. Porrò quoniam nec Crisis fit nisi digesto præparatoq; humore, perfecta autem absolutaq;

ſolutaq; digeſtio non eſt, donec quod craſsius eſt ac ſegnius, digeſtum ip C
ſum nõ ſit, craſsior vero & ſegnior omnibus eſt melancholia: inde fit, vt
potiſsimum circa melancholiæ & motus & digeſtiones attẽdantur Cri
ſes, cuius natura (vt mihi videtur) non eſt à multis recte perſpecta, nam
ea ſemper ferè in morbis cum alijs aut principaliter peccat, aut ſubpec-
cat ſaltem, quod plurimũ eſt: quæ quoniam vnam cum ijs formam face-
re inepta eſt, per ſe quidem mouetur, & ſuas periodos ſeruat, interdum
quidem manifeſte, quod tum accidit, quũ & multa eſt, & principaliter
peccat, vt plurimũ autem latentius, quũ ſcilicet ſubpeccat ipſa, & putre-
dinem ex alio principio recipit: quibus igitur diebus cum motu aliorum
humorum concurrit, acerbiſsimum paroxiſmum affert. porrò & quo-
niã Criſis non fit, donec & ipſa non ſit digeſta, fit quidẽ, vt è melancho-
lia tota ratio dierũ in Criſibus præcipue pendeat per modum, quem iã
afferemus, cuius rei non ab re fuerit in primis hoc exemplum apponere.
Sit enim, qui principaliter humor peccat, cholera, non quidem pura, ſed
cõmiſta, cõmiſta autem cum flegmate quidem ſub forma vna, cũ melan
cholia vero vicinitate ſola & cõfuſione, ſubpeccet autẽ melãcholia, ac nõ
multa, nec valde craſſa, ſed ſubtilior, & in ſumma quæ cito terminũ da-
re poſsit. igitur putreſcente cholera, ſimul quidẽ & eadẽ die computre-
ſcet & melãcholia, moroſusq; ſatis erit paroxiſmus ille prim⁹ (vtpote duo
rum humorũ) ſecũda autẽ dies quietiſsima redibit, in qua nullus humo- D
rum motus fiet, at tertia paroxiſmum choleræ quidem ſentiet, Criſim tñ
non faciet, tum quia ſtimulus nondũ maximus, tum quia totũ nondum
digeſtum eſt: quarta aũt dies motum habebit melãcholiæ, ſed latentiorẽ
quia non multũ eſt, quod tunc mouetur de melancholia, partim quidem
quia ſubpeccabat ſolũ, partim quia putrefactio eius quodãmodo pendet
à cholera, qua ceſſante in die quarta aliquẽ quidem motũ dat melancho
lia ob concepta putrefactionis ſemina, ſed paruũ, & latentem, quoniã ori
go & fomes putrefactionis quieſcit: quinta vero choleræ motũ videbit,
ſexta nullius: at vero ſeptima acerbiſsimũ omnium paroxiſmũ apporta-
bit concurrentibus ſimul humoribus, qui peccabãt, omnibus, ac largius
melãcholia, quoniã ex alterius contagione & impulſu non parũ motio-
nis recipit: qua die, quoniã & dige-
ſta eſt melãcholia, fuerat. n. ſubtilis,
& pauca, nata cito terminum recipe
re, continget etiã Criſis: ſtimulus. n.
acerbiſsimus in ea fit, & totum dige
ſtũ eſt, in alijs autem diebus aut ſti-
mulus abſuit aut digeſtio.

motus cholere
1 2 3 4 5 6 7
motus melancoliæ

Cap.

A Cap. 10.

SEd de his latentioribus paroxismis operæpretium est nõ nulla dice re:nam quærant fortasse aliqui,nunquid latentes hosce melancho-liæ motus effinxerimus nos,an etiam perspexerimus in morbis. si enim perspeximus,cur & alij non perspexere,non Hippocrates,non Galenus, & alij? si vero non perspeximus,quid effingi oportet,quæ non sunt? s.n. essent viderentur vtique. Ad quos dicimus non effingere nos eos mo tus,sed in morbis esse,& videri,si diligenter quis animaduertat:nec pro fecto dicere possem,quotiens non solum ego conspexerim, sed & alios etiã medicos sensisse viderim,admiratos dies illas,quas quietissimas ex-pectabant,redijsse tamen inquietas,morosas,ægrumq; iactari,& conque ri,nesciẽtes vnde hæc contigissent. Interdum vidi & medicos alios, ꝙ quartarios quosdam motus in certis morbis percepissent,dubitasse,ne fe bris in quartanam desineret,quum tamẽ nec quartana subsecuta fuisset, & ægritudo suo tempore absoluta.ego vero qui prius motus hosce consi derassem,nullum horum timebam,aut mirabar, quin sæpe monui dies, quas illi quietissimas expectassent,morosiores esse futuras.Quare & Hip pocratem,& Galenum,et alios vidisse eosdem motus existimo,sed fors ita tulit,vt ad causam non animaduerterint,nã quid aliud mõstrant dies
B illi, qui indicatiui dicuntur,qui omnes quarti sunt à die, in qua Crisis ꝑ fecta futura est? quid aliud indicat totus progressus Crisium,qui non per septenarias,sed per quartanarias periodos pergit, quarum duæ septena-rium vnum faciunt? Hippocrates quoque quasi rem isthanc innuere videtur mihi,quum dicit quartanarios motus in morbis spectãdos esse. Sed necessarium non est fortasse plura hac in re adducere,quum ab vno quoque spectari posit,quod si medici omnes facient, & rem ita esse vi-debunt,& magnum quoddam principium ad multa nacti erunt,& mul ta simul desinent & admirari,et timere.

Cap. 11.

SEd rursus dubitare omnes iure possint, quoniam per præscriptum quidem exemplum monstrari fortasse potest,quomodo & quarta et septima dies Criticæ ipsæ sint,at quomodo & vndecima,et quartade-cima,et vigesima,et vigesimaprima Criticæ sint,demonstrari quidẽ nõ potest. Nam per assignatum exemplum melancholiæ motus sunt 4,7, 10,13,16,19,22,25, et 28:in quibus nec 11, nec 14, nec 20, nec 21,nec 27

locum habent. Ergo, quo pacto & hi quoque dies Critici ſint, expedia C
mus. Primum autem illud præmittamus melancholiæ modos & con
ditiones multiplices eſſe, ſæpe enim pauca eſt, ſæpe multa, interdum craſ
ſior, interdum tenuior, modo tenacior, modo ſoluta magis, modo ca-
lidior, modo frigidior: ſimiliter ſe habet & cholera. ex hac diuerſitate fit,
vt putreſcente cholera quandoque ſimul & eadem die computreſcat &
melancholia, modo in initio paroxiſmi, modo in medio, modo in fine,
quod tum maxime fit, quum & pauca eſt, & ſubtilior, & calidior magiſ-
que admiſta choleræ, tunc enim in ipſam citiſsime tranſit infectio. inter
dum non ſimul & eadem die moueri melancholiam accidit, ſed ſecun-
da ſolum die, interdum & tertia ſolum, fortaſſe autem & quarta ſolum:
in acutis enim morbis prima die motus fit vtriuſque humoris, acuti nan-
que morbi à tenuiori, & pauca, & calidiori materia fiunt, in tardis au-
tem morbis, quos Cronicos vocāt, quoniam craſsiorem illi, & multam,
& tenacem, frigentemq́ue materiam habent, moueri quidem melancho
liam accidit non niſi die tertia, & ſi materia craſsiſsima ſit, fortaſſe nō ni-
ſi quarta, in mediocribus autē morbis, quorū & materia media eſt quan-
titate, craſsitie, & alijs, die quidem ſecunda repit in melancholiam pu-
tredo. igitur ſi prima die cum cholera ſimul & melancholia commouea
tur, quod in acutis fit morbis, quartanariæ quidem periodi erunt 4, 7,
10, 13: raro enim vltra hos protenditur ſtatus in acutis. ſi ergo quàm acu D
tiſsima ſit ægritudo, tum Criſis in 4 fieri poteſt, in his enim materia &
pauciſsima eſt, et ſubtiliſsima, & feruens: ſi vero acuta quidem ſit ægritu
do, ſed tamen inter acutas ſegnior, ad 13 protendetur eius ſtatus: ſi ve-
ro mediocriter acuta ſit, ad 7. in medio autem quum ſit, qui mediocri-
ter acutus eſt morbus, media autem ſæpius, quàm extrema, contingant,
inde fit, vt in genere acutorum dies ſeptima maxime Critica ſit, rarius
enim eſt morbum quàm acutiſsimum eſſe, rarius quoque, ſi acutus eſt,
vt ad 13 perducat ſtatum: ſi tamen quandoque ad 13 prorogetur Cri-
ſis, totus dierum progreſſus ita ſe habet. Prima quidem dies triſtis eſt,
& inæqualis, duos enim habet motus: ſecunda placidior redit, ſi non
duplex ſit febris: tertia motum choleræ ſentit: quarta melancholiæ, ſed
latentem, at moroſum tamen: quinta choleræ reuerſionem videt: ſex-
ta mitis pergit, ſeptima valde quidem acerba eſt, non tamen Criſim dat,
quoniam non plane digeſtus eſt humor: octaua ſuauior ducitur: no-
na grauior propter choleræ motum: decima latentem habet melancho-
liæ motum: vndecima choleræ manifeſtum: duodecima placida eſt: at
13 ſæuiſsima, & Criſim etiam affert, quoniā cum irritamento maximo

A digesta etiam materia est,vt plurimum tamẽ in his morbis resolutio magis morbi,quàm Crisis fit in 13.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13

Cap. 12.

SI vero non prima die,sed secunda solum,motum dederit melãcholia,quod in mediocribus morbis accidit, tum quartanariæ periodi erunt 2,5,8,11,14,17,20:vltra autem rarißime in mediocribus producitur status.Critici autem sunt 11,14,17,& 20 : sed vndecimus Criticus quidẽ est,si in hoc genere materia non multa sit,& acutis proxima : si vero in eodem genere craßior sit,& chronicis vicinior,tum Crisis ad 20 protendetur : si vero in omnibus mediocris,ad 14. quoniam autem media sæpius,quàm extrema,contingunt,inde est,quòd 14 maxime Critica sit in mediocribus morbis,mox 11, mox 20,mox 17.illud tamen ignorãdum non est in tertianis,quæ simplices sunt,pares dies raro Criticas videri, eo B quòd in ijs paroxismus non accidat,nisi anticipatio forte fiat, quare nec 4,nec 14 in his Criticæ valde videntur:quoniam tamen in tertianis sæpe accidit,vt non simplices sint,sed duplices,tum & sæpe continuæ, nec non & anticipatio quoque paroxismorum contingat,ex his euenit,vt 14 dies multas videre Crises consueuerit,similiter & 20.Quæ vero in hoc ꝓgressu sint lenes dies, quæ acerbiores, quæ acerbißimæ,ex subscriptione manifestum esse potest.

1. 2. 3. 4.5.6. 7. 8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.20.

At si tertia solum die motum recipiat melãcholia,quod in chronicis morbis fit,in quibus crassa valde,& tenax,& multa materia est, periodi quidem erunt 3,6,9,12,15,18,21,24,27,30 : raro autem vltra contingunt Crises : maxime autem Criticus horum erit 21 : mox 27 : mox 15 : si enim materia crassa quidem, ac tenax sit, pauca autem in eo genere, ad 15 status erit : si vero crassa, ac valde multa ad 27 : si vero eo in

genere mediocris,ad 21. quod iccirco sæpius euenit,quoniam in medio C
est,quę vero dies quietiores,quę grauiores,quæ grauissimæ futuræ sint,
ex subscriptione manifestum est.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30.

Cap. 13.

EX his omnia illa monstrari possunt,quæ circa Crises spectantur: ac primum illud,cur tam 20,q̃ 21,Critici dies sint,in quo tantum Galenus laborat,mensem mirum componit,horas subtrahit:patet enim in mediocribus morbis 20.in cronicis 21,diem Criticam esse, vtra autem Critica magis sit,difficile certe est iudicare,casu enim fieri potest, vt aliqui plures in 20,aliqui plures in 21 Crises perspiciant: propter quod Archigenes magis 21 amauit,Hippocrates vero 20 magis. Illud quoq; pspicuum esse potest,cur dierum alij pręstent principatu,alij sint principatu minores,& cur alij Critici sint,alij non,alij medio modo se habeant.

Ergo inter omnes maxime Criticus dicebatur septimus,quod iccirco fit,quoniam maxima Crisiũ pars in acutis fit morbis,in ijs et stimulus ingens fit,& materia subtilis est,& bene mobilis, in acutis autem maxime D Criticus erat septimus,quoniam in medio est.ab hoc secundus principatu ponebatur 14:nã & si quartus,et 13 in acutis versantur,rarius tamẽ est, vt morbus q̃ acutissimus sit,rarius item vt in acutis status protẽdatur ad 13:quam ob causam 14 crebriores Crises videt,ꝙ in morbis mediocribus fit,& in ijs maxime Criticus existat:propter eandem causam et 20, et 21, et 11 magis etiam Critici sunt q̃ 4,et 13.inter ipsos autem 20, et 21 superant principatu vndecimum,nam quanq̃ vndecimus sit in mediocribus morbis rarius,tamen in illis fit,vt status acceleretur ad 11. Non Critici autem erant 6,8,10,12,16,19,22,23,25,26,29:ac 6 quidem rarissimas Crises videt,quoniam in eo neque cholerae motus fit (quum sit par) neque melancholię,nisi forte in periodis tertiæ diei:at in illis status multo longior expectabatur.qua de causa in 6 Crises non fiunt,nisi forte aut paroxismus septimæ anticipet,aut materia furens sit,aut exuberantissima: in his.n.quædã Crises apparent in 6,verum illæ(vt diximus)proprie crises non sunt,sed violentiæ quædã magis,propter quod sæuus dici cõsueuit is dies,quũ Crises dat,quippe quũ illæ à praua materia fiant.octaua quoque propter eandem causam,ꝙ nec choleræ motus,nec melancholiæ vi-

det,

A det,nisi in periodis secundæ diei,Critica esse non potest.10 vero motum cholerænon habet,qua è re fit,vt quanq; motum prime diei habeat, non posit tamen Critica esse:at 12 & par est, et motum habet melancholiæ tertiæ diei,quæ serius statũ facit:16 autem periodũ habet primæ diei, sed illuc non protenditur status in acutis morbis:consimiliter, et 19 motus habet primæ diei,vnde nec ipsa Crisim videt:sed neq; 22 eadem de causa.vigesima autem tertia periodum habet secũdæ diei,sed in morbis mediocribus dictum est statum non protendi vltra 20:ad 25 autem transirent periodi primæ diei,si morbus non ante decerneret: idem de 26, et 29 dicatur.De vigesima autem octaua dubium apud antiquos fuit, multi.n.prætulerunt eam 27,quod quidem verum esse potest, si forte melancholiã die solum quarta moueri accidat,sic.n.periodi erunt 4,7,10,13,16, 19,22,25,28,31.quẽ motum & nos semel obseruauimus in continua febre, in qua duplicis tertianæ correspondentia fuit. acerbæ autẽ dies ceperũt esse 7,10,in qua exacerbationes tertianarię cessauere,abinde vero cũ continua quartanarij solum nobis apparuere : seuissimæ vero omnium dies fuere 22,25,et 28,in qua æger supremã obijt diem. Medij autẽ dies erãt 3,5,9,13,18:ac tertius quidem,& 5,et 9 ita se habent,quoniã in tertianis puris,& ijs,quæ non puræ sunt,habent autem formam vnam, multæ cõtingunt Crises .13 autem ad Criticos propinquus est(vt diximus)quoniã &
B impar est,& inter periodos primæ diei cadit:quare & ipse non nullas crises videt:17 autẽ periodos habet secundæ diei,& in eo sæpe Crises etiam fiunt:at 18 periodum sortitur diei tertiæ,& quasdam etiam Crises dat, vel anticipantibus paroxismis,vel in duplicibus tertianis.

Cap. 14.

INdicatiui vero dies sunt,in quibus materia non omnino digesta est, proxima aũt vt digeratur :quoniam vero natura , quoties irritatur , expulsionẽ nocentis tentat,inde fit,vt certis diebus Crises quædã imperfectæ contingant,nuntiæ vero eius Crisis,quę perfecta futura est.Crisim quidẽ atque expulsionem tentat natura,quoniam stimulatur , imperfectam aũt facit,quoniam non omnino digesta est materia,quæ tamẽ quoniam in parte digesta est,in parte etiam expellitur:propinquissima vero digestioni quũ sit , nunciat quidem in sequenti periodo futurã esse perfectam Crisim,atq; iccirco indicatiui illi dicuntur dies,in quibus imperfectæ contingunt Crises,propinquissimæ vero perfectis .omnes autem quarti sunt à die perfectæ Crisis,quod apertissime monstrat rationẽ Crisium à melancholiæ motibus potissimum dependere:quartus igitur nũ-

tius

tius ſeptimi eſt, vndecimusquarti decimi,decimus autem ſeptimus vige C
ſimi,decimus octauus vigeſimi primi: vidimus autem nos & 8 indicati-
uum fuiſſe vndecimi in muliere tertiana febre laborante, cuius acerbio-
res dies fuere 2,5,8,erat enim mota melancholia ſecunda die:in 8 autem
vrina facta fuit ſanguinea,vnde iudicauimus in vndecima Criſim futu-
ram eſſe per menſtruum ſanguinem,quod non ſecus , atque exiſtimaue-
ram,euênit,nihil enim prohibet & eos dies(qui vt plurimum indicatiui
ſunt)quandoque etiam principes in Criſi fieri.

Cap. 15.

DE natura igitur & cauſis Criticorum dierum ita quidem oportet
exiſtimare,ad quæ ſi qui forte medicorum animaduerterint , fa-
cultatem profecto nacti erunt in omnibus penè morbis dierum progreſ
ſus nouiſſe,quæ mites,quæ acerbiores,quæ acerbiſsimæ futuræ ſint: tum
& quando, et quomodo, & quorum humorum futura,aut nõ futura ſit
Criſis,& quando conueniat,aut detrahere ſanguinem, aut medicamen
ta vlla afferre. Verum diligentia opus eſt,& cura, anticipationesq; pa
roxiſmorum conſiderandæ,& dies multo ſtudio enumerandæ , & quid
in vna quaque noui accidat:quare & contemplatio hæc,atque ars negli-
gentis medici non eſt,aut ad lucrum euolantis,ſed ſolertis,et amãtis phi D
loſophiã. Eſt autem (ſi fieri poteſt) procurandum primam ægritudi-
nis diem accepiſſe,quo recte poſsimus, quæcunq; ſunt ſecutura, diligen
tiſsime obſeruare prȩuidereq;.ſi igitur circa morbi initia datum fuerit ac
ceſsiſſe,ad hæc attendere eum oportet,qui eius progreſſum noſſe volet.
in primis videat qualis nam ægritudo oblata eſt,num acuta,an cronica
an mediocris,quod ex ijs ſignis cognoſcet,quæ à medicis tradi ſolent.ꝙ
ſi acutam ægritudinem viderit,materiamq; aeream & ſubtilem , ſi qui-
dem cholera pura iudicabitur,ad impares tantũ dies animaduertat, neq;
.n.in ea melancholiæ periodi ſperandȩ erunt:at ſi non ſincera fuerit cho
lera,ſed ſordidior quodammodo,tum ſperari poterunt quartanarij illi
motus,qui ordinem in Criſibus præbent. quare ad primum paroxiſmũ
aduerte,ſi ſimplex eſt,ſi tempora ſeruat ſua,an magis ſi quandam recipit
diuerſitatem.ꝙ ſi circa augmenta,aut ſtatus,aut declinationem cõtrahi
rurſus pulſus videatur, atque extrema frigere , ſuſpicio quædam eſt mo
tam ſimul atq; eadem die fuiſſe melãcholiam:q̃q̃ nõ neceſſarium id eſt,
poſſunt enim hæc eadem,aut ex motu phlegmatis , aut ex alia portione
choleræ prouenire,verum quarta dies certitudinem eo in dubio dabit,ſi
enim debente ea ſine febre fieri(vt in ternianis) triſtem tamen apporta-

uerit

A uerit diem,& occultam quandam sine causa ægro perturbationem immiserit, magnum quidem indicium erit die prima motam simul fuisse melãcholiam: quare inspecta vrina,& alijs digestionis signis ad septimũ animaduerte, in quo aut Crisis fiet, si indicata in quarta fuerit, aut ægritudo soluetur, aut status erit.

Si vero prima dies nullum dederit signum motæ melancholiæ, videris autem materiam grossiusculam, tũc iudica morbum vltra hebdomadam transiturum: quare nec 4, nec 7 curato, si opus fuerit aut sanguinẽ mittere, aut pharmacari, neque enim is te teneat timor, ne impedias Crisim. ad secundam vero diem respice, in qua vide, si quicquam commoueatur, an nihil: quòd si aliquid mouetur, considerato, an clarus sit paroxismus,& priori similis, forte enim febris duplex erit, an magis latẽs fuerit motus,& sine manifesta causa tristior, quo casu & ad quintum respicito, si sæuum apportarit paroxismum, si longum, inæqualem, non humorosum, sed siccum, cum declinatione longa, morosa, quæ si contigerint, dubitare nihil debes motam die secunda fuisse melancholiam. computa igitur periodos secũdæ diei,& metire materiam, qualitatemq; eius, & quantitatem, ac digestionem, si enim mediocris in omnibus visa fuerit, ad 14 protende statum: si crassa medio modo, at multa, ad 20: si acutior,& non multa, ad vndecimum. Cognosces autem & quę quietiores,

B & quæ acerbiores dies erunt.

At si neque prima, neque secunda die signa vlla videris motæ melancholiæ, tum ad tertiam te conuerte,& materiam bene examinato: quòd si nothæ vllæ apparebũt, quæ suspicionẽ dent eius motus, tunc ad periodos tertiæ diei spectato, si igitur & 6,& 9 tibi responderint quartanarios motus seruanti, tũc chronicam ægritudinem futuram time,& si materia crassa quidem videbitur, mediocris autem quantitate ad 21 decerne statum: si vero multa, ad 27.

Cap. 16.

QVoniam autem non semper aduocari medicum ad initia morborum accidit, siquidem primas dies vidisse non dabitur, at percunctare tamẽ, quæ prima fuit dies, qualesq; reliquę pręteriere. Fortasse enim hoc modo periodos primæ, aut secũdæ, aut tertiæ diei nouisse poteris: nã si quartanarios vllos motus depræhẽderis, facta ad diẽ primam supputatione videbis, cuiusnã diei illę periodi sint. quòd si nec diẽ primam dare, neq; aliarũ ordinẽ æger sciuerit, aut qui ęgro astant, tu tamen morbi motus obserua, raro enim fit, vt re diligenter spectata non sese

offerant

offerant tibi quartanarij aliqui melancholię motus: quos si vllos videre C
poteris, considerato & signa digestionis, & propinquitatem status, & distantiam, nec non & materiæ qualitatẽ. Sic enim non modo futurorum, sed & præteritorum etiã cognitor esse poteris, quemadmodũ non multo iam elapso tempore contigit mihi: quũ enim acersitus ad ægrũ quendam multis post morbi initia diebus quæsissem, qua die primũ ęgritudo inuasisset, nescire se tum æger, tum & astantes dixere: tũ quæsiui, quæ saltem grauiores præterijssent dies: hesterna, ĩquit æger, & dies martis grauiores fuere. fuerat autẽ, quã hesternam dixerat, Veneris dies, quarta q̃dẽ à die Martis. Cognoui igitur melancholiæ motus illos fuisse: quum vero et vrinã & reliqua signa digestionis examinassem, vidissemq́;, q̃q̃ iã plures à prima præterijssent dies, statum tamen adhuc longinquum, iudicaui periodos illas Veneris, Martisq́; tertiæ diei fuisse, quare & ægritudinẽ ad 27 transituram. Facta vero diei tertiæ computatione tandem cõpertũ est ægritudinem die Martis primo incepisse, ac tunc decimam et nonã agi, quæ sabbati dies erat.

m. m̃. i. v. 5. d. l. m. m̃. i. v. 5. d. l. m. m̃. i. v. 5.
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

D

Hæc sunt, quæ circa Criticorum dierum causas et rationem lõga primũ diligentiq́; inquisitione nobis comperta sunt, mox & re ipsa obseruationibusq; comprobata: quod & reliquos quoq; medicorum facere & hortor & rogo: sic enim (vt arbitror) & laborem nostrum commendare, et me excusare poterunt, si à parente medicinæ Galeno, quem in reliquis vt Deum veneramur, & colimus, hac vna in re discedere ausus sum.



ALEXANDRO FARNESIO CARDINALI AMPLISSIMO

HIERONYMVS FRACASTORIVS VERONENSIS S.



OMO homini natus quum sit sacerrime Princeps, illud sæpe dubitatum fuisse video, vtro beneficio prodesse magis queamus, eó ne, quod per otium comparatur contemplando & scribendo, an eo, quod per negotia agendo, atque egregia multa nauando. nam plurimi quidem non solum propinquis & amicis, sed etiam Rebus pub. & multis sæpe nationibus magnopere agendo profuere, plurimi vero scribendo. Inter quos illud intereße videtur mihi, quod qui per negocia prosunt, præsentem magis, & magis perspicuam vtilitatem præstant opes, patrocinia, honores, libertates, & alia eius generis multa. qui vero per otium, si non adeo præsentem vtilitatem, at certe communem magis, & magis perpetuam, ac iniurias temporis & fortunæ superaturam afferunt. quo pacto disciplinæ, leges, historiæ, artes inuētæ, auctæ, ac per manus traditæ in ætates omnes, in nationes omnes peruenire potuere. vtroque autem modo prodesse B posse, paucißimis quidem, quos Deus præcipue amauit, semper concessum fuit. quod otium & negocia inter se non parum aduersari solent. qua de causa Reges & Principes viri, quod actionibus detenti, distractiq; minus otio inseruire possunt, per alterum magis (hoc est per actiones) prodesse ipsi quidem consueue re, per alterum autem minus, hoc est per ea, quæ ab otio proficiscuntur beneficia. verum enimuero, quicunq; vere Reges, et Principes sunt, curant profecto & prouident, vt quod ipsi per se non possunt, per alios nihilominus præstent, ne quum altero in genere excellant, in altero humano generi deesse videantur, cuius beneficio nati, constitutiq; à Deo sunt. qua in re non minus laudandi commendandiq; sunt, quàm in eo, quod per se ipsi possunt & conferunt, & si enim magna est ea virtus, quæ per se facit, non minor tamen & illa est, quæ alium mouet, & per ipsum vsui est, quando neque Deus optimus atque omnipotens per se semper & statim prodeße vult, sed aliorum opera, & ministerio ad eam rem vti consueuerit. ex quo quidem fit, vt Reges non paruam ingeniorum rationem & curam habeant, ea alant, & foueant, & quodammodo vt pariant, causæ sint. quare & illud recte homines instituiße videntur mihi, vt quemadmodum, qui naturæ sunt partus, Dijs optimis consecrantur, ita ij, qui sunt ingenij, Regibus & Principibus viris dedicarentur. flores quippe et fructus, et pri

mitias frugum atq; animalium, templis et aris offerri videmus, poemata vero C
historias, & reliqua disciplinarum inuenta, ijs qui potestatibus præstant. quin ipsos quoq; vtpote modis omnibus de humano genere benemeritos, & Dijs optimis benefactoribus similes dicere solemus, & Deorum nomine salutare, & in Deorum cœtum & numerum vita functos referre. verum qui tales spectẽtur, paucissimi quidem omnibus seculis semper fuere, quando multos ipsa illa potestas, qua insignes sunt, non in aliena commoda, sed in propria trahere consueuit. Quapropter & maior est eorum paucorum gloria, quos vera virtus cò efferre potuit, vt Deos optimos imitarentur: quos inter (vt ad te veniam præstantissime iuuenis) tu quidem raro, nescio quo, virtutum igne splendere, atque ea præcipue teneri pietate videris, quæ & per sese, & per alios prodesse studet, & vult. nam vt priuata taceam beneficia, quæ innumera in dies confers, tot quidem publica, ac tanta obis non pro patria solum Roma, non pro Italia solum, sed pro tota Europa, pro vniuerso Christiano nomine, vt non solum te admiremur omnes, ac suspiciamus, sed in tanto Christianarum rerum discrimine à Deo maximo electum existimemus, cum quo sanctissimus Auus tuus Paulus III. Pont. Max. curas omnes, actionesq; partiretur iam tum te ab adolescentia eum auspicatus futurum, in quo onus tandem recumberet tantæ molis. Qua in re & illud quoque magnopere admirandum est, quod moles ea quum tam grauis, tam varia sit, tu tamen literarum haud immemor non minori cura atque opera studes, vt & hac quoque in parte nec tibi, nec alijs desis. D
Nam quum magna quadam atque excellenti natura æque & ad actiones, & ad studia literarum sis natus, facis profecto, vt & de te multa aliquando speranda sint, & vt interea, quod tu per ætatem, ac maxima necessariaque negocia præstare non potes, alij certe præstẽt, quos tu ita beneuolentia, ita omni studio amplexaris, ita liberalitate patrocinio, ac fauore omni foues, atque excitas, vt non minus tibi debeant literarum studia, quàm Christiana libertas. Cui quidem rei et ipse testimonio esse possum, quem tu, quum nec vnquam vidisses, nihil à te poscentem beneficijs tamen non paucis ea vna de causa sis prosecutus, ac prosequaris in dies: cui ego beneficentiæ, & virtuti ita me addictum, ita deuinctum sensi, vt iam diu nihil animo æque fixum habuerim, quàm tibi tuæq; isti, qua teneris pietati, aliquid parerem, quod tuum tuiq; causa confectum dici posset, hoc enim vnum dabatur mihi, quo quàm gratus esset animus erga te meus, possem ostendere. Quam rem tametsi serius, quàm voluissem negocijs varijs impeditus, nunc demum tamen confeci, non quidem ea in re, quam magis desiderassem, quamq; existimassem tibi gratiorem futuram, sed ea tamen, quam, quòd vtilitatem non paruam (vt spero) allatura sit, haud ingratam tibi futurã existimem. Igitur (quod tuum dicas) pro eo ocio, quod mihi concessum fuit, de contagione & contagiosis morbis omnibus, & eorum curatione scribere mihi

visum

A visum est. magna quidem materia & admirationis non paruæ plena. cui & cõmentarium adieci non minus (ut arbitror) desideratum de consensu et dissensu rerum, quam Sympathiam & Antipathiam vocant, sine quo natura contagionum plane perquiri et monstrari posse non videbatur. Vtrunque autem negocium mihi eo libentius suscipiendum duxi, quòd quum hoc quidem scitu dignum sit, illud ad salutem mortalium non parum conducere videatur, tum de utroq; quàm paucissima quidem à maioribus nostris, quæ extent, quæque viderimus nos, literis mandata sunt. De sympathia quidem et Antipathia rerum Galenus iam sese non nulla scripsisse refert, verum ea scripta aut interiere, aut ætate nostra, quod nos sciamus, adhuc in lucem non peruenere. De cõtagione vero Hippocrates quidem circa populariter vagantes morbos non nulla tetigisse videtur, sed tamen qui obseruaret magis, quàm naturas eorum traderet. Galenus vero post ipsum plura quidem monstrauit, sed et ipse tamen, et sectator illius Paulus Aegineta, et Aëtius Amidenus, et alij veteres non pauca, ut mihi videtur, reliquere, quæ possent magnopere desiderari. Recentiores autem nihilo plus de contagione videntur dixisse, quàm quòd ab occulta quadam proprietate proueniat. Quæ autem in vniuersum natura contagionum sit, et quo principio afficiant, et quo pacto gignantur, et cur aliæ fomitem relinquant, aliæ ad distans sese etiam propagent: et morborum cur alij contagiosi sint, leniores, mitioresq; existentes, alij minime contagiosi, acerbiores, ardentioresq; multo quũ

B sint: et quo à venenis contagio differat, et eiusmodi alia multa nulli dicere tentauere, satis quidem fecisse rati, si horum omnium causas in occultas illas (ita ipsi vocant) proprietates reduxissent, quibus acquiescendum non modo sibi sunt arbitrati, sed et alijs præcepere. atq; his contenti in quamplurimis philosophati sunt, quod certe philosopho homine semper indignum existimaui. Causarum enim quum quædam vniuersalissimæ sint & remotissimæ à rebus, quædam uero propinquiores et particulares magis, ac demum quædam propinquissimæ, et propriæ, proprias quidem et propinquissimas in reconditis, et difficilibus attigisse aut Dei certe est, aut diuini. Vniuersalissimis vero stare ignaui et rustici ingenij est, medias vero inquirere, et ad proprias niti (quantum homini datur) philosophi certe est. Admiraberis autem fortasse duas me hasce materias sumpsisse scribendas, quarum alteram maiores nostri penè intactam reliquerunt, alteram omnes fateantur ab homine sciri non posse. Verũ enimuero, quòd tum Sympathiæ rerum, tum et natura contagionũ in difficili atq; arduo positæ sint, et nos quidem concedimus: quin et ineptũ quoq; aut arrogãtem magis eum fore dicimus, qui propinquissimas et proprias earũ causas præsumat inquirere: verũ tamen idẽ ille si medias peruestiget, multa illum inuenturũ non diffido, quæ tũ delectare, tum et magnopere prodesse possint, quod institutũ et mihi ipse in hac nostra peruestigatione proposui. Præteritã uero fuisse à maioribus nostris conta

gionum materiam, neminem mirari velim, quando id accidat disciplinis omnibus, vt non omnia ab ijs, qui eas condunt, absolui possint, quoniam vniuersalia magis & rerum principia prosequantur. ita in ea, quæ de natura est, philosophia innumera quidem partim intacta, partim non plane discussa relicta sunt. nam neq; quomodo intellectio in nobis fiat, hactenus traditum fuisse video, neque earum qualitatum, quas spirituales vocant, naturam satis demonstratam, & alia multa. quod & in re medica consimiliter quoq; contingit, in qua plurima adhuc supersunt, quæ posteris & nepotibus inquirenda patres nostri reliquerint, nos porrò nepotibus nostris relinquemus. multa præterea intereunt eorum, quæ scripta iam fuere, multa uiuunt quidem, sed non apud omnes, ita se habet mortalium rerum conditio & vicissitudo. Necessaria autem nec' ne sit contagionum inquisitio, quam nos in præsenti aggredimur, si Dij annuerint, vnusquisq; videre poterit, qui ea legerit, quæ scribemus. Tu vero qualiacunque hæc fuerint, quæ pro vetere instituto sacramus principi viro, tibi autem, quòd tua iam sint, & tui gratia enata, libenti animo accipies, tum & authoritate, quæ tibi est tanta, proteges, vt nemo calumnijs insectari audeat, quæ tibi accepta fuerint, & sub tuo auspicio emissa. C



HIERONYMI FRACASTORII
DE SYMPATHIA ET ANTIPATHIA
LIBER I.

CAPVT PRIMVM.



RIMVM autem de latenti rerum consensu & dissensu, quam Sympathiam & Antipathiam dicũt, agamus, quo nihil admirabilius est in tota natura, nihil scitu desideratum magis. Gallinaceus pullus vix natus equum Elephantemq; nihil reformidat, Miluum vel longe cõspectum adeo expauescit, vt ad matrem statim cõfugiat. eadem agno, & lupo, & alijs multis inimicitia est. Marsi & Psili serpentes illęsi tranctant. Thessalos, & quasdam familias in Creta legimus laudando afficere fascino consueuisse, intuendo vero Infantes in tabem vertere. Fulmen aurum colliquat intacto loculo, tum vina absumit vase nec quicq̃ lęso. Adamantẽ ferunt solo Hircino sanguine mollescere, mala medica insperso in eorum cumulum pane flaccescere. Vni B sono in cythara tacto moueri & aliud vnisonum videmus, quod ne prope etiam sit. concusso vero tympano è corio lupi confecto, dicuntur ea dissolui tympana, quæ ex agnino corio sint conflata. Herculeus lapis ferrum ad sese trahit, Adamas & Electrũ pilos & surculos. Quid vero æque mirandum est, quàm ignotum illud antiquis miraculum nauigatorię pyxidis, cuius extremum perpẽdiculum temperati magnete ferri, in incredibili distantia ad eas semper partes se se conuertat, quę ad Polos spectãt? Quid ꝙ Leo animalium omnium terror gallinaceo tamẽ gallo terretur, præsertim cantum emittente? Taurum affirmant quamuis furentem alligatum ficu statim mansuescere. Brassicæ & rutæ tanta inimicitia est, vt iuxta seri nolint. Cucumis autem supposito oleo recuruari videtur. Aurum neque oleum, neque aquam imbibit, Argẽtum viuum statim, ac raptim quodammodo ebibit. Oleum aquæ non admiscetur, quã nec Adiãtum admittit, quanq̃ riuos & fontes amet. Calx vero, & spongiæ, & id genus, liquida omnia ita absorbent, vt mirari liceat, quum alioqui inter ipsa contrarietas nõ parua sit. Et illud quoque mirandum est, ꝙ oscitante alio & nos pariter, nisi aduerterimus, oscitamus, & alio edente acerba quædam, saliua alteri in os prosilit. Catablepha animal hominem ad mille passus conspectum interficit. in fœtus signa quędam eorum trãsire videntur,

dentur, quæ matres auidissime appetiuere. Octimestris partus non viuit, C quum tamen septimestris viuere conspiciatur. Porrò supra omnem credulitatem videtur esse Echeneis paruus pisciculus, Remorá appellamus, qui medio in mari nauem vi atq; impetu ventorum actam sistat, vt alij ferũt, aut saltem, vt alij, tardet. & infinita alia id genus, quæ incredibilis admirationis sunt plena, inter quæ & contagionum natura est.

De primo consensu rerum omnium. Cap. 2.

PRimus autem, communis rebus omnibus, & admirãdus est ipsius vniuersi consensus, in quo quæ sunt corpora, ita omnia inuicem cõnexa, ita hærentia esse volunt, vt nulla potentia sit, quæ eorum extrema, quibus sese mutuo tangunt, seiungere prorsus possit, atque ita separare, vt vacuus locus intercidat. Mira profecto res est hac de causa grauia sursum trahi, leuia deorsum, contraria, quæ sese pellere, atque etiam interimere solent, nolle tamen seiungi, tantus est consensus ille rerum omniũ in vniuerso. Cuius rei si quis forte finem requirat, & cuius gratia fiat, non difficile certe erit assignare rationem, quam & omnes assignant, ne detur vacuum: quippe vacuum in natura esse non potest, quoniam nihil natura sustinet, nihil admittit, quod frustra sit, quodque vniuersi ordinem & leges impediat: quæ quidem contingant, si vacuus sit vllus locus, D in eo enim, nec quicquam fieri poterit, nec quicquam recipi. At vero si quis non solo fine contentus sit, sed & agens quoque requirat, & quidnam illud sit, quod diuellenti resistat, & quomodo, non erit fortasse ita promptum reddere rationem tanti nexus: quãdo vniuersi partes neque eum finem agnoscunt, neque per naturam appetere possunt, aut contrarijs iũgi, si contraria sint, aut sursum duci, si grauia, aut deorsum, si leuia. Neq; enim dicendum (vt quidam aiunt) vniuersi partes, tametsi non eũ cognoscunt finem, dirigi tamen à cognoscente: quando hic non vniuersalem & primam causam quærimus, sed particularem & propriam: quale esse non potest eorum vllum, quæ immaterialia sunt, sic enim perijsset natura. Neque rursus dicendum, vt alij, qui materiam in causa ponũt, quæ per se semper continua sit, sine forma autem omnino esse non possit, vnde accidat vniuersum semper esse continuum, & plenum: materiæ enim neque actionem, neque resistentiam vllam iure possumus attribuere. Rectius igitur fortasse illud dicetur primum finem, quem omnia per naturam habent, esse, vt sint, ac conseruentur: conseruantur autem substantiæ & corpora principaliter ac maxime per mutuum nexum, & contactum extremorum: sic enim euitant vacuum, quo nihil esse potest

inimicum

A inimicum magis omni naturæ:atque hoc eſt,quod alij locari dicunt,locus enim fit vnum corpus alteri,vnde & recte aiunt locum eſſe locati cōſeruatiuum:quod profecto maxime fit,quum à vacuo pręſeruet.Non cognoſcunt igitur eum finem ſubſtantiæ,& corpora,quę in vniuerſo ſunt, per naturam tamen reſiſtunt,ne ſeparentur omnino. Non enim neceſſe eſt,quæ gratia alicuius agunt, finem etiam cognoſcere: ſed alia cognoſcunt quidem, alia per naturam agunt. In hoc autem ſimplici corporum nexu, & loco nihil alteri contrarium eſt, nulla verſatur inclinatio ſurſum,aut deorſum.Quòd ſi contraria ſunt aliqua inter ſe corpora, ſi certam habent inclinationem,habent quidem, non quatenus ſimpliciter corpora ſunt, ſed quatenus talia(puta)calida, & frigida,grauia,& leuia: quare & quatenus talia vim aliquam pati poſſunt, ſimpliciter autem non.Quacunque igitur intercidere vacuum poſſet, nexus & locus eſt neceſſarius ſubſtantijs omnibus: propter quod & omnia,quæ intra primum corpus ſunt, locum habent ſecundum extrema omnia, quoniam ſecundum omnia extrema vacuum intercidere poſſet. Primum autem corpus,quoniam per ſupremam, & extimam ſuperficiem vacuo non eſt obnoxium, nec alterius conſeruatione indiget,per internam ſolum ſuperficiem locatur.

B *De Sympathijs Elementorum ad loca propria.* *Cap.* 3.

IGitur quum omnia corpora finem eum habeant,vt conſeruētur,prima quidem rerum omniū conſeruatio eſt ſimplex illa locatio & nexus,quo præſeruantur à vacuo,vt dictum eſt:ſecunda autem,quæ priorē hanc præſupponit,eſt certa & determinata locatio & nexus, quem conſenſum habent in primis elemēta cum locis proprijs:neq;.n.quatenus talia ſunt calida,frigida,grauia, & leuia,vbiq; cōuenientem locum habēt, ſed certas ſedes expoſcūt, & certos quorūdam corporū nexus.Atq; igni quidem qui pro natura debetur locus,eſt totum illud,quod interiacet inter concauum orbis Lunæ,& deuexam aeris ſuperficiem,vbi conuenientiſsime collocatur,quoniam cum altero extremo illi orbi iungitur,à quo ꝗ optime per lumen conſeruatur,cum altero vero aeri, cui per caliditatē reſpondet:reſpondere aūt per vtranq; qualitatem nō datur,quoniam ſic ignis iam aer eſſet,quare per alteram ſi reſpondeat,ſat naturæ datum eſt. Aeris vero ſitus inter ignem & aquam ꝗ aptiſsimus eſt, cum hac.n.humiditate,cum illo caliditate concordat.Porrò aquæ ſedes inter aerem & terram eſt,cum altero enim humiditate,cum altero frigiditate cōſentit. Terra vero circa centrum in aquæ concauo locum habet,cui frigiditate reſpondet.

respondet. In his igitur locis omnem habent elementa conseruationem, C
quam habere natura posśint. nam & simplicem illum nexum & locũ ha
bent, quo præseruantur à vacuo, tum vero & proprium, vbi propria eorũ
natura maxime bene habet: in reliquis autem locis priorem quidem, &
communem nacta sunt conseruationem, propriam autem non, propter
quod prouidit natura illis, vt per media contraria viam sibi aperiant ad
propria loca. Habet autem dubitationem quandam, quod diximus loca
propria elementorum esse nexum certorum corporum, quibus consen-
tiant qualitatibus, quoniam quærentibus elementis loca sua, indiuisibile
quiddam videtur esse, quod vocant vbi, ad quod per se feruntur tum to-
ta ipsa, tum eorum partes, ac centrum sui faciunt. cuius signum illud
est, quòd si loco aquæ poneretur aer, terra nihilominus ad centrum fer-
retur: & si loco aeris poneretur aqua, ignis quidem moueretur ad locũ,
quo & nunc mouetur: quare accidere quodammodo Elementis videtur
moueri ad superficies aliorum. Dicendum duas elementa habere ratio-
nes, alteram, quatenus vna quædam natura est vnumquodq; illorum, al-
teram, quatenus partes sunt vniuersi & naturæ totius. ac certe quatenus
vna quędam natura sunt, sic profecto certum vbi, certumque locum ha
bent vnumquodq; illorum, ad quod per se feruntur: ac ignis quidem lo-
cus est linea media inter concauum orbis Lunæ, & deuexam aeris super
ficiem, ad quam & ignis totus & pars eius quælibet per se mouetur, & D
centrum faciũt. Aeris vero locus est linea media inter ignem & aquam.
Aquæ vero locus linea media inter aerem & terram. Porrò terrę locus
est centrũ. at quatenus partes totius naturæ sunt elementa, & veluti mẽ-
bra vniuersi, loca quidem eorũ sunt ea, quæ dicta sunt: sicut enim in ani-
mali partes inter se consensum & relationem non paruam habent, & in
eo certos exposcunt situs, ita et in vniuerso, quod perinde, ac animal quod-
dam, est, partes eius situs inuicem consentientes expostulãt, alioquin vni
uersum ipsum debite constitutũ non erit. Non accidunt autem loca hęc
elementorum, vt partes sunt totius naturæ, lineis illis medijs, ad quas mo
uentur, vt naturæ quædam per se, immo causæ & fines illarum sunt, si
enim quærat quis, cur ignis ad lineam inter Lunam & aerem mediã mo
ueatur, respondere licet iccirco esse, quòd eo pacto recte collocantur ele-
menta in vniuerso, & natura tota suos consensus habet, nec ignis ipse be
ne haberet, nisi in ea linea facto totius centro, hinc quidem Lunæ conca
uum, inde aeris deuexum tangeret. atque itidem de alijs quoq; dicatur.
neque alia quidem est in locis elementorum vis conseruatrix, vt multi
putant, quàm hæc, quæ dicta est.

De

A De consensu partium in toto. Cap. 4.

Est autem & alius in elementis consensus partium, quatenus in toto sunt: Cōstat enim, si vi rarefactæ illæ sint, sese condensare, si condē satæ, rarefacere, quousq; veniant ad eum situm, qui toti pro natura debe tur. qui quidem consensus non minus prædictis est admirandus, tum ꝙ mirum est partium alias descendere in eo toto, alias ascēdere, alias in latus ferri, tum ꝙ ex causa hac maximi quidem & plurimum admirandi effectus proueniunt. nam & soni primum per hunc modum audiuntur, tum & primæ animalium motiones contingunt, & proiecta in aere con tinuum motum habent, & quo nihil admirabilius vidit tēpestas nostra, Tormenta quoq; illa, per quæ mœnia & vrbes tāto impetu demolimur, per hoc principium dant eam stragem. Soni quidem, nisi addensetur aer, non sentiuntur, quoniam qualitates, quę sensus mouent, omnes quidem subiectum, in quo per se sunt, densum amant, medium vero, per quod fe runtur earum species, non omnes densum volūt, sed quædam rarum exposcunt, quædam densius: lux igitur in subiecto raro non videtur, in dē siori videtur, medium vero, per quod species illius trāsit, rarum esse opor tet. Quędam vero tam subiectum, in quo sunt, q̃ medium, per quod defe runtur species, densius poscunt, vt sonus, qui si aut subiectum aut mediū B rarius habeat, sensum nō mouet. Qualitas ergo illa, quæ sonus dicitur, in materia densa per se est, vt in ligno & alijs, sicuti & lux, & odor, & sapor, at species, eius si mouere sensum debet, medium poscit continenter den sum: dico autem densum non per admistionem terræ, sed vi addensatū, quod in aere accidit facto ictu. Inde enim facta prius distractione & rarefactione, tum subita fit addensatio partis post partem, more vndarum, vnde circulationes conflantur, quod non aliud est, q̃ successiua quædam aeris addensatio in orbem facta, per quā delata species à primo profecta sensum dimouere potest. Fit autem successiua illa addēsatio in aere prio ribus quidem partibus subito ac vi densatis, subito etiā sese rarefacientibus, ac alias successiue densantibus: qui motus est partium in toto per cō sensum factus. Proiecta quoq; per eandem rarefactionem & cōdensationem portantur per aerem, partibus quidem, quæ ante sunt, viam quodāmodo aperientibus, & propellentibus vndationē, ijs vero, quæ circa & à tergo, successiue addensatis, & rarefactis vna post aliam, & proiectum ve hentibus nō aliter, ac per vndam, celeriter autem & impetu multo, quo niam nihil celerius est rarefactione, quæ partium in toto fit. A principio autem segnior est motus propter resistentiam totius aeris nōdum positi in motu, mox factis circulationibus multis, & potente iam aere sese ex-

pandere, velocitas lōge maior augetur, donec summa fiat: ad quam quū peruētum est, lentescit sensim deinde motus, aere, qui ante est, plurimū rarefacto, ac iam condensatione continenter magis & magis desinente, minorata obsistentia: atque hoc pacto tandem laxatio & solutio circulationum fit: vndē & vectio demum cessat. In bellicis autem tormētis tantus impetus accidit igne multo repente genito è fomite, qui vi conclusus rarefactionem sibi propriam quærit. Si igitur obsistens potentius ipsum sit, q̃ ignis, extingui ignem accidit, aut etiam generari nō posse, sin contra ignis post luctamen multum potentior ipse sit, tum subita, atq; ea q̄dem ingenti rarefactione facta, aut vas rumpit, aut obiectam pilam impetu magno extrudit, quæ mox per aerem eodē modo portatur, quo & sagittæ, & proiecta reliqua: quæ omnia per consensum partium in toto fiunt: nihil autem contra naturam patiuntur partes, quum sese aut condēsant, aut rarefaciunt, quanquam, aliæ ascendant aliæ descendant, quoniā sursum aut deorsum inclinare non inest partibus, quatenus in toto sunt, aut mouentur, sed illi solum, quod totius rationem habet, & per se est, atque extra moueri vult: sic enim aut sursum inclinat, aut deorsum. De motione autem animalium, quomodo & ipsa per hoc principiū fiat, paulo post inquiremus. C

De attractione, et motu similium ad similia. *Cap. 5.* D

VIdetur autem & alia quædam plurimum admiranda, quæ inter affinia & similia versatur, Sympathia: Cōstat enim vnum ad aliud moueri, donec & in vnum coeant, quod & in elementis, & alijs manifestum est, in aere quidem inter bullas illas, quæ in aqua fiunt, videmus.n. vnam ad aliam appellere, & eo velocius, quo proximiores fiunt. Similiter autem & in igne sæpius est videre paruam flammam à maiori velocissime trahi. In aqua autem, & terra non ita promptum est, propter eorum corporum incommoditatem. In mistis vero multis manifestissime cernitur, vt Magnete, Electro, Adamāte, & alijs pluribus, præcipue autem in animalibus, & plantis. De quibus omnibus nunc in vniuersum quæremus, quomodo is motus fiat, mox de mistis non nulla seorsum dicemus. Sunt ergo, qui putent simile moueri ad simile propter ipsam similitudinem, qua sese mutuo conseruant: nam qua causa elementa mouentur ad loca propria, eadem & separata pars ad suam consimilem mouere videtur: mouentur autem Elementa ad loca propria, vt locentur illic, vniantur q; simili, à quo conseruantur, cur ergo & pars ad partem non moueatur, vt illi vniatur, ac cōseruetur, quum maior multo, & intrinseca magis sit earum similitudo, q̃ elementi ad locum proprium? Sed certe hoc,

tametsi

A tametſi apparentiam quandam habeat,non tamen(vt arbitror)recte di-
citur,pars enim ſeparata,neq; per cognitionem,neq; per naturam moue
ri ad conſimilem poteſt,ac non cognoſcere quidem manifeſtum eſt, per
naturam autem non moueri & ſigna ſunt,& cauſæ,ac ratio,quæ conuin
cant.Primum.n.videmus ſimilia hæc moueri non in omni diſtantia po
ſita,ſed certam requirere,atq; eam quidem valde paruam in multis:opor
teret autem in omni diſtantia moueri,ſi per naturam, & ſimilitudinem
agerentur:ſimilia.n.vbiq; ſimilia ſunt,& eandem naturam habent,quē-
admodum elementa ad ſua ſe loca ferunt,vbicunq; poſita ſint. Præterea
& quanto maior eſt moles eius ſimilis,quod ad aliud mouetur,tanto dif
ficilius duci conſtat,ac ne poſſe etiam moueri,ſi maior accreuerit quanti
tas,quod contra fieri accideret,ſi per naturam ſeſe ipſa mouerent:quan-
to.n.maior eſt in ijs quantitas,tāto facilius fit motus,ꝙ plus adſit eius na
turæ, & virtutis,quæ mouet.Indicāt hæc non per naturam applicationē
ſimilium fieri,ſed intercidere vim:quod & ratio quoque commōſtrat.
Quærimus.n.nūquid per præſentiam vnius ſimilis, vt Magnetis, natura
& forma alterius,vt ferri,mutetur ab eo,quod per ſe eſt,an non:ac muta
ri quidem non videtur,niſi corrumpatur,non corrumpitur autem . Si er
go eadem remanet,quæ prius non præſente magnete, idem profecto fa-
ciet,quod prius,& eandem inclinationē habebit:at prius inclinabat deor
B ſum,ergo & nunc quoq; ad idem inclinabit.quare ſi ſurſum ducatur ; cō
tra ferri naturam fiet,& vim patietur. Qua de cauſa nō recte dicunt ſimi
lia per naturam ad ſimilia moueri:nec par eſt,ſi elementa per naturam fe
runtur ad propria loca , vt & ſeparata pars ad conſimilem per ſe moueri
debeat:quoniam ſeparata pars iam facta eſt totum quoddam,quod per ſe
propriam naturam habet ſurſum,vel deorſum inclinantem , quæ donec
manet,ſemper illuc inclinat . Alij dicunt alterari ferrum à magnetis ſpe-
cie,& ita alteratum per ſe moueri ad ipſam.Sed certe & hoc nihil eſt , &
eadem quæſtio redit : nam per ſpeciem illam magnetis,vel corrumpitur
forma & natura ferri,vel remanet:ſi remanet & eadem eſt,cur non ean-
dem habeat inclinationem ?

Quid igitur defecit ne natura in hoc, vt ſi ſimilia mutuo conſeruan-
tur,modum non dederit, quo vnum ad aliud moueri poſſit? Nō defecit
quidē natura,ac modū dedit, quo ſimul coniungi poſſent,verū non eū,
quo elementa mouentur ad loca propria,ſed alium,qui quodāmodo na
turalis eſt,quodāmodo violentus,de quo iam ſequitur,vt dicamus. Qm̄
igitur nulla actio fieri poteſt niſi per contactum(vt in naturalibus demō
ſtratur) ſimilia autem hæc non ſeſe tangunt , nec per naturam mouen-
tur vnum ad aliud , neceſſe eſt,ſi applicari inuicem debent , demitti ali-

quid ab vno ad aliud, quod proxime tangat, & eius applicationis princi- C
pium ſit: hoc autem aut corpus erit, aut forma aliqua ſimplex materialis, vel ſpiritualis. Antiqui quidem, vt Democritus & Epicurus, quos è noſtris Lucretius ſecutus eſt, effluxiones corporum, quas Athomos appellabant, principium eius attractionis ponebant: quæ quidem effluxiones ne negandæ quidem ſunt (vt mox oſtendemus) modus autem, quem ipſi tradebant, ſat rudis & ineptus erat: quem quoniã tum Alexander Aphrodiſienſis, tum & Galenus ſatis aperte reprobant, à nobis prætermittetur. Verũtamen receptis Athomorum effluxionibus nos modum alium tradere poſſe videmur, quo attractio ſimilium fiat: meminiſſe autem oportet eorum, quæ ſupra dicta ſunt de cõſenſu & motu partium in toto. Suppoſito igitur, ꝙ à rebus effluant inſenſibilia corpora, dicimus ab vno ad aliud ſimilium reciproce tranſmitti ea corpuſcula, è quibus totum quoddam fit atq; vnum, verũ difforme in partibus, neq; enim, quę iuxta a ſunt & iuxta b, eam habent rationem ſitus, & raritatis, ac denſitatis, quam habent, quæ in medio ſunt: qua de cauſa partes in toto illo non debite ſe habent. Sicut igitur ſupra diximus in elementis partes conſenſum habere maximum, & in toto moueri, quum debitum non habent ſitum, & modo conſtringi, modo laxari, ita & hic in ea athomorum nube ſe habere dicimus, vt partes in eo toto nunq̃ debite collocentur, & pro natura conſiſtant, donec in vnum non coeant: motis ergo particulis illis & ſubiecta D
ſimul, in quibus ſunt, moueri accidit, & ſimul coire. Atq; hoc quidẽ modo ſi quis dixerit attractionem ſimilium fieri, nullũ (vt arbitror) aſtruet inconueniens, cauſam referens ad motum partium in toto: cuius rei & illud eſſe ſignum poteſt, ꝙ confricata quædam vt Succinum, & Adamas fortius ſurculos trahunt. Quòd ſi cauſa hæc in oĩbus aſsignari in vniuerſum poſſet, non alia profecto quærenda à nobis (vt mihi videtur) foret, ſed certe cauſa hæc non omnibus eſſe cõis poteſt (vt mox dicemus.) Quapropter aliud fortaſſe principium inquirendum videtur, q̃ athomorum, quod cõmune omnibus eſſe queat: atq; hoc quidem, ſi non eſt corpus, quod ab vno ad aliud tranſmittatur, neceſſario erit forma ſimplex, & aut qualitas, aut ſubſtãtia: at certe qualitas nulla earum eſſe poteſt, quę materiales vocantur, non caliditas, non frigiditas, nõ alia (vt manifeſtum eſt.) quare ſi qualitas vlla eſt, erit vtiq; earum aliqua, quæ ſpirituales vocãtur, quod & multi exiſtimãt. Sed habet dubitationem non paruam, quomodo ſpirituale illud eſſe principium poſsit illius motus: nam ꝙ ipſum alteret ſimile vt ferrum, quod alteratũ ſeſe mox moueat ad magnetem, ſupra ſatis improbatum fuit, ꝙ vero ſpirituale ipſum ſit illud: quod per ſe mouet, nõ ſatis rationabile videtur, quoniam nihil per ſe moueri poteſt,

A quod non ſit aut corpus, aut ſaltem natura & ſubſtãtia in corpore. Porrò nec videtur, quomodo ſpiritualia hæc mouere poſsint, præſertim trahere, quoniã productio eorum non cum motu locali, ſed per quandã magis generationem partis poſt partem momento factam. Si igitur ſpirituales vocatæ ſpecies omnes qualitates quædã ſunt, dicere fortaſſe nullo pacto poſſumus per ipſas eiuſmodi attractiones fieri: ſi vero aliquę illarum ſubſtantiæ ſint, nihil (vt opinor) prohibet ad eas rationem omnẽ tam miri effectus referri, qui inquiratur à nobis. Recipiendum aũt eſt (vt multis placet) ſpirituales ſpecies eiuſdem rationis eſſe cum formis illis, quarum ſunt ſpecies, nec differre ab ijs niſi modo ſubſiſtendi: eatenus .n. materiales ſunt, & dicuntur, quatenus craſſa quadam exiſtentia in materia ſunt, & certos terminos poſcunt. Ingenitum autem eſt formis omnibus ſeſe (quo magis poſſunt) propagare, quod quidem faciunt craſſæ illæ formę, quæ materiales vocantur, verum propagare ſeſe per eum modum, & exiſtentiã, qua ipſæ ſunt, non vtiq; poſſunt, ſed tenuem, & ſuperficialẽ ſui vel partem, vel gradum producunt, quem Epipolim vocãt, qui ob tenuitatem ſui & contrarium non habet, & momento gignitur, ac propagatur, ceu ſoboles quædam. Hæ igitur tenues & ſuperficiales formæ aptæ imprimis ſunt id, quod ſunt, repreſentare vſq; ad craſſas illas, à quibus ꝓductæ ſunt, propter quod ſimulachra earum & ſpecies ſunt appellatæ: ꝓ
B pter tenuitatem autem, & ꝙ momento gignuntur, ſpirituales dici cõſueuere, eiuſdem tamen rationis cum ijs, quæ & craſſæ & materialis dicuntur. Si igitur qualitates primæ, ſubſtantiæ ſunt elementorum, vt multi Ariſtoteli attribuunt, aut etiam ſi ſubſtantiæ non ſint, ſed tamen, quantum de ijs inducitur, tantundem & de ſubſtantia ſubgeneratur, vt Auerroi Placet, aut vniuerſaliter ſi ſubſtãtiæ ſpecies ſpirituales habent & ipſæ, viã fortaſſe habere poſſumus ad oſtendendum, quo pacto ſimilium contractio & vnio à ſubſtantia fiat per ſpiritualem ſpeciem. Quippe de lato ſpirituali ab a ad b, & reciproce à b ad a, quod eiuſdem rationis ſit cum a, & b, & ſubſtantia, quemadmodum ipſa, totũ quoddam fit ex a, & b, & ſpirituali illo, in quo toto partes non plane debitum eſſe, & ſitum habent, niſi inuicem ita aſtringantur, vt ſimul & a, & b coeant: ſic .n. totum illud bene habet, & ſecundum naturã coexiſtit, non ſecus ac ſi aer aliquis valde diſtractus ad ſeſe redeat, & partes, quæ longius aberant in vnum cogat & vniat, qui motus tandem eſt partiũ in toto ſeſe ad ſuum ſitum mouentium à forma factus, quæ natura & ſubſtantia eſt. Eſt ergo partim quidem naturalis (quoniã motus omnis partium in toto à natura fit) & à forma illa, quæ in eo toto natura eſt, partim vero & violentus eſt, ſi ferro cõparetur & extremis ipſis, quæ per ſe & vt grauia

inclina-

inclinationem deorſum habent,quod & aeri etiam rarefacto & diſtra- C
cto accidit,altero extremo, quod ſurſum eſt,deſcendēte per motum par
tium in toto:quod non inconuenit parti,dum pars eſt , vt in toto certo
modo moueatur,quo nō moueretur,ſi per ſe eſſet,& vt totū. Qua de cau
ſa partim violentus eſt motus ille extremis partibus , quoniam naturam
propriam ſeruant,qua vel graues,vel leues ſunt:partim autem eſt natura
lis,quoniam in toto mouentur & non per ſe. Ad quæ ſi quis reſpiciat,nō
alienum fortaſſe & veluti paradoxum quoddam exiſtimabit,quod Ale-
xander dixit attractionem omnē à calore eſſe:ſi enim qualitates primæ,
ſubſtantiæ ſint elementorum,producant autem ſpecies ſpirituales eiuſ-
dem rationis,quæ longe productę ad ſua ſimilia per dictum modum poſ
ſint applicationem eorum facere:calori quidem maxime & præcipue de
bebitur ea facultas : latet autem nos caliditas illa , quoniam ſpiritua-
les ſpecies ſenſibilem actionem non habent in alterando , quanquam in
mouendo vim non exiguam prodant. Atque hæc quidem ſunt,quæ pro
babiliter de tanto problemate nobis dicenda viſa ſunt,ad quæ credenda
& ea nos induxerunt,quæ Galenus,& alij dicunt , quum eiuſmodi effe-
ctus à tota interdum rerum ſubſtantia fieri dicunt,interdum à ſimilitu-
dine:quæ apud me non aliter intelligi poſſe videtur,niſi per dictum mo-
dum:per ſimilitudinem enim à Galeno intelligi ſimplicem relationem,
aut relationis fundamentum ego nūquam exiſtimare potui , quum hęc D
per ſe principium motus illius eſſe non poſſint,neq; enim relatio , neq;
fundamentum non tangens mouere valent : ſed per ſimilitudinem ego
arbitror ſpeciem ſpiritualem accipiendam eſſe,quæ tangit per totam au
tem naturam audienda eſt forma,quæ ſui ſpeciem propagans,& ad con
ſimile copulans mouere poſſit; vtrum autem mouere per dictum mo-
dū,qui ſit motus partium in toto,Galenus exiſtimauerit , an per alium,
incertum eſt mihi. Sicut autem inter ſimilia mutua verſatur attractio ,
ita & inter diſsimilia,& contraria verſari propulſationem quandam mu
tuam cōſentaneum eſt credere:quod quoniam in miſtis manifeſtum eſt
magis,infra certius oſtendetur:nunc ad reliquos elementorum conſen-
ſus,& diſſenſus pertranſeamus.

De conſenſu et diſſenſu elementorum circa qualitates contrarias. Cap. 6.

EST autem & alia magnopere admiranda elementorum Sympathia
& Antipathia circa eas qualitates,quæ contrariæ inter ſe ſunt,vt ca
liditas,frigiditas,humiditas,& ſiccitas:nam has quidem contrarias eſſe,

&

A & ſeſe mutuò deſtruere, atque interimere manifeſtum eſt: at vero quis non miretur, quum nihilominus videamus certos vnius contrarij gradus ſtare, ac quodammodo congaudere cum certis alterius, quoſdam vero cũ quibuſdã non poſſe conſiſtere? quaſi caliditas ſpecie tota, & natura contraria non ſit frigiditati, ſed certis gradibus ſolum: quod, quomodo ſe habeat, inquirendum. Quoniam igitur gradus certos, & quandam intenſionem habent hæ qualitates, quos gradus philoſophi vſq; ad octo per quandam eſtimationem producunt doctrinæ gratia, manifeſtum, quod ſummus ille gradus, qui vt octo dicitur, cum nullo gradu ſui cõtrarij ſtare & conuenire poteſt, ſed omnibus aduerſatur: at vero ille, qui vt ſeptẽ eſt, eam non habet contrarietatem, vt omnibus aduerſetur, ſed ijs ſolum repugnat, qui ſupra vnum ſunt, cum vno autem & ſtat, concordat: qui vero vt ſex dicitur, cum duobus conſentit, reliquis contrariatur, qui ſupra duos ſunt, quinque vero cum tribus concordat, ijs diſſentit, qui ſupra ſunt: quatuor porrò cum quatuor conuenit, reliquos, qui ſupra ſunt non admittit: quare contrariæ quidem ſunt qualitates, ſed non ita, vt quilibet gradus cuilibet aduerſetur, ſed certi certis tantũmodo: quod. Natura quidem ita cõſtituit, vt miſta fieri & conflari poſſent. Fortaſſe autem nec fieri poteſt, vt gradus vnus aut plures vnius cõtrarij inducti in aliud tolli amplius ab eodem, & deſtrui poſsint, vt ſi a calidum, in b frigidũ,

B gradum vnum caliditatis induxit, fieri non poteſt vt b gradum illũ rurſus deſtruat, & à ſe repellat, ne cum ſeptem ſuæ frigiditatis conſiſtat, quoniam nihil in ſeipſum agit, neque ſimpliciter, neq; quatenus frigidum in ſe quatenus calidum per vnum gradum. Si enim ageret, ageret quidẽ inducendo frigiditatem aliquam: aut ergo inducet, quam habet iam, aut quam non habet: at ea, quam habet, produci quidem non poteſt, vtpote quæ iam habetur, minus vero ea, quam nõ habet, & iam amiſit, quoniam per illã actu non eſt, nec eſt à quo fiat: relinquitur igitur vt gradus ille vnus caliditatis in b, cum ſeptem frigiditatis ſtet, & conueniat: ſimiliter & de alijs dicatur. Sed habet difficultatem quomodo primus ille gradus ab a producatur in b, & poſt ipſum alij, & quomodo cum actione ſimul & reactio fieri poſsit. Tangentibus enim ſeſe a & b, ſi quidem potẽtius eſt a, quomodo patitur? ſi vero impotentius, quomodo agit? ſi æque potens quomodo aut actio, aut paſsio fit? quid igitur quiſque hac in re dicat, noſtrum inſtitutum non eſt nunc recenſere, quid autem rationabiliter exiſtimemus nos, in medium breui afferemus, quædam declarationis gratia præmittentes. Primum quidem quòd in actione contrariorum conſideranda eſt potentia, per quam fit actio, qualis ſit, & quanta, deinde illud, quod inducitur, ac demum in quod proprie agunt: ac

potentia

potentia quidem ſemper menſuratur per gradus illos,ſecũdum quos eſt C
contrarietas,quoniam enim graduum quidam quibuſdam cõtrarij ſunt,
quibuſdam non,vniuerſaliter nulla actio fit inter eos,qui contrarij non
ſunt,nec ab ijs potentia reſultat,ſed ab ijs ſolum qui cõtrarij interſe ſunt.
Illud vero,quod inducitur,ſemper eſt remiſsiſsimus gradus, ĩcipiẽdo ab
vno,vel forte à medio,aut minori,aſcendendo verſus ſummum.Contra
vero illud,in quod fit actio,ſemper eſt intenſior gradus , deſcendendo à
ſummo ad minimũ.Ex his fit,vt tangentibus ſe a & b,ſiue æqualia ſint,
ſiue alterum potentius,ſemper alterum in alterum reciproce neceſſario
agant:& ſi enim b ſimpliciter impotentius ſit,frigefaciet tamen a,& ne
ceſſario gradum vnum primo inducet,mox & duos , & ita alios conſe-
quenter:quoniam id,in quod proprie agit,eſt gradus ſummus,vt octo ip
ſius a calidi,ad quem b cõtrarietatem habet per omnes ſui gradus. aget
igitur per potentiam reſultantem ex omnibus gradibus,quod autem in-
ducit,eſt gradus vt vnum frigiditatis,ad quem a contrarietatem non ha
bet,niſi per gradum vnum,qui eſt vt octo,per ſeptem enim non contra-
riatur, ſiquidem vnus frigiditatis gradus cum ſeptem caliditatis ſtat , &
contrarietatem non habet.Potentia igitur , per quam a agere poteſt in
gradum illum vt vnum frigiditatis , qui inducitur,non reſultat ex omni
bus,ſed ex vno ſolum,quare reſiſtat, a per ſolum gradum vnum . quum
ergo b per omnes ſuos gradus agat,a autem per vnum tantum reſiſtat D
gradui vni, qui ĩducitur,fiet quidem,vt neceſſario primus ille gradus in
ducatur,nec obſtabit pars non paſſa,quoniam & ipſa per gradum vnum
ſolum aget,per ſeptem enim non contrariatur:at vero & ſecundus pari-
ter inducetur eadem ratione,ꝙ b aget in gradum vt ſeptem ipſius a,cui
per ſeptem ſui gradus contrariatur: a autem in gradum vt duo,qui à b
inducitur,non aget niſi per vnum gradum,hoc eſt per illum,qui eſt vt ſe
ptem,quoniã duo frigiditatis gradus cum ſex caliditatis ſtant,& cum ijs
contrarietatem non habent.Reſiſtet igitur a per vnum ſolum gradum ,
b autem per ſeptem aget, quare neceſſario & ſecundum producet gra-
dum,& conſimiliter tertium,& ita deinceps,quoniam ſemper maior eſt
potẽtia,per quam agit,q̃ ea, per quam reſiſtitur gradibus,qui introducũ
tur,quæ ſemper non niſi per vnum eſt,aut forte per minus,& minus in
infinitum.Idem dicatur & de a reſpectu b,nam quum a agat primo in
gradum ſummum b,cui cõtrariatur per omnes ſuos gradus, inducatq;
gradum vnum caliditatis , cui b non reſiſtit niſi per gradum vnum,
qui eſt vt octo, per ſeptem enim non contrariatnr,neceſſario quidem fit,
vt a primũ caliditatis gradum introducat in b,mox & ſecundũ, & alios
eadem ratione,quo pacto tandem fit,vt & actio fiat,& reactio inter con-

A traria, quod non sine fine quodam magno à natura institutum est, quò mista conflari posſint, alia quidem inanimata terræ metalla, lapides, & id genus, alia animata plantæ, & animalia, & ipse demum homo: de quorũ mistorum Sympathijs superest iam, vt dicamus.

De Sympathijs et Antipathijs mistorum, et attractione similium. Cap. 7.

HAbent ergo & mista ipsa Sympathias suas, & Antipathias, & quidem admirandas: atque in primis eas habent, quas habere elementa dictum est, imo insignius propter densitatẽ materiæ. Sicut enim ignis & aer elementa non lucent, non sonant, nec calefaciunt, nec odorẽ, aut saporem ædunt, nisi addensentur, ita nec alias virtutes ita exquisite ostendunt, vti quum per mistionem sunt condensata. Igitur & cõem vniuersi consensum loci & nexus in primis habent mista, tum vero & eum, qui est partium in toto. Constat.n. si vi fuerint addensata, sese rarefacere, si rarefacta, densare. At vero & ad loca elementorum in ijs prædominãtium mouentur, ac postremo similia quoq; & affinia ad sese trahunt, quod in quibusdam admirationem non paruam præbet, vt in Magnete, Electro, Adamante, & plantis, & animalibus: quanq̃ particulares quasdam dubitationes habeant consensus isti: nam si per similitudinem (vt supra diximus) fit hæc attractio, cur magnes non potius magnetem trahit, q̃ ferrũ, & ferrum cur non potius ad ferrum mouetur, q̃ ad magnetem? quę nam affinitas est pilorum, & surculorum cum Electro, & Adamante? præsertim ꝙ si cum Electro affines sunt, quomodo & cum Adamante affinitatem habebunt, qui disſimilis Electro est? At vero & illud dubium est, vtrum omnia sua similia trahant, vt lapis lapidem, & caro carnem, & reliqua, de quibus nihil constat: deinde & quæ nam sit illa similitudo, vtrũ specie, an genere, an in accidente aliquo sit. Sunt qui dicant similia esse oportere, sed non eadem, propinqua autem, ac propterea simile moueri ad aliud, à quo perficitur magis, quod supra satis est improbatum, si.n. natura graue est, donec natura illa remanet, semper deorsum inclinabit. Videtur igitur mihi similia esse oportere, & eadem specie, quæ sese mutuo trahunt: dico autem eadem specie aut actu, aut proprio subiecto: voco propriũ subiectum id, à quo emittitur spirituale illud, quod trahit, qđ sæpe in mistis latet propter mistionis difformitatẽ, per quam sæpe aliud actu sunt, aliud potentia. Pili igitur, & surculi ad Electrum fortasse, & ad Adamantẽ trahuntur, non qua pili sunt, sed qua aut aer in ipsis inclusus est, aut principium aliud, quod primo trahitur, et rationem analogiamq; habet cum eo, quod per se trahit, in quo & Adamas, & Electrum conue-


(B appears in the margin at "mus) fit hæc attractio")

niunt per principium vtriq; cõe. Quapropter & Magnes, & alia multa C
non trahunt fortasse per id, quod actu sunt, sed ꝑ latens aliud in ipsis principium, quod simile ferro est aut ipsi, aut principio in eo. Simile autẽ omne trahere suum simile, si analogum sit, & potentiam habeat, consentaneum est credere: qm̃ ita in elementis apparet, & eadem est omnium ratio et finis. Interdũ autem spirituale illud, quod trahendi principium est, validissimum est, interdum debile, sicuti & principium, & forma, à qua demittitur: propter quod alia similium valenter sese inuicem applicant, alia segniter & impotenter: per se autẽ debere se omnia ita habere nõ solum ratio est, quę omnibus est cõis, sed & experientia apparet. Nos enim præsentibus multis è nostris medicis experientiam multorum fecimus, perpendiculo bene & concinne aptato, quale est in nauigatoria pyxide, ac manifeste vidimus magnetẽ trahere magnetẽ, ferrum ferrũ, tum magnetem trahere ferrum, ferrum magnetem: porrò electrum parua electri frustula rapere, argentum attrahere argentum, &, quod valde mirati fuimus, magnetem vidimus argentum trahere: item Electrum non solum surculos & paleas mouere ad se, sed & argentum. Vidimus quoq; idem frustum magnetis per vnam faciem magnetem trahere nõ ferrum, per aliam ferrũ non magnetem, per aliam vtrunque: quod indiciũ est in vna parte plus esse magnetis, in alia plus ferri, in alia vtrunquẽ æqualiter, vnde fiat diuersitas illa tractionis. Quare nemini dubium esse debet similia D
omnia per se, se inuicem trahere, nisi per accidens impediantur.

Nunc & de motu illo quæramus, quo perpendiculum illud temperati magnete ferri ad eas partes conuertitur, quæ ad polos spectant: qui ad similium quoque attractionẽ reducendus videtur: quanq̃ sunt, qui non trahi vllo modo perpendiculũ illud putent, sed cœli vertigine omnia ꝑturbante sese ita constituere, vt quiescat magis, quo potest, talis autẽ est linea, quæ ad polos spectat. Alij existimant ferrum illud sese ad eas stellas conuertere, quæ in polis sunt, non aliter, q̃ herbæ quædam ad Solem, vt Heliotropion, Tragopogum, & Ornithogalum: quorum neutrum rationabiliter dicitur, perturbari enim à cœli vertigine omnia falsum est, quando illa huc non pertingit, & multa quiescere hic videntur: q; si causa illa ad perpendiculum faceret, vtiq; & sine temperamento Magnetis ad eum situm sese conuerteret. A stellis autem nulla attractio fieri potest, nisi quæ à calore per accidens fit, calefactis quibusdam, quæ mox per naturam sursum tolluntur, aut forte circumaguntur cum Sole, vaporibus, qui in vna parte facti sunt, & successiue de vna in aliam fiunt, recipientibus impetum successiuum, & in orbem, sicuti principium, à quo generantur, in orbem fertur: vnde accidit quosdam teneros flores & fo-

lia

A lia propter humiditatem circũuerti cum Sole: hæc autem ad perpendiculum in nauigatoria pyxide nullam habent attinentiam. Constat præterea perpẽdiculum illud declinare à linea, quæ ad polos spectat, in nostro quidem hemisperio, quod est à fortunatis insulis ad Catygaram, declinare dextrorsum per gradus Circiter nouem, in alio autem hemisperio vltra ĩsulas fortunatas declinare sinistrorsum, & modo plus, modo minus: obseruant enim, qui ad nouum orbem nauigant, quũ peruentum est ad meridianum, quod per Astores vocatas insulas transit, mutari perpendiculum: &, quum in nostro mari dextrorsum flectat à polo, illic sinistrorsum verti. Vt si polus arcticus sit b, perpẽdiculum in nostro mari, vbi c, in alio autem mari, vbi d, declinabit quidem in nostro mari à b polo per lineam c g, in alio per lineam d e. Nos igitur diligentius rem considerãtes dicimus causam, ꝙ perpendiculum illud ad polum vertatur, esse montes ferri, & magnetis, qui sub polo sunt, vt negotiatores affirmant, quorum species per incredibilem distantiam vsque ad maria nostra propagata ad perpendiculũ vsq;, vbi est magnes, consuetam attractionem facit: propter distantiam autem quum debilis sit, non moueret quidem magnetem, nisi esset in perpendiculo: quare & si non trahit vsq; ad principium, vnde effluxit, at mouet tamẽ, & propinquiorem facit, quo potest. Quòd si naues forte vllæ propinquiores sint il-



B lis montibus, ferrum omne earum euellitur, propter quod nauigijs incolæ vtuntur clauis ligneis astrictis. Propter situm igitur eorum montium declinat perpendiculũ in nostro mari dextrorsum, in alio sinistrorsum à polo. Polus b, montes magnetis, vbi e h, perpendiculum in nostro mari, vbi c, in alio, vbi g. In nostro igitur mari declinabit à polo per lineam c h, in alio per lineam g e. Attractio autem hæc ad Athomos & corpuscula reduci posse non videtur, quoniã corpus nullum in tanta distantia demitti potest, quod vnum continuum facere possit ab ijs montibus vsque ad nostra maria: speciem autem spiritualem nihil demitti prohibet: quod & in lumine manifestum est, cuius speciem à supremo orbe, & stellis huc vsq; demitti constat: qua de causa attractiones similium ad corpora vniuersaliter reduci posse supra non arbitrati sumus.



De Echeneide, quomodo firmare nauigia poßit. *Cap.* 8.

MAius miraculum præbet Echeneis piscis, si modo verũ est, quod fertur, aut firmare nauigia, aut tardare. Causa, si qua est, non

alia certe esse potest, q̃ partim attractio per species prędictas facta, partim vacuum: modus autẽ est duplex, vnus, vt piscis ille non causa sit eius retẽtionis, sed signum alterius, quod retinet, alius, vt etiam causa sit. Primùm igitur nihil prohibet saxa & scopulos, vbi Echeneides degunt, consimilẽ speciem vsq; ad nauigia mittere, qualẽ & montes magnetis ad ferrum in nauigijs fixum: sicut igitur, si ferrum fortiter & tenacissime nauigio infixum esset, ita vt nec extrahi posset, non attraheretur quidem nauigium ad montes illos, sed firmaretur tamen, ita & circa scopulos Echeneidum accidit transmissa ad naues specie, quæ vel ad clauos earum, vel ad aliud analoga sit, retineri ipsas: quare inuentus illic pisciculus ille signum dat subesse scopulos eos, qui firmare nauigiũ possint. Si vero non signũ est Echeneis, sed causa eius detentionis, oportet existimare ipsam primo arctissime affigi nauigio, vt euelli non inde posit, nisi vi multa, ab ipsa vero ad certos scopulos, & ab ijs ad ipsam mutuo demitti vel speciem, vel etiã corpuscula more torpedinis, quæ consuetam tentent attractionem similium: nec ipsa igitur nauis attrahi in fundum potest propter resistentiam sui, nec ab ipsa auelli Echeneis propter fortem affixionem ob vacuum, vnde fit vt firmetur tantum nauis, aut tardetur saltem: quo pacto fieri posset, vt ferri frustrum in aere pendere quidem, sed nec sursum nec deorsum moueri posset, quod quidem cõtingeret, si desuper magnes poneretur, qui tantum trahere sursum ferrum, quantũ ipsum deorsum inclinat, equali potẽtia posset: sic.n.in aere firmaretur ferrum: quum enim potentia, quæ deorsum mouet, certa sit, certa itẽ, quæ sursum trahit, fieri potest, vt modo altera potentior sit, modo vtraq; æqualis: æquales igitur si sint, pendere in aere ferrum necesse est. Nihil ergo prohibet & nauigium tantũ resistere, ne deorsum trahatur, quantum species ipsa in cõtrarium trahere nititur, quare firmari necesse est. nec plura quidem dici, aut inquiri debent de tam abdita re.

C

D

De Antipathia contrariorum, et quomodo se mutuo pellant. *Cap. 9.*

SIcut autem sese similia trahunt propter conseruationem, ita dissimilia & contraria propter eundem finem sese mutuo pellunt, & fugãt: quod in antiperistasi multorũ patet, in plantis autem & animalibus manifestissimum est, quæ vti affinia & familiaria attrahunt, ita extranea & incommoda à se abdicant: ob quã causam & candelæ flãma iuxta posito aliquo valde frigido, vt ferro, & similibus, in latus abscedit: est & magnetis genus, quod ferrum abigit, ex quo cultelli ita præparari solent, vt alter

ferrum

A ferrum ad ſeſe trahat,alter pellat:quanq̃ nos, quum hoc experimentum
in medium olim inductum eſſet,monſtrauimus non id accidere, ꝙ ferrũ
abigeretur,quãuis perpendiculum in latere,vbi erat magnes, pelli vide-
retur,cauſam autem eſſe,ꝙ magnes ille eorũ eſſet, qui magis ferrum, q̃
Magnetem trahit. Applicitus ergo perpendiculo trahebat latus, in quo
magnes non erat cõmiſtus,ex quo fiebat,vt latus alterum Magnete tem
peratum neceſſario abſcederet,propter quod videbatur pelli ab applici-
to Magnete. Verum nihil prohibet etiam talem inueniri magnetẽ, qui
ferrum pellat propter latens in eo principium,quod ferro contrariũ ſit.
Eadem de cauſa & cucumis recuruatur ſuppoſito oleo, quoniam aquæ
multum continet,præſertim dum in incremento eſt: aquæ autẽ & oleo
non parua diſcordia eſt,& naturæ contrariæ: quum igitur per cõtrarias
ſpecies alterum ab altero abſcedat,crementum cucumeris in latus fit, vn
de recuruari videtur. Adianton porrò non madeſcit,neq; aquam admit
tit propter ſiccitatem ſuperficiei,quæ aquæ contraria eſt,& eam ſolet re-
pellere,quemadmodum in puluere,& pennis,& alijs ſiccis contingit,in
quibus non conſiſtit aqua,ſed aut elabitur,aut in guttulas rotundatur:ro
tundatur autem,quoniam duobus modis aqua ſitum naturalem exqui-
rit,vno modo motu elementi deſcendendo ad locum proprium, quan-
do poteſt:poteſt autem,quum ſuper aliquo plano ſtatuitur,quod contra
B rium non ſit,& deſcenſum eius non impediat,vt ferrum, & lapides, &
id genus,ſuper quibus coextenditur,et deſcendit aquæ quantum poteſt.
Alius modus eſt,quum non totũ extra mouetur,ſed partes in toto, quę-
rentes conuenientiſsimum ſitum:quod tum fit, quum incidit in ſubie-
ctum,quod propellit vndiq; partes:quod faciunt multa ſiccorũ per con-
trariam ſpeciem. Propter quod non motus elementi fit ad locum ſuum,
ſed partium in toto ſeſe apte locantium,quantum expedit,et bene eſt: ta
lis autem ſitus eſt, quum partes contrarium tangunt ſecundum mini-
mum,quo poſsint,et quo magis vnitæ ſunt,et propinquæ inuicem: quæ
omnia maxime præſtat orbicularis figura,quæ et in puncto tangit,et bre
uiſsimas habet ad centrũ lineas:propter quod aqua in ſicca incidens ro-
tundatur. Signum autẽ quòd in Adianto non conſiſtat aqua propter ſic-
citatem, id eſt, quòd duabus exiſtentibus Adianti ſpeciebus albo et ni-
gro,nigrum quidem madeſcit, quòd humidioris ſuperficiei ſit, album
autem nõ,quòd ſiccioris. Ad has cauſas et lætalis Cathablephæ aſpectus
eſt reducendus, quippe ſpiritualis ſpecies, quæ ab ipſa ad diſtantiã mul-
tam protenditur,ob contrarietatem et Antipathiam, quam cum ſpiriti-
bus hominis habet,eos diuoluit,ac fugat,vnde et homo perit.

Cur calx, & pannus, & alia multa sicca existentia aquam promptißime admittant. Cap. 10.

SEd quî fit, vt, si, quæ sicca sunt, repellant ob siccitatem aquam, Calx tamen, & pannus, & linea, & farina, & spōgiæ, & ossa, & terrarum genera, vt sphragis, & bolus armenus, & eiusmodi sicca existentia omnia aquam & liquidum omne promptißime admittant? quinimo, quod mirum est, videmus in spongijs & lineis aquam, quasi trahatur, sursum etiam ascendere, in calcem vero adeo intime ingredi, & penetrare, vt eā dissoluat. An sicca foraminulenta, & (vt dicunt) porosa sunt omnia, sed alia poros habent tenues & angustos, alia habent laxos magis & bene coniunctos? quæ igitur angustos habent sicca existentia, aquam non admittunt, nam neq;, quatenus porosa sunt, neque, quatenus sicca, recipiunt: quæ vero laxiores habent poros, quanquam ob siccitatem quodāmodo obsistant aquæ, quatenus tamen porosa, admittunt: in ijs enim tangente aqua abscedit è foraminibus aer, qui in ijs clauditur, cuius loco succedit propter vacuum aqua, propter quod & ascendit etiam: quòd si bene coniuncti sint pori, penitißime penetrat aqua, & ad particulas omnes quamuis minimas: quapropter quòd calx & dissoluitur, et incalescit, dissoluitur quidem, quoniam penetrante aqua ad partes omnes remollescit earum nexus propter humiditatem, vnde & separari accidit: incalescit vero facta separatione, igneis particulis, quæ prius dispersæ, & diuisæ fuerant, & quodammodo in potentia, nunc actu factis, atque vnitis, & potentibus agere iam: quapropter tum Calx ipsa, tum & aqua incalescunt, & feruent. C D

Sed rursus difficultatem non minorem habet, cur fiat, vt tangente aqua aer è foraminibus abscedat: nunquid ipse per se abit, an propulsatur ab alio? et si propulsatur, quomodo, & à quo propulsatur? Sunt, qui dicant propulsari aerem, quòd densetur ab aqua, atq; in angustius cogatur, cuius loco ipsa mox succedat. Sed quomodo fit hoc, quum densari non poßit aer nisi à frigido, imbibatur autem aqua in porosa, non solum quæ frigida est, sed & quæ calida, imo hæc magis & citius? Condensatio præterea certum terminum habet, vltra quem non procedit, at motus eius aeris, qui abscedit, terminū nullū habet, donec abscesserit totus.

Alij putant propelli aerem ab aqua ob pondus aquæ, quoniam spongiosum ipsum, in quo est aer, in aqua aliquatenus immergitur, & partes aliquas aquæ habet, quæ aliquibus aeris superstent: descendentibus ergo ijs, quæ superstant, aerem inde propelli accidit. Sed & hoc non plane satisfacit: & si enim, quantum superstat aquæ, descendere poßit, & aerem,


qui

A qui subsidet, propulsare, quum tamen ventum est ad lineam illam, per quam non amplius superstat aqua, quid erit mox, quod rursus propellere aerem possit? neque enim dicendum est aerem primo propulsatum alium pellere, & hunc alium, & ita successiue, quoniam, quum totus aer ille conclusus à primo per partem post partem tantum abscessit, quãtum est locus, quem aqua occupauit, tum non vltra impulsio fit partium aeris, sed cessat: oportet ergo aliud assignare quod pellat continenter aerem, donec abscedat totus. Vtrum igitur aqua non densatione, non pondere propellat aerem, sed per species contrarias, vt supra dictum est contraria & dissimilia sese mutuo pellere? dissimilis autem & extraneæ naturæ est aqua, & quæ aquea sunt, cum aere, quare tangens, vicinas sibi propulsat partes, quod vel facillime fit propter tenuitatem aeris, qui promptissime impulsum omnem recipit: succedente igitur aqua, ac permanente semper dissimilitudine eadem, continua fit propulsatio, & continua successio aquæ, ac demum fuga totius aeris in foraminibus clausi: atque hoc quidem si quis dicat, inconueniens (vt arbitror) nullum astruet.

Audiendi tamen & illi sunt, qui non propulsationem per se vllam aeris fieri dicunt, sed attractionem magis humidi, quo attracto necesse est cedere, qui in poris continetur aer, attrahere autem porosa humidum,
B non quatenus porosa (licet viæ requirantur) sed quatenus exiccata, & priuata naturali humido. Duo enim siccorum genera statuenda sunt, alia namque per se, & per naturam sicca sunt, ac talia quidem attrahere humidum non possunt, sed propellere magis habent, quoniam attractio omnis à simili fit: alia vero sunt, quæ per se quidem, & natura, humida sunt, per accidens autem sunt exiccata, remanet tamen in ijs forma sua, & natura cum virtutibus omnibus, quas à principio sortita est, inter quas est & spiritualis species, quæ attrahere nata est, quod simile est: simile dico non quatenus tale per accidens actu est illud, cuius est species, sed quatenus per naturam, & per se tale est. Quæ igitur porosa sunt, maxima pars exiccata per accidens sunt, per se autem in humore constituta, propter quod & porosa sunt facta extracto humido, cuius appetentiam semper habent, & facultatem attrahendi, quod in siti manifestum est: tangente igitur aqua nihil mirum, si à proroso exiccato, & carente naturali humido trahitur ad partes omnes, quod contangit humidum: ac talia sunt calx, spongiæ, linea, & terrarum genera. Adiãtõ autem, & pennæ, & id genus, non solum ꝙ angustos poros habeant, sed fortasse ꝙ sicca per se sint, aquam non admittunt. Nõ tacebimus postremo & causam aliam, quæ adduci potest ad hoc problema, dicẽtes rationem

eius

eius rei non esse propulsationem vllam, nō esse attractionem, quæ à sic- C
co fiat, sed esse motum aeris illius, qui in foraminibus clauditur, qui sese naturaliter mouet à loco, vbi prẹter naturam tenebatur, vt cum toto suo vniatur, ac coextendatur secundum naturam, quippe Elementorum partes nunquam naturalirer locantur, nisi toti sphæræ ita coextendantur, vt nulla earum exerta sit, & abscedat à toto, sed omnes æqualiter in eo consistant: qua è causa fit, vt aer, qui in foraminibus siccorum cōditur, tametsi toti continuetur per vnum extremum, non tamen illic secundū naturā cōsistat, sed violēter. Vt si aeris totius superficies sit a b c: porus vero, in quo aeris pars concluditur, b f: aqua tangens, vbi f: violenter quidem tenetur aer in b f: cuius signum est, ꝙ si dirumpatur porus, aer quidem, qui in eo erat, ad superficiem totius a b c feretur, coextendeturq; illi, atque ita vnietur, vt æqualiter secundum partes omnes in eo locetur, & totum vnum faciat æquale vndiq;. Indicat hoc non contineri secundum naturam partes aeris in poris clausi. Permanent tamen in illis, nec abeunt, dum porosum est in regiōe, & sphæra aeris, si. n. inde dimoueretur, necessario aliquid aliud succedere oporteret, quod certe aer esset: cur igitur succedat hic, ille abeat, quū nulla ratio magis huius sit, q̃ illius, præsertim ꝙ, si hic succederet, & ipse quidem pari ratione violenter detineretur in poris? si igitur & D
ille discedat, alium succedere necesse est, qui pariter si discedat, alius succedat oportet, & ita in infinitum: necesse igitur est primum aerem, quem casus ab initio illic conclusit, illic etiam permanere, dū porosum in phæra aeris continetur. At vbi fiat, vt porosum non iam vndiq; in sphæra aeris sit, sed aut in aqua totum ponatnr, aut aqua saltem per aliquod extremum tangat, tum qui in foraminibus est aer, extra statim fertur, & mouetur ad locum totius: cui succedit aqua, quæ quidem violentiam aliquā & ipsa patitur propter eandem causam, ꝙ & ipsa à toto suo abscedit, verum minus violenter tenetur illa in eo poroso, q̃ aer, propter conuenientiam naturæ, quæ in vtroq; grauis est, & quandam habet analogiam. Est autem & alia ratio, cur aqua succedere debeat, & sursum trahi, quoniam id quod trahit, & mouet, est aer totus, qui in poris conclusus recessum quærit, quod vero mouetur, est pars aquæ minima, quæ in poros paruos trahitur, & parum resistit propter paruitatem: cui idem accidit, quod trocleis per helices fabrefactis, quum per illas pondus vel maximam eleuamus, ꝙ sensim & in latus eleuatio illa fiat. Signum autem, quòd aqua cōsimiliter attracta facile sequatur, illud est, ꝙ si porus sit valde latus, qualis est fistula, nō succedit aqua, nec aer, qui in ea est fistula, abscedit, in par



A uis autem & obliquis poris abſcedit. Aut igitur hæc eſt cauſa ingreſſus aquæ in ea, quæ poroſa ſunt, aut & aliæ cõcurrunt, vt propulſatio, quæ per ſpecies fit, & attractio humidi, quæ à poroſo accidit, de quo ſatis iam dictum ſit.

De analogia rerum in agendo *Cap. II.*

Est præterea rerum cõſenſus, & diſſenſus alius in agendo aut ſimpliciter, aut pro certo fine: neq; enim omnia in omnia agunt, ſed certa ſolum in certa: quorum ratio quęrenda quidem eſt, ſed in vniuerſum. Ergo in omni actione tria præcipue requiruntur, præſertim ſi certi cuiuſdam gratia futura ſit: ſunt autem facultas agentis, aptitudo materiæ, & applicatio conueniens: dico autem applicationem cõtactum, ſitum, moram, & in quibuſdam organa. Hæc igitur quum cõſentiunt omnia, tum actio ſperata fit, & obtinetur finis, & quæ eiuſmodi ſunt, Analoga dicuntur: ſi vero aut omnia, aut plura, aut & vnum horum deficiat, actio quidem fruſtratur aut ſimpliciter, aut pro fine, & hęc non analoga vocatur. Accidit autem ſæpiſsime aliquod vnum, aut plura ex his deficere: interdum enim agentis potentia minor eſt, q̃ oporteat, interdum maior: quare ſępe prius, q̃ intentam inducat formã, ſubiectũ aut abſumit, aut liquat, aut in vaporem vertit: qua de cauſa magna flãma nutriri in parua cande
B la non poteſt, colliquat enim ſtatim pabulum totum, quod ſenſim in fumum, & inde in flãmam verti debebat. Quandoque materia ipſa inepta eſt, neq; enim ex terra aut aqua flãma vnquam conſurget, ſed vapor, qui abibit: at neque ex luto, neq; ex lapide, niſi hæc forte in alia multa prius conuerſa fuerint: ꝙ ſi flãma futura ſit, ex miſto fiat, oportet, neque ex omni, ſed ex ſicco, aut vnctuoſo, propinquo naturæ ignis. Ita nec homo nutrietur ex quolibet, vel etiã tenero, neq; enim ex gramine, vti equus, quoniam aliena eſt ea natura à natura hominis. Aliena autem ſunt in vniuerſum alia ob qualitates contrarias, quæ longe diſtant, alia ob ſpirituales, quæ contrariorum ſunt, & refugere animam faciunt: aut & quædã etiã repellunt alia ob ſubſtantiæ modum, qui eſt aut duricies, aut mollicies, aut craſsicies, aut lentor, & eiuſmodi, ob quæ aut non trahitur, qđ oportet, aut non pellitur, quod oportet, aut non miſcetur, quale oportet. Sæpe autem conuenientia erunt & agens, & materia, ſed applicationis modus non conueniet, aut enim non plane fiet applicatio, aut non conſentiet propter figuram, vel vias & foramina, quæ aut laxa plus æquo ſunt, aut anguſta: interdum contactum prohibet ſpiritualis ſpecies: interdum nimis arcta & aſtricta quædam tenet aut ſpecies, aut vacuum. Interdum contactus fit, ſed mora aut longior fit, q̃ deberet, vnde exuritur materia,

aut breuior fit, quàm oportuisset. Sæpe actioni obstat partium situs: miro C
enim modo mista composita sunt: alijs villi per longitudinem protendũtur, alijs per latitudinem, alijs in orbem, alijs aliter, qui modi pene infiniti sunt: propter quæ alia per longum bene solubilia sunt, alia per latum, alia aliter: quæ res in alterationibus quoque actionem nõ parum euariat. Quædam postremo certa instrumenta requirunt. Propter has igitur causas non omnia in omnia agunt, sed certa in certa solum. Fulmen aurum & vina colliquat nihil læso loculo & vase, in aurum enim, & vina penetrat, & tangit, & morã trahit, & propter acrimoniam caliditatis eliquat, ad loculum autem & vas debita applicatio non fit, aut propter laxitatem foraminum, aut propter paruam moram. Aurum non imbibit oleum & vinum, aut propter angustiam foraminum, aut propter contrarietatem qualitatum spiritualium, quæ seiuncta ea tenet, Argẽtum autem viuum vel auidissime ebibit, ꝙ statim penetret in foramina, & attrahatur ꝓpter similitudinem, & sympathiam. Oleum aquæ misceri non vult, vino autem miscetur melius, optime autem cum vino aqua: liquidorũ enim alia bene miscibilia inuicem sunt, alia non bene, bene quidem, quæ aut vnã & eandem substantiam habent, aut saltem diuidi mutuo ad minima possunt: aqua igitur cum aqua, & vinum cum vino optime commiscentur, quoniam vnum sunt, & vnum continuum conflant: vinum autem cum aqua bene & ipsum miscetur, quoniam, si forte vnum nõ est cum aqua, D
nec continuum facit, sed contiguum solum, ꝙ forma differat & terminis, diuidi tamen cum illa facili potest in particulas minimas: diuiduntur autem ad minimas partes, quoniam natura tum elemẽtorum, tum liquidorum est, vt eorum partes meliorem sitũ habeant, quo possibile sit: melior autem situs est ille, quo partes minus distãt inter se, quo possunt: &, si quidem datur, continuæ fiunt inter se, si vero nõ datur, quia formæ nõ vnum sint, propinquiores tamen & vnitæ magis, quo possunt, partes esse volunt & quærunt: propinquissimus autem situs est, quo distant solum per interpositionem vnius minimi, quod vltra diuidi non potest, si enim distarent per interpositionem trium vel quatuor minimorum, maiorem proculdubio violentiam sustinerent: quare mutuo sese ad minimas particulas diuidunt, sic enim melius locantur. Quæ vero liquidorum, neque vnam substantiam habent, neque inuicẽ diuisibilia sunt ad partes minimas, illa bene miscibilia non sunt: talia autem sunt, quæ & naturas valde diuersas habent, & alterum illorum fortis & cõpactæ mistionis est, quale oleum, quod cum aqua plurimum distat, natura aereum & igneũ existens, & pingue & fortiter mistum: propter diuersam igitur naturam cũ aqua, neque continuum fieri cum illa potest, neque plane contiguum, tũ

A quòd particula quælibet illius non bene diuiditur pinguis exiſtens, tũ ꝙ altera ad alteram attrahitur(vt eſt videre),ꝑpter aerem, qui plurimus eſt in oleo:quare non admiſcetur illi,ſed ſuperſtat: dupliciter enim bene locantur liquida,aut quum ad minima diuiduntur,aut quum alterum ſubſidet,alterum ſuperſtat:ſuperſtant autem,quæ leuiora ſunt, & cum aere conſentiunt magis,quale oleũ,ad minima vero miſcentur, quæ aquea magis ſunt. Vinum igitur,quòd aqueum magis ſit,ſed tamen & aeris atque ignis plurimum habeat, & ſi neq; ipſum optime miſcetur oleo, melius tamen miſcetur,quàm aqua. Mira res eſt argentum viuum, quod liquidorum nulli admiſcetur,ſed durioribus ſolum,& ijs non omnibus, ſed auro,& argento,& ſtanno,& plumbo,in quæ ita imbibitur,vt mollia ea reddat,liquidis autem alijs non admiſcetur, quòd propter pondus ſubſidat omnibus,& ꝙ diuerſæ multũ naturæ ſit,& fortis miſtionis: neque igitur vnum continuum cum alijs facere poteſt, neque ad minima cum ijs diuidi. Eſt autem fortis miſtio alia quidem in duricie conſiſtens, alia,quæ diu & fortiter agitata eſt,& miſcibilia habet ad quàm minimas partes redacta:ſic enim ſeparari inuicem non facile poſſunt, tum quòd ꝑpter propinquitatem ſimilia ſimilibus ſeſe aſtricta tenent, quare, quum diſsimilia diſsimilibus minutiſsime commiſta ſint,ſimilia in ſua conſimilia valde poſſunt propter propinquitatem,tum forte & propter vacuũ,
B quod propter eam partium vicinitatem plurimum obſtat, ne ſeparatio particularum componentium fiat. Eſt autem mira ea miſtio, & compoſitio in argento viuo,conſtat enim è calidiſsimis ſimul,& frigidiſsimis partibus,verum redactis ad tam minimam quantitatem,& ita ordinatis, vt pene ſeſe omnia tangant,& ſimilia iuxta ſimilia,& iuxta diſsimilia ſint, quod plurimũ facit ad continendam miſtionem:propter hæc igitur alijs liquidis non miſcetur,durioribus vero quibuſdam miſcetur,vt auro, argento,ſtanno,& plumbo propter ſympathiam naturæ (vt dictum eſt) attrahitur enim in eorum vocatos poros ad particulas omnes: propter quod & ea mollefacit, non ſecus ac alia liquida, vt aqua,ſolent duriora poroſa,vt ligna & eiuſmodi, mollia reddere:ipſum quoq; duriciẽ quandam & conſiſtentiam recipit,ſi prædictorum ſcobes cum eo miſceãtur, attrahit enim, et ex ea cõmiſtione conſiſtentiam acquirit: quod pleroſque fallit, putantes per eam viam poſſe argentum conflare, neſcientes non veram miſtionem fieri,ſed apparentem per iuxta poſitionem quorundam conſtitutam, quæ facillime ſolui poſsint, & ſeparari. Simile quiddam pati & Adamantem cenſendum eſt, ſi modo verum eſt hircino ſanguine ſolo molleſcere:penetrat enim & ipſe in Adamantis foramina vſque ad minimas partes propter analogiam,quæ eſt vel in princi-

pio cõi,vel foraminum ratione,propter quod & mollescit: quæ autem C analogia particulatim ea fit,Deo & naturæ notum est.Habere autẽ Sympathiam ad quædã Adamantem,& cõe attrahendi principium,illud mõstrat,q̃ & paleas & surculos trahit:quare nihil prohibet & ad hircinum sanguinem cõsimilẽ quoq; habere rationem . Idem & citrijs accidere,inspersо in eorum cumulum pane putandum est,attracta enim in panẽ humiditate eorum,atq; illic ceu alieno in loco putrescente,principium reliquo datur,vt computrescat,qua de causa flaccescunt ea mala.

Vnisonum autem aliud vnisonum cõmotat,quoniam,quæ similiter tensæ sunt cordæ,consimiles aeris vndationes & facere,& recipere natæ sunt,quæ vero dissimiliter sunt tensæ,non eisdem circulationibus aptæ sunt moueri,sed vna circulatio aliam impedit:ictus enim cordæ, motus est compositus è duobus motibus,vno quidem,quo corda pellitur ante, hoc est versus aeris circulationes,alio vero,qui retro fit,corda reducente sese ad situm proprium:si igitur mota vna corda debet & alia moueri, oportet,vt in secunda talis proportio sit,vt vndationes & circulationes aeris,quæ impellunt,& faciunt motum ante,non impediant motũ, qui retro fit à corda:quam proportionem solum eæ cordæ habent, quæ etiã consimilem tensionem habent,quæ vero dissimilem sortitæ sunt tensionem,non sese cõmotãt,quoniam dum secundus fit motus, idest reditus cordæ retro,circulatio secunda illi obuiat, & sese impediunt: vnde nec D motus fit vllus præter primã impulsationẽ,quæ intensibilis est. Vidi ipse in ecclesia quadã,vbi statuæ multæ cereæ circa sacellum loco alto dispositæ stabãt, pulsante tintinabulo quodam vnam illarum tremere reliquis immotis permanentibus,quod quum quibusdam,qui prope aderant, indicassem,admiratio multa eos cæpit:causa nõ alia erat, nisi quæ & in vnisonis accidit.Plures quoq; quum pondus aliquod ferunt, eadem proportione indigent,vt,quum alius pedem sistit,alius moueat:sic enim sine labore ferunt:quòd si sese impediant quietes & motus,fatigatio fit multa, & ferre tandem non possunt.Idem accidit & ijs,qui panem pinsunt,quũ duo aut tres lignum illud longum ac graue modo eleuant, modo deprimunt : si enim non ea ratione id agant, vt pariter omnes tollant, ac pariter deprimant, sed, quum alius tollit,alius præmere incipiat , motus impeditur, & labor accidit. In cordis autem propter celeritatem circulationum non percipitur.

Alia vero ratio ea est,qua Lupina Tympana ea dissoluũt,quę ex agnino corio sunt conflata:in his enim non solum aeris motus ad impulsionem facit,sed & spiritualis species:dictum est enim cõtrariorum species contraria pellere:Lupo vero & agno contrarias esse naturas constat: species

A cies igitur contrarij vnius delata per aerem ad aliud, pellere maxime & dissoluere etiam potest non solum per se, sed adiuta aere, partim ꝙ desior ille sit factus, partim ꝙ per circulationes & ipse impellat in penitissimos poros ingressus. Propter eandem cõtrarietatem dicuntur et Aquilarum pennæ pennas alias dissoluere.

Quæ vero brassicæ & rutæ inimicitia est, præter inimicitiam specierum, inde fortasse putandum est accidere, quod vtraq; calida est, & crassarum radicum: quare, quum multum humidi quælibet ad sese trahat, fit tandem, vt iuxta satæ præ humoris inopia arescant.

De octimestri autem partu plura fortasse oporteret dicere: nunc tantum dicatur, ꝙ quemadmodum in genere tritici est quoddam semen, quod tribus mensibus generat, vnde & trimestre vocant, alij setaniũ appellant, quoddã vero quod mensibus nouem, ita & in genere humani seminis quoddam est, quod septem mensibus parit, quoddam, quod nouẽ. Partus igitur, qui æditur octauo mense, esse quidem non potest ex eo semine, quod septem mensibus gignit: quare ex eo erit, quod nouem mensibus solet maturum producere: igitur quum ante nonum mensem æditus sit, indicat immaturum esse, & vi aliqua eiectum: talis autem vtpote immaturus & præcox, moriturus enatus est: cuius signum est, ꝙ certis regionibus, vt in Aegypto, octimetres partus etiam viuere ferunt, ꝙ boni-
B tate regionis defectui immaturitatis satis fiat. Cur autem duo tantũ sint humani seminis genera, & alterum septem, alterũ nouem mensibus partum ædat, eandem habet quæstionem, cur & in genere tritici duo similiter seminis genera sint. Causa in vniuersum est analogia talis agentis ad talem materiã, nam quis quærat cur tanta flamma tantum roboris absumat in hora vna? Ac de Sympathijs tum elementorum, tum & mistorũ, quatenus mista sunt, hactenus traditum per transcursum sit.

De animæ Sympathijs & Antipathijs. Cap. 12.

NVnc ad animam transeamus, cuius consensus et dissensus non minorem etiãnum admirationem præbent, præsertim eius, quæ cognitrix est: nam quæ vegetat solum, & in plantis præcipue spectatur, cõmunes videtur consensus cũ ijs habere, quæ simpliciter mista sunt, tametsi propter miram compositionem, quæ organica est, existiment aliqui habere plantas peculiares quasdam actiones, quatenus organicæ sunt: vnde & Plato sensu quodam participare eas dixit, quod & confirmare etiã Galenus videtur. Verum operationum, quæ organa insequuntur, alia ab anima fiunt, vt simpliciter mista est, alia ab ea, vti cognoscitiua, quare & attractiones aliquæ simplices sunt, aliæ organicæ: organicas dico, quæ

fiunt

fiunt per constrictionem & dilatationem villorum, simplices autē, quæ C
per species, vt supra dictum est. Videntur igitur plantæ simplices quidē
attractiones & expulsiones habere, quemadmodum & alia mista, orga-
nicas autem non: neq; enim ad eas obeundas constrictione sui & dilata-
tione vtuntur, sed solum simpliciter trahunt familiaria, fugant autē con
traria: dedit tamen natura illis organa quædam, quo melius possent hæc
operari: miro enim ordine ea procedit: trahunt siquidem & elementa, &
mista non organica, ac demum & organica, verum elementa simplicis-
simam exercent attractionem, mista vero non organica non ita simplicē
possunt attractionem facere, sed poris saltem indigēt, & via, qua possint
& similia ad omnes partes trahere, et dissimilia vndequaq; propellere: at
plantæ maiori etiam organo indiguere, per quod certa solum attrahe-
rent, & certo tempore continerent, et digererent, vnde tandem nutriri
possent: animalia porrò præter hæc organum etiam mouent, et constrin-
gunt, et laxant, prout bene est. Plantis igitur et si necessarium est organū
quoddam ad attractionem, non tamen proprie organicam faciunt attra
ctionem: quare nec sentiunt, nec cognoscunt, nisi per transumptionem
quandam, ꝙ miro quodam quasi ingenio discernant, quæ sibi conueniē-
tia sunt, et quæ contraria, ac per artificiose compositas vias trahant, &
pellāt: atq; hoc esse arbitror, quod Plato voluit significare, quare nec sim
pliciter dixit sensum habere plantas, sed sensum quendam: si enim sen- D
sum proprie haberent, sic vtique & constringi possent percepto malo, et
laxari percepto bono, vt paulo post ostendemus. Quærat autem fortasse
aliquis, quomodo in plantis et vniuersaliter in ijs, quæ aluntur, et vegeta
re dicuntur, attractio alimenti fiat: siquidem attractio eatenus fit, quate-
nus aliquid simile est, at alimentum, quum trahitur, dissimile est, quippe
quod alterari et transmutari indigeat, si postremo assimilari membro de-
bet. Oportet igitur eorum meminisse, quæ supra dicta sunt, quæ sese tra-
hunt, per principium vtrisq; commune trahi, quod sæpe in mistis latet,
quæ aliud actu sunt, aliud potentia: multa enim actu et per accidens pri-
uata eo sunt, quod per se & per naturam habent, remanente tamen natu
ra propria & forma cum virtutibus et potentijs proprijs, inter quas est &
attractio. Attrahitur igitur alimentum à forma, non qua actu, et per acci
dens talis est aut ipsa, aut alimentum, sed qua per se talia sunt, ac sic qui-
dem est similitudo principium eius attractionis: alteratio tamen quæ-
dam mox fit, vt id abijciatur, per quod actu dissimilia sunt: quo abiecto
demum exquisita fit similitudo et vnio. Illud autem, per quod actu, et
per accidens dissimile est, quandoque quidem est forma trahens, priuata
aliquo sibi per naturam debito, interdum est id, quod trahitur, vt alimē-

tum,

A tum, quod per accidens superabundat aliquo contrario, et abijciendo, per se autem simile est: quare quatenus simile, attrahitur, quatenus contrarium, alteratur.

De Sympathijs animæ cognitricis. *Cap. 13.*

MAiores autem & magis admirandos consensus & dissensus ea habet anima, quæ cognitrix est. Primum autem recipiamus cognitionem omnem tum sensuum, tum phantasiæ, & intellectus per eas species fieri, quæ spirituales vocantur, porrò species hasce representare nō solum res, quarum sunt species, sed & rerum modos: dico autem modos, figuram, situm, magnitudinem, locum, motum, quietē, & relationes multas, vt simile, dissimile, dextrum, sinistrum, et id genus: inter quos modos præcipui & maxime intrinseci sunt conuenientia, et discōuenientia eius, quod offertur, cum anima, omnis enim oblata res recipitur quidem ab anima vel uti amica, & conueniens, vel uti ingrata & disconueniens. Atque hi primi quidem sunt, & simplicissimi cōsensus, & dissensus rerum cum anima, à quibus duo etiam effectus primi & simplicissimi ab anima fiunt, constrictio, & dilatatio: quippe recepta ingrati & disconuenientis specie, constrictio animæ & membri fit, recepta vero grati & conuenientis, laxatio & dilatatio: qui motus quomodo ab anima fiant, non paruam
B habet dubitationem: quoniam contraria sunt dilatatio et constrictio, cō traria autem per se ab vno non possunt fieri, nisi forte ad vnum certum fuerint: condensantur quippe elementa, rarefacta quum fuerint, et rarefaciunt se condensata, sed hoc ad vnum certum est, quo veniant ad eum situm & terminum, qui illis pro natura debetur: aer quoq;, si loco ignis ponatur, descendit, si in loco aquæ, ascendit: sed hæc fiunt non vt contraria, sed vt ad vnum tendant: at constrictio, & dilatatio membrorum nō ad vnum est, sed modo magis, modo minus vtrunque faciunt: quinimō et ab eo etiam termino sæpe recedunt raritatis et densitatis, qui formæ misti debetur, quatenus mistum est, quod per naturam fieri posse non videtur. Si igitur anima per naturam facere contrarios illos motus non potest, quid per deos erit, quod ipsos faciat? Sunt qui in his ad instinctus naturæ recurrant, dicentes habere animalis naturam instinctus quosdā, per quos mouet, prout bene est, et magis expedit: sed certe hoc nō aliud est, quàm eandem quæstionem repetere: si enim instinctus ille est principium per se eorum motuum, oportet naturam esse, natura autem omnis vna est, et vnius factiua, aut plurium quidem ad vnum: hi autem motus neque vnum sunt, neque ad vnum, imo non solum inter se contrarij, sed formæ misti contrarij.

Fortasse

Fortaſſe igitur dicendum eſt,ſicuti elementum plures habitudines,& C
plures motus habere poteſt,vnum ſcilicet ad loca propria, alium partiũ in toto,ita & anima,quæ forma mẽbri eſt,poteſt plures habere habitudines & motus,vnum quidem ad motũ elementi prædominantis,aliũ partium in toto,& hunc duplicem,alterũ,quatenus ſimpliciter miſtũ quodam eſt,alterum,quatenus eſt forma cognoſcens:vtroq; enim modo partes in toto moueri poſſunt,nam,quatenus totum illud ſimpliciter miſtũ eſt,ſeſe partes in eo & condenſant,& rarefaciunt,quo veniant ad certum illum terminũ,qui toti cõuenit:at vero &,quatenus totum illud cognoſcens eſt,ſic poſſunt in eo moueri partes,vt bene eſt,ſi enim non cognoſcentia poſſunt per naturã ſimplicem debitam coexiſtẽtiam ſibi parare, cur & cognoſcentia & ſentiẽtia bonũ & malum non itidem poſsint? Eſt igitur anima quodãmodo vna natura,quodãmodo non vna,vna quidẽ, quatenus membrũ ſimpliciter miſtũ eſt,cuius eſt forma: ac talis quidem vnius factiua eſt,aut pluriũ ad vnum:nõ vna autem eſt,quatenus cognoſcens,ſic.n.quum à diuerſis mouetur,diuerſa etiam fit,aut ſaltem nõ eodem modo ſe habens:quare & vt talis,plura & contraria poteſt efficere, qm̃ nõ vt ſimplex,& vna natura agit. Nec inconuenit partes in toto moueri vna habitudine,quæ toti contraria eſt ſecundum aliam habitudinẽ, nam & in alijs miſtis partes interdum rotundantur in toto,& non deſcẽdunt,interdum deſcendunt,& non rotundantur,tum & ſe rarefaciunt, D
ac condenſant,nunc aſcendentes contra totius naturam,nunc deſcendẽtes:quare nec inconuenit conſtringi & laxari mẽbrum,quatenus cognoſcens,vltra eũ terminum rarefactionis,qui ſibi debetur, quatenus miſtũ eſt:neq;.n.repugnat eundem motum eidem eſſe violentum ſub vna ratione,conueniens autem ſub alia. Igitur recepta ſpecie ingrati & diſconuenientis nihil repugnat mẽbrum conſtringi,ſic enim partes melius eſſe,& ſitum habent,qm̃ tactus fit ſecundum minimum,quo poteſt, & retractio à nocẽte:contra vero,ſi boni & grati ſpecies recipiatur ab anima, dilatatio fit,qm̃ penitiſsime partes omnes id bonum recipiunt,alioqui totum non bene haberet,niſi ſecundum partes omnes frueretur eo bono. Primi igitur & ſimpliciſsimi conſenſus & diſſenſus animæ hi ſunt, & primi motus animalis conſtrictio,& laxatio:ex quibus paruis principijs mox ad magnos & admirandos ſenſim peruenire animal potuit. Primum autem de Sympathijs ſenſuum & Antipathijs proſequamur.

De ſenſuum Sympathia et Antipathia. *Cap.* 14.

MIra profecto ea concordia eſt,quæ inter ſenſus & eorum obiecta verſatur,ſi temperata ſint:alioqui,ſi excedant,non ſolum non cõ

A ſentiant cum ſenſitorijs,ſed ea perturbent & corrumpant.Soni igitur(vt
ab ijs ordiamur)ſi valde magni ſint,ſi nimis acuti,ſi nimis graues,ſi aſpe-
ri,ſi multi confuſi,ſi prorſus inſoliti,& ignoti,ſi vniformes, ac demum ſi
immuſici ſint,omnes per moleſtiam recipiũtur:cauſæ autem occultæ ad
modum ſunt:cõis vero omnium ratio eſt ingratos eos offerri ſonos, in
quibus anima incommodam cognitionem facit:quoniam.n.finis eius &
perfectio eſt ipſa cognitio,ad hoc autem requirũtur & bonus organi ſta
tus,& virtus potens,& applicatio conueniens,ac modus receptionis ido
neus,tum quidem per diſplicentiam anima recipit,quum aut virtus labo
rat,aut organum vim patitur,aut applicatio impeditur,aut incommode
recipit.Qui igitur imbecilles ſunt,aut circa auditum dolent, ſonos pene
omnes ferre non poſſunt,verum cauſa non accidit ex ipſis ſonis: at ſi ſo-
nus ingens ipſe ſit,commotat organum propter circulationes aeris, tum
& virtutem diſſoluit,& applicationem tollit,vnde & confundi animam
accidit & terreri:ſimiliter &,ſi acutus valde ſit ſonus,& ſtridulus, appli-
catio vim patitur,quaſi in anguſto facta, tum & membrana auditus qua
ſi icta offenditur,vnde & contrahitur repente,ac cum ea ſimul & neruu
li quidam vſq; ad radices dentium,in quem locum ſubito incidẽs nouus
aer horrorem quendam circa dentes facit.Grauis quoque plus æquo ſi ſo
nus inferatur,plus aeris mouet,q̃ ſenſitorium ferat, tum & applicationẽ
B valde amplã expoſcit:aſper vero eſt,qui fertur per inæqualem ſuperficiẽ,
quare circulationes aeris confundit,& ſpeciem quaſi fractam ad ſenſum
defert,vnde & ſenſatio ſimul varia fit et confuſa,ad quam nec applicatio
conueniens adhibetur.Vniformis autem iccirco moleſtus redditur,ꝙ ni
hil addiſcit anima,coacta nihilominus intẽſionem fruſtra adhibere. Cur
autem ignoti & valde inſueti ſoni timorẽ incutiant,mox dicemus, quũ
de timore agemus.Qua vero de cauſa fiat,vt,qui immuſici ſunt, moleſti
audiantur, muſici vero & certis conſtantes numeris ſuaues gratiq; reci-
piantur,difficultatem non paruã habet:quando nec numeri, nec in vni-
uerſum quantitas vlla per ſe poteſt eſſe principium vllius actionis, per ac
cidens autem,& vt modi eius,quod per ſe eſt,quõ cõcurrant numeri, nõ
ſatis patet.Vtrum igitur,vt quidam dicunt,ꝙ anima maxime muſica ip-
ſa ſit,(vt Timæus tradit)muſicis etiam ſonis gaudeat,an rhæthoricũ ma-
gis eſt hoc? & Timæi generatio animæ poeticum quiddã eſt, nihil aliud
ſignificare volens,q̃ ꝙ anima ex maximis rerũ perfectionibus conſtat: ad
numeros autem,qui in ſonis ſunt,equidem non video,quam cognatio-
nem habeat. Fortaſſe igitur dicendum eſt,ſicut in numeris quidam in-
tegri ſunt,quidam fracti,ita & in ſonis quidam integri, quidam fracti di
cuntur. Integri ſunt omnes per ſe ſoni,qui vocem vnam faciunt, vna au

tem vox,quæ tota ſimul mouet:fracti vero,qui vel vnam vocem non ſi- C
mul totam reddunt,ſed per partes, vel vocem vnam & inſuper partem
eius includunt. Si igitur integer ſonus ad aurem veniat,ſiue vnus fuerit,
ſiue plures,collati inuicem ſuauiores accedunt,q̃ ſi fracti veniāt:vnus qui
dem,quia ſi vocem non vnam facit,ſed per partes ad vnam aſcendit vo-
cem,aſper quodammodo eſt,& inæqualis,atque indiſtinctus, ſi vero vo
cem vnam totam reddat,&,vt dicitur,rotundam,diſtinctus eſt , atq; ic-
circo gratus. Similiter & ſi plures ſint,fracti autem aut omnes,aut aliqui,
moleſti ſunt,ſiue voces non reddant vnas,ſiue vnam & inſuper partem
includant:in omnibus enim inæqualitas quædam eſt , & indiſtinctio : at
ſi voces rotundæ omnes veniāt,tum & ordo quidam in illis eſt & diſtin-
ctio:omne autem ordinatum & diſtinctum delectat, quod & Ariſtote-
les ſignificare voluit circa problemata. Numeri igitur , quatenus nume-
ri,nihil per ſe faciunt ad ſuauitatem,& moleſtiam in ſonis,ſed ſolū, qua-
tenus per ipſos modi ſonorum notantur,qui aut diſtincti, aut confuſi &
aſperi ad animam pertingunt:quanq̃ de his plura fortaſſe oporteret di-
cere,nunc autem tantum dictum ſit,quantum attinet ad propoſitum.

Eadem & circa viſum contingunt,& propter eaſdem cauſas : Lumen
enim,ſi ingens ſit,ab anima ferri non poteſt , quoniam & ipſum virtutē
et applicationem diſsipat,quod & colores quoque faciunt , qui nimium
lucis habent,vt albi,& rubri,ſi & fulgidi ſint,medij vero , ꝙ temperatio D
res ſint,grati omnes recipiuntur,& inter ipſos viridis , qui temperatiſsi-
mus eſt,tum qui illi ſunt proximi,vt puniceus,et flauus:niger vero,ꝙ pri
uatio quædam ſit lucis,minus delectat:paruorum quoque conſpectus in
gratus pariter eſt,ꝙ applicatione multa indiget,& indiſtinctus eſt. In ſa-
poribus quoq;,qui valde acuti ſunt,vt Euphorbij,Clematidis,et ſimiliū;
moleſti omnes ſunt:fortaſſe autem & ſenſum tactus feriunt,quoniam ca
lidiſsimi ſunt:calidi quoq; ſunt ſalſus,amarus,& dulcis, ſed ſalſus acuita-
tem habet haud ingratam,quoniam diluti ſubtilis non nihil habet , pro-
pter quod aſper non eſt,ſed æqualiter ſenſum tangit:at amarus contra in
æqualiter tangit,ꝙ ex terreo aduſto conſtet,& in craſſa ſubſtātia ſit , qua
re aſpera eſt illius applicatio,& cōfuſa:dulcis vero ſuauiſsimus omnium
recipitur,quoniam exceſſum in miſtione nullius habet,ſed omnium cō
uenientem miſcellam ex aereo multo & aqueo , cum quibus quæ terrea
& ignea ſunt,minutiſsime ſunt confracta,& rotunde commiſta,propter
quod æqualiſsime ſenſum attingit,& vt vnum,quam ob cauſam è rotun
dis conſtare Pythagorici aiebant:è frigidis autem ponticus acutis oppoſi
tus eſt,qui è multo terreo conſtat non plane digeſto , hoc eſt non exacte
commiſto,ſed in rudi & craſſa ſubſtantia conſtituto, propter quod & il-

A le asper est,& inamabilis:si vero in eodem terreo plus aquei humidi adsit,acerbus fit sapor,quià & ipse asper est,& ingratus,minus tamen,q̃ ponticus propter dilutionem:q; si minus adhuc terræ,plus autem subtilis aquei bene cõmisti affuerit,acidus vocatur sapor,minus adhuc ingratus: si vero terreum subadustum fuerit,subtile autem,multo autẽ aqueo bene commistum,acetosus fit sapor.In vniuersum autem terra ingratũ videtur saporem facere,q; inæqualis sit,ac sicca,& frigida, humiditas vero gratior videtur,quoniam æqualis est,& lenis:q; si cum caliditate coniuncta sit,omnium suauissima habetur,quoniã & calor gratissimus est animæ,propter quod aer maxime ad suauitatem saporum facit,aqua vero ꝓpter frigiditatem minus:ignis porrò & ipse,nisi acrimonia officiat, propter caliditatem ad suauitatem conducit. Multum præterea refert,vtrũ mistio ex minutissimis conflata sit,& ijs,quæ vnum facere apta sunt, an aliter,quas ob causas diuersæ saporum mistiones fiunt,quarum aliæ gratæ,aliæ ingratæ animæ sunt:ingratissima omnium illa est, quæ nõ aliam habet appellationem,nisi q; abominabilis dicitur,vt luti, stercorum, & quorundam medicamentorum:horum autem digestio nulla est, nec mistio,quæ ad vnum sit,sed plurium cõfusio,quorum alia amara sunt, alia acria,alia insipida,alia aliter se habẽtia,ad quæ nec applicatio conueniẽs esse potest,nec distinctio,nec ordo,nec demum familiaritas vlla cũ anima.

B Proportionaliter autem se habent & odores,quorum ingratissimus est,qui fœtidus appellatur,quiq; abominabili in saporibus correspõdet, nam & hic ex ijs pariter resultat,quæ nullam habent digestionem nec rationem mistionis,sed confusionem è multis ac diuersis, qualia fere sunt putrescentia,in quibus dissoluta mistione euaporatio diuersorum cõtingit.Oportet præterea & illud non ignorare,quòd contrariarum mistionum contrariæ quoque formæ sunt,& contrariarum formarum contrariæ quoq; sunt spirituales species in repræsentando:propter quod in saporibus & odoribus illud præcipue accidit,vt,quorum contrariæ sunt mistiones,illorum quoque & sapores,et odores cõtrarij sint: quare nec qui vni animali est gratus sapor, aut odor, etiam alteri est gratus, sicuti nec eisdem omnia nutriuntur, quòd diuersæ sint diuersorum mistiones, & diuersis gaudentes: quod et inter homines quoq; est videre,quorum alij vinum,alij acetum, alij carnes, alij alia fastidiunt, vel natura, vel morbo. Porrò & circa tactum eadem quoque spectantur: suauissimus et maxime conueniens est illi calor, si temperatus sit, tum et humiditas, quoniam lenis est, & æqualem tactum facit,non asperum: mistio quoq; illa voluptuosissima est,quę dulci saporum proportione respõdet, in qua decoctio est optima,et miscella rotundè confecta,temperata autẽ

qualitatibus,quale est semen:propter quod suauissima omnium est volu- C
ptas,quæ in seminis emissione sentitur in ea parte,quæ pariter omniū ti-
tillantissima est. Ingrata vero tactui per se frigiditas, maxime est,quæ cū
sicco coniuncta est,propter quod terra,& ea,in quibus dominatur,ingra-
tissima sunt.Figura porrò,& partium situs,quæ tangunt,non parum fa-
ciunt ad voluptatem,& molestiam illius sensus:vnde,quę aspera sunt,&
quasi hamatæ superficiei,ingrata animæ sunt.Ingratus præterea, & dolo-
rosus est & sensus ille,qui fit separatæ partis à parte: nullus enim conue-
nientior est situs partium membri,q̃ continuatio illarum,quare separata
parte,quicquid aliud subingreditur, & tangit, inimicissimum aduenit:
subingreditur autem vt plurimum aer.Sunt tamen, qui dicant separatio-
nem ipsam sentiri,vnde & dolor insurgat, quòd violentissima res sit se-
paratio:quod certe dici non potest,si quis bene aduertat,quid sit per se se-
paratio,non enim aliud est,q̃ localis motus,aut partes illæ duæ separatæ:
motus autem per se non sentitur,nec numerus ille,nisi quid aliud subsit,
quod per se sensum moueat.

De primis effectibus,qui fiunt ex consensu & dissensu sensuum. Cap. 15.

SEntiunt autem partes & mēbra animalis quandoq; quidem per se so-
la,animali ipso non sentiente,nec iudicante se sentire,interdum ani-
mali simul sentiente partis sensationem,& iudicante:nam motus quidē, D
quo intestina & venæ succū trahunt,& deponunt,& torquētur ad emit-
tenda excrementa,tum venarum,& cordis dilatatio & constrictio,& id
genus per se quidem à mēbris fiunt animali ipso nihil sentiente:vrinę au-
tem emissio & fecum,& tussis,& sternutatio,& ira,& timor , et progres-
sio non sine phantasia fiunt,& iudicio animalis : quædam etiam imperā-
te voluntate proueniunt.Simpliciores autem et natura priores videntur
motus,qui sine phantasia fiunt:fieri autem illos per sensum quendā mē-
brorum credendum est,constrictiones enim,& dilatationes non nisi per
boni & mali receptionem quandam fieri possunt,vt dictum est : propter
quod natura,quæ ab imperfectissimis per gradus ad perfectissima ꝓgre-
ditur,animalia quædam fecit,quæ vegetant solum,et sentiūt sine totius
phantasia,sed membris solum per tactum bonum & malum cōprehēdē-
tibus,quales spongiæ sunt : quapp de mēbrorū motibus, qui sine phanta-
sia sunt,primo breuiter agamus,mox & de phātasiæ Sympathijs agem⁹.

Reassumamus igitur,quæ supra vniuersaliter dicta sunt, speciem om-
nem,quæ ab anima recipitur,recipi quidem vel vti bonam & conueniē-
tem,vel vti malā et dissidentem:ad hæc autem primos & simplicissimos
animæ motus esse constrictionē,& dilatationem , hanc quidem recepta

boni

A boni ſpecie, illam, mali. Ab his ergo & alij deinceps fiunt, & quidem admirandi, interdum in eodem mẽbro, interdum & in annexis: quippe recepta nocentis ſpecie, et facta cõſtrictione ſæpe paulo poſt et dilatatio fit, quod alioqui mirum videtur: fit aũt ſæpe tam vehemens & ſubita dilatatio illa, vt excutiatur nocens, verum motus illi non ſecundum idem, et ſecundum eandem rationẽ fiunt: ſiquidem conſtrictio fit, vt tangatur nocens ſecundum minimum, quo poteſt, dilatatio vero mox fit, quoniã minimum illud, quod tangit, diu ferre non poteſt illum contactum, tũ quia vt miſtum vim patitur nimis aſtrictum, tum quia vt ſentiens eo in ſitu perſiſtere non poteſt. Quibus de cauſis repentina laxatio fit, & ſæpe tanta, vt excutiatur nocens: quod ſi excuti non detur, ſed neceſſario ineſt, & inſiſtat, tunc alternatim fit nunc conſtrictio, nunc dilatatio, ſic.n. membrũ quietem quandam & pauſam doloris inuenit, vt accidit in ijs, quos phalãgia pupugere. Interdum fit et motus tremulus, qui et ipſe compoſitus eſt è dilatatione et conſtrictione: verum differt à priori: in illo.n. vtrunq; motum faciebat anima, in hoc laxatio fit à pondere mẽbri propter debilitatem, conſtrictio vero à virtute & ab anima, quæ vbi pauliſper ceſsit ponderi, quaſi reaſſumptis viribus conſtringit membrum ac ſuſtinet: quem motum alternatim facit, quoniã ſuſtinere ſemper ſi vellet anima, deficeret: quare melius, quod poteſt, facit. Interdum recepta ſpecie mali nõ cõ-

B ſtringitur membrũ, ſed dilatatur, quod maxime fit, quum intrinſecũ eſt nocens: conſtrictio.n. ipſum auget, dilatatio minuit, quoniam ſic refugit anima: quo pacto cor fortaſſe, & venæ dilatationes ſuas factitant, introrſum.n. quum caliditas magna fit, ſi inflãmari ipſum accidat, tum ſeſe laxat ac dilatat, ſic.n. minus tangit: porrò facta dilatatione rurſus conſtrictio fit, qui motus eſt naturalis mẽbro redeunte ad ſitum proprium. Vtrique autem motui ſua cõſequuntur beneficia, naturæ cognita, nã ad priorem dilatationem ſequitur attractio noui aeris, à quo refrigeratur cor, ad conſtrictionem vero ſequitur expulſio eiuſdem aeris calefacti, et ſimul fuliginum multarũ circa exiſtentiũ: quæ quidem beneficia cognita Deo & naturæ ſunt, non autem ipſi cordi: quare quodãmodo per ſe fiũt à corde, quodãmodo per accidens, per ſe quidem, ſi conſideretur cor vt pars totius naturæ, quæ res ordinat, & fines noſcit, per accidens autem, quatenus cor eſt natura quædã vna per ſe, quæ quidem non aliud agit, niſi quod per ſe & per naturam poteſt, ad quod ſi et finis ſequatur à natura totali intentus, per accidens fit, quantum ex ſe eſt: non.n. ſeſe dilatat cor primo et per ſe, vt aerem nouum trahat, à quo refrigeretur, ſed vt minus tangat internum nocens: nec conſtringitur, vt expellat fuligines, ſed vt redeat ad ſitum proprium: qua tamen vicisſitudine temperiem acquirit, ſine qua

viuere

viuere non posset. Sæpe et quiddam aliud maius molitur membrum re C
cepta nocentis specie, nam constringendo sese in vna parte deponit no-
cens in aliam partem, qua rursus constricta deponitur idem nocens in
aliam, et ex hac rursus in aliam, quo pacto tandem in totum lædens abij-
citur: sic intestina feces & excrementa, vesica vrinã deponunt, res quidẽ
mira, ꝙ vnum membrum nunc has nunc illas pares contrahat, et modo
hos villos, modo illos, quasi ratione quadam vtatur: non est autem ratio
alia, nisi partium motus in toto, in quo quęlibet ita locatur, vt melius ex
pedit, tantus est consensus earum inter se et in toto: propter quod sæpe
non vno modo mouentur omnes, et villi omnes, sed modo hi, modo illi
reliquis quiescentibus, et ita cunctis ac toto melius se habẽtibus, quo pos
sibile sit. Sicut autem in receptione mali diuersi contingunt motus, ita
et in boni receptione varij effectus fiunt: si enim per totum membrũ re-
ceptum fuerit bonum, tum dilatatio et laxatio totius fit, quo partes om-
nes profunde bono simul frui possint (vt dictum est) si vero non secun-
dum totum receptum sit bonum, sed in parte solum, tunc non dilatatio
totius fit, sed aut constrictio magis totius, aut partis saltem, quæ bono ca
ret, ad eam partem, quæ habet. Non sunt autem consensus isti, et dissen-
sus tantum in simplicibus mẽbris, et eorum partibus, sed et inter cõposi-
ta visuntur, & ea, quæ non continua sunt, sed cõtigua, altero alteri famu-
lante, et consentiente, vno.n.affecto et alia consimiliter afficiuntur: pro- D
pter quod diuinum dicebat Hippocrates esse consensum inter membra.
Laborante matrice, et aut sursum, aut in latus retracta, ita et reliqua coaf
ficiuntur mẽbra, vnum post aliud, vt eorum nullum audeat motum co-
nari, omnia quietem agunt, palpebræ claudũtur, respiratio vix fit, & cun
cta demum ita immota manent, vt ne pes quidem aut digitus dimoueri
queat sine molestia. Causam Galenus putat, ꝙ à matrice frigiditas quæ-
dam stupefactiua non aliter eleuetur ad mẽbra reliqua, ac in Torpedine
pisce effundi accidit: quod quidem vt admittatur, potest nihilominus si-
ne eo stupore ad simplicẽ mẽbrorum cõsensum referri (vt mihi videtur,)
præsertim ꝙ stupefactum nullum apparet mẽbrum, sed & audit mulier,
et calet, ac rubet: non mouetur autem vllum mẽbrorum, vt consentiant
primo affecto, quẽ consensum in multis alijs est videre. Dolente ore ven
triculi incuruatur corpus totũ: in calculo situs quosdã natura docet, sub
q̃bus melius nos habemus, q̃ omni alio modo: et in dolore capitis sæpe
oculos ita claudi accidit, vt si aperiri cogas, molestissime facias, et dolorẽ
augeas. Ita ergo et affecta matrice nerui et ligamenta, quæ ad illã pertin-
gunt, contrahuntur, aut simul tenti tenentur, mox successiue & crurum
nerui, et dorsi, et diaphragmatis, et pectoris, et aliorum idem faciũt, ac de

mum

A mum totum imotum perstat, qui situs & status vti magis coueniens à natura eligitur, nec partes melius in toto locari et consistere possunt ita affecto primo membro: cuius signũ est, q; si dimoueas mẽbrum aliquod, mulier torquetur, et molestiam pati indicat, tantus est consensus inter membra, quæ, quanq̃ diuersa sint qualitatibus et natura, animam tamen vnam sortita sunt. Quærat autem fortasse aliquis, vtrum affecta vna prima parte species eius affectus vna ad alia mẽbra mittatur, an plures sint species, quot et mẽbra, et affectus: nihil aũt ꝓhibet nec plures esse species, nec primã mitti ad alia mẽbra, sed satis est aliquod primum esse affectũ, per quod anima, quę vna in omnibus est, potest partes omnes in toto mouere, vt melius est, et locare: sicut.n. in vno mẽbro simplici recepta boni vel mali specie non secundum totum, sed in parte solum, totũ tñ situ quęrit, quo põt, meliorem, ita et in toto animali, q̃q̃ non vbiq; sit spẽs boni et mali, sed in aliqua parte tm̃, põt tñ totũ ipsum et partes in eo meliori mõ locari, quo possibile sit: de quo & nonnulla mox dicemus. Ac de sympathijs et antipathijs sensuũ, et simpliciũ mẽbrorũ per trãscursum dictũ sit.

De consensibus & dissensibus phantasiæ. Cap. 16.

MAiores multo, et magis admirandi sunt consensus illi, et dissensus, qui fiunt specie boni et mali ad phantasiam delata, per quam
B non iam sensus aliquis iudicat, sed animal ipsum: videtur enim ea facultas quasi toti deputata, vti ministra et cognitrix eorum, quæ ad totũ pertinent. Habet autẽ phantasia consensum quidem cum toto, sed cum corde maximum ac præcipuum, statim.n. et cor eisdem speciebus afficitur, quibus et phantasia, siue boni fuerint species, siue mali: porrò et cor cum vocatis spiritibus supra, q̃ credi posit, consentit, atq; ijs vtitur, vti famulantibus. Quam ob rem de vtroque non parua dubitatio est, ac primũ de corde, quomodo afficiatur à phantasiæ speciebus: si.n. non cognoscit per illas, quomodo moueri potest, et constringi, et dilatari? diximus.n. fieri hæc ab anima, quatenus cognoscitiua est: si vero cognoscit per illas, vtrũne sensu aliquo cognoscit solum, an et ipsum habet quandã aliam cognitionem maiorem, q̃ sensus? si quidem per sensum cognoscit tantum, q̃uo igitur afficitur et mouetur à speciebus omnium sensuũ? oportebat.n. solum ab vno moueri obiecto: at, si maiorem habet cognitionem, q̃ sensus, habet'ne et ipsum phantasiam, aut consimilẽ aliam vim? quod certe non satis videtur. Porrò de spiritibus vocatis difficultas quoq;, vel maxĩa est, quando constat moueri eos ad oẽm partem, et sursum, et deorsum, et in latus: vnum autem tantum vnum posse videtur facere, ipsi autem vnum quid sunt, ac separati, et per se existentes in animali, quin imo ne etiam

cognitionis

cognitionis participes. Ad priorem autem difficultatem possumus cũ C
antiquioribus dicere cognitionem inesse cordi non solum sensu maiorẽ,
sed et phantasia, tum ꝙ non modo ea dignoscat, quæ & phantasia, sed ẽt
& motum sensationemq; ipsius phantasiæ, tum ꝙ et intellectus quoque
actionem ad cor pertingere manifestum est, atq; eadem cor iudicare bo
na & mala, quæ & intellectus cognouit, vtpote princeps mẽbrum: nam
sicuti sensus & phantasia intellectui seruiunt, & ministrãt, ita & intelle
ctus et aliæ facultates in cor veluti regem et vltimum ordinatæ sunt: si-
gnum cuius est eisdem affici, atque vltimo affici, vtpote finem, quod anti
qui omnes opinati sunt. Veruntamen, si cui videatur non habere aliam
cognitionem cor, q̃ quæ tactu fit, facta tamen phantasia quorundã nihil
prohibet, si dixerimus cor non eisdem speciebns cognoscere, posse tñ &
constringi, & dilatari, & signa terroris, et iræ, et gaudij præ se ferre: quo-
niam anima (vt dictum est) vna est in toto animali, ad motum autem par
tium alicuius totius animati non est necessarium partes omnes, quæ mo
uentur, per se cognoscere bonum et malũ, sed sufficit esse aliquod primũ
cognoscẽs, per cuius cognitionẽ totum ipsum mouetur in suis partibus,
vt bene est, modo omnibus, modo quibusdã. Igitur recepta boni & mali
specie in phantasia totũ animal mouetur in suis partibus, modo vna, mo
do alia, vt magis expedit: mouetur aũt principaliter cor, quoniã inde ori-
go est virtutum omniũ, & de ipso totum maxime sollicitum est. De spi- D
ritibus autẽ recte illud dici videtur, ꝙ et ad partes omnes mouentur, sur-
sum, deorsum, & in latus, et separati etiam sunt à membris alijs, s.n. con
tinui forent cum illis, impelli quidẽ non possent huc, et illuc sine mẽbro
rum offensa & distractione: qua de causa separatos illos natura fecit, ve-
rũ non ita, vt quasi athomi quædam per se cõsistant, hic, et illic distincti,
sed magis continuos inter se esse ceu nubem quandam putandum est.
Vtrũ autem animati sint, dubitatio apud omnes non parua est: nã anima
tos non esse indicium est, ꝙ et in sanguine sunt, et in semine, hæc autem
nec sentiunt, nec nutriuntur, quoniã organis carent, anima autẽ sine or-
gano esse non potest: at vero si animati nõ sunt, quomodo ad partes om-
nes moueri possunt? Dicendum fortasse animatos esse spiritus, eos saltẽ,
qui partes mẽbrorum sunt, animatos autẽ esse nõ tanq̃ mẽbra per se, sed
tanq̃ partes membri. Sunt autem partium aliæ, quæ primæ dicuntur, vt
elementa, quæ sicuti in misto sunt, ita sunt animatæ: quare quũ potentia
quodãmodo sint in misto, ita et potentia sunt animatæ: aliæ autem sunt
partes, quæ secundæ dicuntur, quæ quodãmodo actu sunt, quodãmodo
potentia, vt partes organici membri: actu.n. sunt, quoniã esse suum ha-
bent, et signari possunt, potentia vero, quoniam ex omnibus tertium

quoddam

A quoddam fit, quod per se tale est. Atque hoc modo & spiritus partes sunt carnis, nerui, & ossis, & aliorum, ex actione enim spirituum, & temperie ab ijs data, cum alijs, ex quibus componitur caro & neruus, fit tertium illud, quod caro appellatur, & neruus, & os, quorũ præcipua pars sunt spiritus. Igitur, quod per se animatum est, caro est, & neruus, spiritus autem per se animati non sunt, sed solum vt partes: atq; ita si sint, facile erit ostẽdere, quomodo moueri ad omnes partes possint, nam & ipsi mouentur, sicuti partes in toto, vt bene est. Cognoscente igitur phantasia, quod mali et boni est in hac vel illa parte, nunq̃ bene se habet totum, nisi partes eũ situm quærant, quo totum bene habet: quare laborante corde ad ipsum mouentur spiritus, quasi opem laturi: qui finis in natura quidem animalis est, & Deo cognitus, & cõmuni naturæ, nõ autem ipsis spiritibus, qui tamen moti, vti partes in toto finem præstant naturæ notum. Nihil autẽ inconuenit partes in toto motas, & sursum, & deorsum, & in latus ferri (vt supra dictum est,) inconueniens autem esset, si spiritus, tanq̃ vnum quid per se existens, in diuersa agerentur. Quo autem modo & illi moueantur, qui in sanguine sunt, siquis quærat, dicendum fortasse moueri ipsos alio modo, vel attractos ab ijs, qui primo vt partes animati mouentur, vel consequentes propter continuitatem, quam cum ijs habent. E tanto igitur consensu, quem phantasia cum corde habet & spiritibus, il-
B li primo fiunt, qui affectus animi dicũtur, gaudium, amor, spes, risus, admiratio, ecstasis, tristitia, timor, ira, verecundia, commiseratio, & siqui alij sunt, de quibus bene erit, si non omnia, quæ ad ipsos attinent, at quędam tamen obiter & per transcursum dici.

De Gaudio et appetitu. Cap. 17.

QVòd igitur recepta boni specie gaudium fiat, nemini dubiũ est, verum non proprie gaudium dici videtur, quum sine phantasia simpliciter membrum aliquod per se bonum recipit, sed tum magis, quum animal ipsum iudicat, quod per phantasiam fit, vt dictum est: videtur enim gaudium totius animalis affectus quidẽ ob bonum apprehensum: apprehenditur autem bonum & ab intellectu, verum, quia hoc commune non est animalibus omnibus, vidẽtur autem gaudere omnia, propter hoc gaudium phantasiæ attribuitur magis, quæ omnibus animalibus est communis, aut perfectioribus. Si igitur præsens sit bonum, & habeatur, tum simplex fit gaudium, & fruitio boni: si vero apprehendatur quidem per phantasiam, præsens autem non sit, & non habeatur, aut nõ bene habeatur, tunc appetitus vocatus fit, hoc est motus animæ ad prosequendum bonum non habitum, aut non bene habitum: nihil enim est

aliud appetitus(vt & nomen ſonat) quã motus animæ ad proſequẽdum C bonum oblatum , non autem habitum : propter quod appetitus ex gaudio & triſtitia quadam compoſitus eſt: quatenus enim bonum percipitur, eatenus gaudiũ fit, triſtitia vero, quatenus non habetur, aut non commode habetur: quapropter mouetur anima ad conſequendum, fit enim motus omnis ad id, quod non habetur. Primus autem & ſimpliciſsimus appetitus fit, quum bonum quidem recipit anima, nondum autem profunde & penitiſsime habet: quare dilatatio fit cordis, quo ſecundum partes omnes fruatur bono. Interdum anima ſecũdum vnam partem habet, ſecundum aliam non, vnde & alius appetitus innaſcitur, vt ſecundum omnes partes fruatur: quare aut partẽ, quæ caret bono, ad aliam mouet, aut vtranque inuicem aſtringit, aut bonum illud ſucceſsiue de vna parte in aliam deponit: quo pacto ab infantibus admoto ad mammillam ore, primum aſtrictio oris fit vndequaque circa mammillam, & ſuctio lactis, deinde, vt & aliæ quoq; partes fruantur, attractio fit lactis de parte in partem vſque ad ventriculum: quæ quidem attractio non ſolum ſimplex eſt à ſpecie facta, ſed & organica, hoc eſt per conſtrictionem & dilatationẽ villorum factam per modum dictum, quo partes in toto mouentur, prout expedit, ſpecie boni percepta per phantaſiam: non ſunt autem hi motus, & ordo inter membra abſq; fine naturæ cognito, q̃q̃ particularia mẽbra ſimpliciter agant. Interdum oblatum bonũ nullo modo habetur, ſed D ſeparatũ eſt, appetitus nihilominus fit ad ꝓſequendum, vnde animal ipſum ſeſe aut totũ mouet ad bonum, aut partem aliquã, vt manũ, quo magis potiri poteſt: verum actio hæc non ſtatim fit nato animali, ſed in quibuſdam longe poſt, & non niſi iam phantaſia habente experiẽtiam multorum motuum, vt lacertorum, & aliorum ijs ſeruentium: quo pacto tandem ꝓgreſsio fit, quippe è paruis principijs & motibus ad maiores, & demum ad maximos peruenitur: tantus eſt conſenſus partium & inter ſe, et in toto. Porrò ſpecierum, quæ vt bonæ recipiuntur, aliæ fiunt cum abiectione contrarij, quod per ſucceſsionem quandam fit, & in tempore, vt ſedatio ſitis, & vniuerſaliter primarum qualitatum receptio: aliæ momẽto, & ſine motu perficiunt, vt viſio: quæ igitur cum motu accidunt, & in tempore fiunt, delectare magis videntur, quia longior eſt voluptas, & diutius producitur: quę vero momento perficiunt, quaſi ſimul fiant, & factæ ſint, delectant minus: atque hoc modo ſe habent, quæ gaudium faciunt. Quoniam autem & per phantaſiam & per intellectum homo apprehẽdere, & appetere bonũ poteſt, reliqua vero animalia per phantaſiam ſolum, appetitus quidem in homine, qui per intellectum fit, voluntas dicitur, qui vero tàm in homine, quàm in alijs animalibus per phan-

taſiam

A tasiam fit, appetitus simplex dicitur: est autem & voluntas motus animæ ad consequendum bonum per intellectum oblatum, non autem habitum. Consultat quidem intellectus, & ratiocinatur, & bonum ostendit, & eligendum, quo oblato, si non habetur, motus fit animæ ad consequēdum, quæ voluntas dicitur. Affectus porrò alius, qui ex gaudio proficiscitur, est amor vocatus: duo enim quum ad gaudium concurrant, receptio scilicet boni, & causa, siue res, quæ bonum illud producit, si quidem consideretur anima, quatenus bonum recipit, & apprehendit, sic quidē simpliciter gaudet: si vero consideretur, vt & causam respicit, quæ gaudium illud facit in ipsam, sic quidem amor fit, hoc est desiderium quoddam, quo & illi rei bene esse optatur, qui amor vocatur: quòd enim amor eiusmodi sit, illud monstrat, quòd, res ille si bene habent, lętamur, si male, tristamur. Quapropter amor per se causam respicit secundum se, quæ gaudium facit, quem affectum magis exprimit nomen beneuolentiæ: & simpliciter quidem non aliud est amor, q̃ beneuolentia rei, qua gaudemus: quòd si rem illam in voluptatem nostram vertamus, non amor est, sed libido: amor.n. per se omnis purus est, & nihil aliud vult, nisi vt bene sit illi rei: quem amorem non solus homo, sed & alia animalia habent, quibus phantasia & memoria inest, nā & filios ea tueri videmus, & ijs escas parare: propter quod & diuina res est amor, & à natura propter finem diuinum datus.

B

De tristitia, et odio. *Cap. 18.*

SIcut igitur recepta boni & conuenientis specie lætitia fit, ita recepta specie mali & dissentientis tristitia innascitur, quæ proprie tristitia dicitur, quum animal ipsum iudicat per phantasiam: quanquam etiam tristitia dicatur, & quum membrum aliquod per se mali speciem recipit. Est autem & in tristitia appetitus suus, hoc est motus animæ, sed hic est ad euitandum malum, qui est primus & simplicissimus appetitus, qui in tristitia fit. Sunt autē plures modi, quibus anima malum euitat: primus est refugere, qua potest, propter quod constringitur membrum, sic enim secundum partes multas refugit, nisi intrinsecum sit malum, tunc enim dilatatur, vt dictum est: quum vero constringitur, si diu ferre eum situm non potest, tum aut motum facit compositum, modo dilatando se, modo constringendo, aut motu tremulo agitur, aut excussionem nocentis tentat, membro sese repente & impetu quodam laxante: quod quidem in simplicibus mēbris sine phantasia motis naturaliter fit eo modo, quo dictum est: in animali autem iudicante per phantasiam maiori quadā eruditione fit, edocta iā phantasia plures motus. Quis mōstrauit Asel-

lo rudisimo animali, quum pungitur, pellem primo constringere, mox C repentino quodam ac grandi conatu facto eandem laxare, & distēdere, ac per eum motum lædens excutere? nempe prius natura docuit constrictionem facere recepto nocēte, mox & eadem dilatationem docuit, partibus, quæ prius constrictæ fuerant, non potentibus diu eo sub situ stare: quos motus vbi semel edocta fuit phantasia, tum quasi facta arte quadā & memoria promptisime eum excusionis motum operatur: operatur autem modo hoc, modo alio ingenio, modo pedes admouendo, modo manus, modo alia membra, per quæ nocens abijcitur: ꝙ si nullo modo p̄pellere, et amouere posse iudicet, animal ipsum fugit, et amouet sese à nocente. Sicut autem in gaudio erat & gaudium simplex, & amor, ita in tristitia est & simplex tristitia, & odium, tristitia quidem, quatenus anima sub recepto malo male habet, odium vero, quatenus causam respicit, cui male vult: est enim odium desiderium quoddam, quo male optamus causæ, à qua tristamur. Est autē & in animalibus, omnibus, aut perfectioribus sua maleuolentia, in quibusdam quidem conspicua, in quibusdam obtusior, in quibus imperfecta quædam est phantasia: sunt enim animalium, quæ solum refugere à malo nouerunt, quædam vero, quæ etiam repellere possunt. Hominum autem alij natura tristes sunt, alij lætabundi magis, tristes sunt, qui contrarijs resistere minus possunt, læta vero obire non sunt idonei, lætabundi autem, qui & ad læta aptisimi sunt, & tristibus maxime possunt resistere. Qui igitur pauci caloris sunt, & exangues, D ac debiles, vt senes, & ægri, & conualescentes, parum resistere contrarijs possunt, quare vt plurimum tristes sunt: porrò & hi, & qui melancholici natura sunt, & amarioris sanguinis, ad læta minus idonei sunt, quare nec ea vti læta recipiunt, vt spectacula, veneres, commessationes, conuentus, lusus, & id genus: ægri quidem, & pauci caloris, quia non possunt, & dispositionem non habent: melancholici vero, quia ad contraria dispositi sunt. Iracundi vero & ipsi non lætantur, quia ira non sine tristitia quadam est, qui vero optime sani sunt, & multo abundāt sanguine, & eo quidem dulci & leni, non acri, et bilioso, & melancholico, ij quidem, quòd & maxime resistūt contrarijs, & ꝙ optime dispositi sunt, omnia fere aut vti læta recipiunt, aut vti minus tristia, quare & ad societates, & cantus, & spectacula, et lusus, et alia id genus maxime proni sunt: vnde et iuuenes, et pueri maxime gaudentes sunt. Alij præterea maxime amant, qui scilicet & læti natura sunt, multa enim recipiunt vti grata: talium autem est amor: alij parum amant, qui et tristes natura sunt, plurima enim odere propter contrariam causam, ꝙ omnia fere vti ingrata recipiunt: in ijs autem odium versatur. Sunt porrò qui neminem fere amant, nam, quē-

admodum

A admodum inter animalia quædam sunt, quæ reliqua ferè omnia odere, & persequuntur, vt serpentum genus, ita et inter homines quidam sunt, qui reliquos odio habent: quod et in gustu quoque accidit, in quo dispositiones quædam inueniuntur, quæ edulia fere omnia abominentur: sicut igitur in his praua quædam constitutio est in lingua, & stomacho longe ab ea, quæ ordinario, & vt plurimum fieri à natura solet, ita & inter animalium species, et inter homines ipsos censendum est in quibusdam alienissimam ab eo, quod vt plurimum est, constitutionem esse humorum, et complexionis, per quas reliquos odio habent. Aliç his opiniones sunt, alij mores, alius color, alius aspectus, sanguis eorum cænosus, turbidus, et quadam sordida melancholia redundans, quibusdam quidem frigẽs, quibusdam exustus, qui et insolentes sunt, et superbi, reliquos despectui habentes, ad seipsos omnia trahentes, inuidi præcipue, vtpote maleuoli. Atque ita se habent tristitia, et gaudium.

De timore. *Cap. 19.*

QVòd autem et timor tristitia quædam sit, manifestum est, omnes enim ex malo aliquo timemus: si igitur malum præsens iam sit, et lædat iã, tristitia simplex fit, si vero præsens non sit, sed immineat vt affuturum, tum timor vocatus et pauor fit: nihil enim aliud est timor, q̃ tristitia ex imminenti malo. Primum autem, quod in timore fit,
B est fuga caloris introrsum, eius quidem, qui extra cor est, versus cor, eius autem, qui in corde, in penitissima cordis: propter quod timentes et pallent, & tremunt calore deserente membra. Fit autem in timore maxime concursus caloris ad cor et fuga, quoniam et laborat maxime cor: in simplici namq; tristitia, præsente malo in aliquo membro, phãtasia quidem fit euitandi malum in ea parte aut per constrictionem, aut per motũ tremulum, aut per excusionem, aut aliter, ipsum autem cor per se non laborat: at vbi species mali imminentis ad phantasiam, et ad cor fertur, ipsum quidem per se laborat, quare maxime ad ipsum fit caloris cõcursus. Fit quidem interdum, vt et in simplici tristitia laboret cor, vt in nuncio cæsi filij in prælio, aut fugati exercitus, et eiusmodi: verum differt et hoc à timore, ꝙ in timore simul cum tristitia semper anima videtur satagere, et consilium quærere, vnde confunditur, & tremit, in nuncio autẽ fugati exercitus sola tristitia fit: cuius signum est, ꝙ, si nũtietur fugatum esse exercitũ, adhuc tñ incertum sit, tremor simul & timor cum tristitia illa iũgitur, eo ꝙ anima satagit, & cõsilij confusa est, & nescit, quid faciat: propter quod minus timent, qui consilium capiunt aduersus iminẽs malum, vnde &, quum de improuiso imminet malum, timemus magis.

Eorum

Eorum autem, quæ timorem incutere ſolẽt, multiplex eſt natura, vni C
uerſaliter autem quorum miſtiones & naturæ contrariæ ſunt, & multũ
diſsimiles, ſicuti per inimicitiam quandam & diſconuenientiã recipiun-
tur ab anima, ita &, ſi ſub modo aliquo, quo nocere poſsint, recipiantur,
timorẽ inferunt. Miluo quidem & Pullo gallinaceo inimica natura eſt:
non timet autem Miluus viſo Pullo, ꝙ nihil ab ipſo lædi poteſt, pullus
autem contra viſo Miluo expaueſcit, ꝙ naturam eius vti inimicam & no
cere potentem recipit: elephantis autem & equi natura cum pullo nõ eſt
contraria. Videtur autem natura non fruſtra hunc timorem inſinuaſſe
animalibus, quo poſſent & fugere, & ſe tueri: quinimo & propter hanc
cauſam non ſolum voluit formas contrarias formidabiles eſſe, ſed & cer
tas figuras & motus, ſub quibus delata ſpecies timorem apportet: ꝓpter
quod non ſolum verus Miluus, ſed & fictus ſimilitudinem habens galli-
naceo pullo pauorem infert.

Eſt autem animalium inimicitia interdum cum tota ſpecie, interdũ
non cum tota ſpecie propter certa quædam: qua de cauſa cum Pſillis &
Marſis non ea ſerpentum inimicitia eſt, quæ cum reliquo genere, ſiue ſit
miſtio ijs non omnino cõtraria, ſiue odor, ſiue aliud, per quod ſpecies mi
nus ingrata accidat: quæ amicitia & inimicitia naturæ ĩter homines quo
que verſatur: propter quod alios ſine cauſa odimus, alios amamus ꝓpter
modos, cum quibus ſpecies rerum ad animam veniunt, qui ſunt conue- D
nientia & diſconuenientia. Formidoloſa quoq; ea ſunt, quæ vti prorſus
ignota pertingunt ad phantaſiã: dico autem ignota non quantum ad vni
uerſale illud, quod cognitionẽ facit, vt color, ſonus, & id genus, ſed quan
tum ad coniuncta, quæ ſub ipſo vniuerſali latent: quum .n. neſcimus, quę
ſint, & an bona, an mala, tum ignotum illud pertimeſcit anima, ꝙ phan-
taſia fiat de ſublatente, atq; imminente malo: propter quod & noctis, &
ſolitudinis, & maris, & præcipitiorum imago & belli formidabilis eſt:
omnium .n. horum phantaſia fit coniuncti cuiuſpiam, quod nocere poſ-
ſit: cuius ſignum eſt, ꝙ aſſuefacti nihil prętereà timemus, quaſi ſecuri: hac
de cauſa ſæpe expaueſcimus ex paruo lapilli caſu, ſi impræuiſus accidat:
& ſuperueniente nobis aliquo, vel etiam amico, ſi de improuiſo ſuperue
niat, timor fit, ꝙ nondum parata anima ſit, & non cognoſcat, re autẽ co-
gnita ſtatim ceſſat timor. Eadem de cauſa in Ephialte, quem alij incubũ
vocant, formido fit, quoniam per ſomnum obſtructis neruis illis, qui ad
pectus eleuandum veniũt, & prohibita dilatatione illius, memoria ſubit
eorum, quæ ſolent eam dilatationem prohibere, inter quæ occurrit pon-
dus aliquod nos opprimens: quare phantaſia fit ponderis nos opprimen-
tis: hoc aũt quum vti ignotum offeratur, timor fit: facto autẽ timore rur-

ſus

A ſus memoria fit terrefacientium,inter quæ nobis occurrit aut Dæmon, aut quid ſimile,antiquis autẽ Ephialtes gigas:ſemper.n.in ſomno ea primo occurrunt,quæ maxima ſunt in vno quoq; genere:quare tandẽ phantaſia fit dæmonis alicuius,aut alterius ſimilis nos opprimentis, vnde excutimur præ timore.Sunt porrò magis & minus timoroſa ea, ad quæ magis & minus ſumus potentes:alij ſcalas timent aſcendere, ꝙ minus agiles ſint,alij nihil timent,ꝙ agiles ſint,& alij ponti anguſto committi expaueſcunt,alij non.Timidi vero natura ſunt,qui frigidi magis ſunt,quales mulieres,eunuchi,ſenes,& melancholicorum genus,contra vero audentes magis,qui natura ſunt calidi,& multi ſanguinis,& ſpirituum : ea enim eſt optima animæ diſpoſitio,per quam ipſa maxime põt, & operatur,& reſiſtit : operatur autem,& poteſt per calorem : quare quibus is eſt plurimus,& minus confunduntur in periculis, et ſemper conſilium capiunt,&,ſi pars ſanguinis & ſpirituum introrſum fugit,pars tamen multa relinquitur,quare nec tremunt,nec pallent ſicuti alij,et ſe tuentur. Timidiores quoq; ſunt cæteris paribus,qui paucorum habent experientiã, multa enim ijs vti ignota offeruntur:propter quod pueris maxime infertur timor,experti vero,& ſecuri,& potentes diſtinguere coniuncta cum rebus,pauciora expaueſcunt:ſunt tamen nõ nulli,qui,ꝙ experti nõ ſunt, quæ ſubſunt rebus,multa non timent,nondũ enim nouere pericula, quæ
B coniungi conſueuere:ꝓpter quod & qui plura conſiderãt, et plura experti ſunt,interdum magis timent,ꝗ̃ qui ad pauca aduertunt,vt ebrij , et qui natura ſimiles ebrijs ſunt.

De admiratione,et Ecſtaſi,et riſu. *Cap. 20.*

SI vero nouum aliquid vti ignotum offeratur , non tamen phantaſiã faciens imminentis mali,tunc nõ timor fit,ſed admiratio ſola : nihil enim aliud eſt admiratio,quàm ſuſpenſio animæ,ſeu fixio , et applicatio intenta:nam et tenduntur nerui,et calor,ac vis omnis animæ ad id affigitur,vnde & intentio vocatur.Si igitur ignotum illud vt ſimpliciter ignotum offeratur,tunc inquiſitio ſola fit,ideſt applicatio animæ ad eam rẽ, et ad coniuncta cum illa,ad quæ mouetur de vno in aliud:quod quomodo fiat,difficultatem non paruam habet:diximus autem de eo in ijs, quæ à nobis de intellectione alias ſcripta ſunt.Si vero,quod offertur vti ignotũ,ſub ratione offeratur cuiuſdã magnitudinis conſueta longe excedentis,ſed rei tamen,quã per opinionẽ veneramur,et amamus, tunc ecſtaſis vocata fit,hoc eſt mentis phantaſiæq; exceſſus quidã in admiratione, per quam ab omni alia re diſtracti,ĩmotiq; reddimur,et inſenſitiui:quod maxime ijs accidit,qui aut vere ſancti ſunt,aut ſibi ex melãcholijs videntur:

his

his enim & angelorum choros & Deos videre apparet. Idem & amantibus interdum euenire consueuit ex ingenti intentione in rem amatam, sæpe enim adeo magna est, vt species ea in phantasia perinde moueat, ac si in oculis esset: nihil enim refert ad apparentiam faciẽdam, siue species deforis veniat ad oculos, siue introrsum: propter quod videre sese putant, & obstupescũt, & extra se fiunt. Si vero res sub ratione magnitudinis oblata sit, sed rerum timendarum, vt Demonum, & Manium, tunc affectus supra ecstasim fit, qui nomen non habet, sed ab effectu horror appellatur: horrescimus enim, & rigidi euadimus, admiratio enim tensionem facit, timor frigiditatem, vnde quasi congelati distentiq; neruos & pilos, immoti stamus. C

Noua quoq; ea sunt, quę risum mouere solent. Verum illud in primis sciendum est lætitiam omnem cordis spirituum & diaphragmatis dilatationem facere, horum autem dilatationem dilatare & musculos, qui à lateribus buccæ sunt, ac facere motum illum oris, qui risus dicitur, qui in natura finem aliquẽ habet, quo lætitia interna in facie manifestetur: qua de causa, quum aut amicis & familiaribus, aut filijs, et vniuersaliter charis occurrimus, præsertim si vti noui aduenient, ridere solemus, & lætitiam ostendere. Verum hæc non proprie ea sunt, quæ ridicula dicuntur, neque eiusmodi proprie risus est: res autem, quæ proprie risum mouent, sunt in primis nouæ, repentinæ, leues, ac ludicræ, habentes argutiã quandam, & cõcinnitatem ad aliud, ab his enim maxime ridere solemus: quales sunt facetiæ, & quæ mimi repræsentant, et personati, & extranea quędam subito ac concinno quodam casu facta, vt si quis ad negotia sua intẽte pergens subito labatur: hęc enim omnia vti noua offeruntur, & ꝓpter nouitatem subitam admirationem inducunt: repentina autem esse oportere monstrant facetiæ, quæ quum protenduntur, & affectate dicuntur, leporem et salem omnem amittunt, subito enim ferire volunt: leues autem res esse debent, alioqui, si seriæ sint, non risum facient, vt si, qui mimus est, sit pater, aut qui labitur, male afficiatur: porrò delectant hęc, quoniam argutiam habent et concinnitatem quandam. Oportet autem scitu facilem esse argutiam, alioqui inquisitionem faciet non risum: quæ igitur eiusmodi sunt, omnia subitam et repentinam admirationem, ac repẽtinam etiam delectationem faciunt, admirationem quidem, quia vt noua offeruntur, repentinam vero, quia subito oblata, delectationem vero, tum quia cognoscuntur facillime (delectat enim omnis cognitio, vtpote animæ finis, & perfectio) tum quia appositam ad aliud concinnitatem habent, qua de causa et trãslatio delectare solet: delectatio autem omnis vtpote res læta expansionem cordis facit, hęc autem motum oris, qui ri- D

sus

A ſus dicitur. Quòd autem appoſitam quandam concinnitatem habeant, quæ riſum mouent, monſtrant & facetiæ, & mimi, & perſonati: facetia .n. omnis arguta eſt, vnde & ſales dicti ſunt: mimi vero propter aptã imitationem maxime delectant: perſonati vero & ipſi imitantur: non omnes autem riſum mouent, ſed qui per noua quædam, & extranea, quæ quatenus talia, admirationem primo ſubitam faciũt, mox delectant, ſi apta ſit nouitas. Eſt autem & in eo, qui cadit, & inopinate labitur, ſua concinnitas, quæ delectat, aptiſsime enim videtur fieri, vt qui intẽte in rem ſuam pergit, repẽte labatur, nullus enim (vt dici ſolet) poterat illi accidere pulchrior caſus. Quis non ridet, qui videat duos monachos ſuper equo aliquo, q̃ calcitret, & deijcere illos patres velit? nimirum appoſitiſsima res eſt, & facetiſsimus caſus: quòd ſi periculum aliquod graue ijs immineat, iam non riſus fiet, ſed timor, & pietas, quoniam res ſeria fit, nõ amplius iocoſa & ludicra.

Eſt autem riſus compoſitus ex admiratione & lætitia motus, propter quod & quædam contranitentia in riſu eſt, admiratio enim ſuſpenſionẽ quandam in anima facit, lætitia vero expanſionem: qua è re fit, vt, quum producitur riſus, non ſine moleſtia fiat: q̃q̃ & alia quoq; cauſa coniungatur, q; non debite perflatur cor in illa quaſi cõtinua expanſione exiſtens. Aſsimilatur autem riſui & is, qui ex titillatione contingit, compreſsis ca-

B pitibus lacertorum quorundam, & neruorum, vt coxarum, & plantæ pedis, & ſubalarum: non eſt autem proprie riſus, ſed aſsimilatur, quoniam & ille miſtus eſt motus ex ſuſpenſione et dilatatione cordis repente factis: quod accidit non quomodocũq; compreſsis, & tactis lacertis, & neruis illis, ſed leuiter tantum, & per ſumma, ac ſubito præſsis, & ſubito etiã dimiſsis, atque ita alternatim dimotis: ex primo enim cõtactu & leui preſſione quidam veluti horror repentinus accidit, qui ad diaphragma & cor pertingens repentinam contractionem et ſuſpenſionẽ animæ facit, mox ſubito etiam dimiſsis neruis illis ſubito etiam ceſſat horripilatio, & cor ad propriam naturam redit, quod cum delectatione, & gaudio fit, & dilatatiõe: eſt autem tam ſubitus vterq; motus, vt ſimul pene ſint ſuſpẽſio animæ et dilatatio, quod & in riſu quoq; contingit: propter quod et hic quoque proportionale quiddam riſui contingit, non ſine moleſtia quadam.

Nemo autem ſeſe ipſum titillat, quoniam ſubita quædam horripilatio eſt, quod titillare dicimus, ſubita autem fit titillatio, & repentina, quum anima imparata, & nõ aduertente contactus fit, at ſeſe tangente aliquo ſemper parata, & aduertens anima eſt, alio vero tangente, etiãſi aduertere velimus, horror nihilominus fit, quia tã continua nõ eſt animaduerſio illa, vt tamen non tangatur tanq̃ de improuiſo: cuius ſignum eſt, q;

ſi intentiſsime & obſtinate aduertamus, aut titillationē nō ſentimus, aut C minorem. Idē accidit, & ſi quis capillum alteri vellicet non aduertēti, ſubito.n. horreſcit, quod nemo patitur, ſibi ipſi capillū vellicans. Sunt autē alij ad riſum promptiſsimi, alij duriores: duo.n in riſu ſunt, admiratio ſubita rei nouæ, & ludicræ, & delectatio: qui igitur facillime admirantur, ij ex cauſa hac aptiores ſunt ad ridendum, propter quod pueri maxime, & mulierculæ, & plebs facillime ridere ſolent, grauiores aūt, & ſeueriores, vt viri, et ij quidem philoſophi minus in riſum ducuntur. Porrò, qui læti natura ſunt, aut ex accidenti aliquo, facilius in riſum mouentur, facillime.n. lætis afficiuntur ꝓp diſpoſitionem: quare per naturam iuuenes, & optime ſani, & qui ſanguinem plurimum habent, & eū dulcem, non bilioſum, non melancholicū, maxime ridere ſolent: ex accidētibus vero diſpoſiti quoq; ad riſum ſunt, q in lętitia quaſi ſunt cōſtituti, vt ebrij, & quibus multa adſunt eorū, quæ læta dicunt̄, ſi noua ſint: quare, & qui in cōuiuijs ſunt inter familiares & amicos, q̄ plurimū ridere conſueuere, imo ſępe adeo effuſe rident, vt continere non poſsint riſum, & incōtinentię notentur: cauſa eſt, (vt Ariſt. ait) q̄ ipſa lætitia quaſi riſus quidā eſt, & ij quodāmodo in motu ſunt ſemper, res autem in motu poſita adeo prōpte impellitur, vt contineri non poſsit: contra autem, qui aut natura, aut ex accidenti aliquo triſtes ſunt, vt melancholici, & quibus amarior eſt ſanguis, & ægri, & iracundi non facile ridere ſolent, qm̄ delectari nō poſſunt, vnde & aliqui viſi ſunt, qui nunq̄ riſere (vt de Philippi imperatoris filio legitur) qui ob id agelaſti appellantur. Nunc de ira dicamus. D

De Ira. *Cap. 21.*

QVòd igitur, quicunq; iraſcitur, ex offenſa aliqua iraſcatur, manifeſtum eſt: cognoſcitur aūt offenſa & per intellectum, & per phantaſiam. Iraſci autem cōe eſt animalibus omnibus, aut perfectioribus, quare & ijs per phantaſiā accidit, quatenus cōe eſt, iraſci. Nō eſt autem ira, quum non iudicante animali ipſo, mēbrum aliquod recepto nocente aut conſtringitur, aut ēt nocens expellit, ſed tum ſolum, quum animal ipſum iudicat: porrò nec, ſi animal recepta mali ſpecie phātaſiam faciat aut ſe contrahendi, aut aliter cauendi à nocente, aut ēt propulſandi, quatenus ſeſe à malo defendat, iraſci ipſum dicimus: neq;.n. aut in tuſsi, aut ſternutamento ira moueri animal dicimus, niſi cōi quadam appellatione: quare tum ſolum irā vocamus, quum & odiū fit in rem, quæ offendit, nec ſolū odium, ſed & appetitus nocendi illi, et quodāmodo vlciſcendi iniuriam: quod quum per mēbra exteriora fiat, vt ꝑ manus, aut pedes, aut cornua, aut dentes, et id genus alia, quibus natura animalia armauit

A necessarium animæ est vires colligere, ac mox demandare ad ea mēbra, quæ agere debent. Primum igitur quod fit in ira, appetitu nocendi oborto, est collectio caloris circa cor, vbi sedes animæ & vis est: propter quod recte aiunt esse iram sanguinis ebullitionem, hoc enim primo fit, mox, nisi quid impediat, transmissio etiam caloris collecti fit ad partes, quę nocere paratæ sunt: prohibent autem quædam eam sæpe transmissionem; vt aut timor maioris periculi, aut iudicium, ꝙ frustra id fiat, aut ratio, & eiusmodi alia: sed hæc accidūt: quare ira per se est appetitus nocēdi causæ nos offendenti, ex quo collectio caloris fit circa cor, & transmissio eiusdē per se ad partes, quę nocere habent. Nocent autē animalia nunc ꝑ has, nūc per illas partes, vt cuiq; promptius est, at homo, quum non aliter nocere potest, lingua iram conceptam monstrat, aut iurgijs, aut imprecatione mali, aut & blasphemijs in Deum, quem causam esse oīum, quæ fiūt, in opinione hominum est. Sunt aūt alij promptissimi quidē ad irascendum, tardi autem ad prosequendam vindictam: alij vero tardiores quidē ad irascendum, promptiores vero ad sumendam vindictam: alij ad vtrunque promptissimi: alij ad vtrūq; tardissimi. Qui igitur tristes natura sunt, et omnia ferè per displicentiam recipiunt, vt ægri, & male affecti, & ex alijs causis irati, et quibus biliosior est sanguis, & melancholici, omnes quidem hi, ꝙ ex omni causa facillime offenduntur, facillime irā concipiunt:
B tardius autem exequuntur, quicunq; ex his timidiores sunt, et pauci sanguinis, & frigidioris, tum vero & prudentiores, et rationi parentes magis: contra vero, qui bene valent, et multi sanguinis sunt, & lenioris, serius quidem irascuntur, & non facile, quia omnia fere vel vti læta recipiunt, vel vti minus tristia: at, vbi de offensa iudicium fecere, tum promptissime iram effundunt, et vlciscuntur: ad vtrunque vero impigri sunt, quicunque calidi quidem sunt, et multi sanguinis, sed biliosi, et amari, aut exusti melancholici, præcipue autem & irrationales, & superbi: superbi enim ex omni iniuria vel leui magnam iram concipiunt, quòd iniuriam non metiuntur, quātā per se est, sed quantus ille videtur, cui illata est: tardi vero sunt ad vtrunque frigidi natura, sed mites tamen, & ingenij haud peruersi: atque hi obliuiscuntur etiam iniuriarum, quod non ij faciunt, quibus crassus, & fibrosus est sanguis, quique inuidi sunt, & superbi, & praui ingenij.

De verecundia. *Cap. 22.*

Verecundia autem est tristitia de defectu proprio in præsentia alterius, propter quam fit motus sanguinis & caloris ad eas partes, quæ laborant maxime: laborat autē maxime facies in præsentia alterius,

qui iudicet defectus nostros, pp quod et erubescimus, et demittimus oculos in pudore: tristamur igitur, et dolemus ob defectũ proprium (vt pote malũ.) Nihil autem refert, siue actu fiat defectus ille, siue factus fuerit, aut immineat, omnino.n. tristamur, et, si nemo sit præsens, tristamur solũ, si vero alius, aut plures præsentes sint, non tristamur solum, sed pp præsentiam laborat facies, quasi ferre non potens præsentiam eius, qui nostrum defectum videt: propter quod natura quasi opem latura illuc calorẽ mittit, calor etiam sanguinem trahit, vnde rubemus: quod in adolescẽtibus signum bonum dici solet, signum est.n. ingenui animi, cui cura sit defectus proprij, et corrigi sit sperandum: in sene aũt verecundia laudari non solet, vtpote qui factus senex, correctus tñ non sit, et virtutem nõ habeat. Qui igitur arrogantes sunt, et sibi plurimum tribuunt, cæteros contemnunt, & nihili habent, quiq; scelerum & defectuum propriorum curam nullam habent, hi solent inuerecundi esse, pp quod impudentes cum ex probratione quadam nominantur: sunt tñ, qui inuerecũdi sunt, vel q, ad defectus proprios non aduertunt, vel nõ cognoscũt. Timidi vero, et qui alios non nihili faciunt, defectuum autẽ propriorum curam gerentes, & aduertentes, magis solent verecundia capi. Atq; hæc quidẽ de affectibus animi, & eorũ causis, et sympathijs, ac antipathijs dicta sint p trãscursum. C

De alijs quibusdam consensibus phantasiæ. Cap. 23.

QVosdam præterea consensus habet phantasia, quũ à memoria quorundam mouetur, aut valde intenta est: quippe alio oscitante & nos pariter oscitamus, si non aduerterimus: qđ fit excitata memoria alterius ab oscitatione, tum et facto repente et inaduertenter appetitu eiusdem, quod alias anima vti bonũ agnouit, vnde et nos simul oscitamus: nihil.n. refert ad faciendum eũ motum, an vapores aliqui pigri super musculis sint, vnde appetitus fiat excutiendi, an alio modo, & ex memoria innascatur idẽ appetitus, idem.n. omnino fit: innascitur aũt nõ aduertentibus nobis facta memoria, aduertentibus aũt non innascitur phãtasia rectum iudicante. Similiter et edente alio acerba quædã, memoria fit et appetitus consimilium, oĩs autem appetitus animã mouet, et calorẽ, anima autem, quæ in mẽbro est, quod appetit, quasi sibi deficiat aliquid in eo, suggerit pportiõale quiddã, aut saliuam, aut, quod melius iudicat: sicut et in veneris phantasia appetitu facto intenditur virga suggerente anima plurimũ spiritus: et dolente mẽbro calor et sanguis concurrit: ad q̃ si recte respiciamus, impossibile non existimabimus, quod de pregnantibus dicitur, remanere.s. in fœtu signa quorundã, quæ ipsæ auidissime appetiuere: siquidẽ facta ingenti quadam phantasia et appetitu quorũdã anima ex ijs, quæ in corpore sunt, pportionale aliquid mouet præcipue D

A in sanguine, ex quo quũ nutriatur fœtus, nihil prohibet signa quędã eius alimenti ita affecti in eo remanere, præsertim coloris, propter quod ea signa rubentia ferè omnia sunt, et exustionem aliq̃ in sanguine factã ostendentia: fortasse autem & figura cupitæ rei ostenditur, quod in eo, ꝓportionali anima ẽt figuram mentiatur. Eadem porrò phantasia intenta põt et fascinum inferre, non quidem ab vno quoq; hominũ, sed à certis solum, quorum humores et spiritus adeo remoti sunt à natura aliorum, vt pene venena sint: ij igitur concepto in infantẽ odio intentissime intuentes, spiritus quosdã ex oculis, et tota è facie eiaculantur, qui ad teneros infantis spiritus appliciti eos vti venena sensim absumunt: ex oculis autem, & toto è corpore euaporare insensibilia corpuscula monstrant specula, in quę mensibus laborãtes mulieres inspectãt, spurca.n. et squallore quodam ac situ obsita redduntur: legimus et familias quasdã fuisse in Creta, quæ laudando fascinum inferebant, quod certe vti possibile recipiendum est: existente.n. natura quorundã (vt dictum est) perinde ac venenosa, et eiaculatis ex oculis eorũ spiritibus perniciosis nihil ꝓhibet non infantes solũ, sed et grandiores fascino affici, laudando aũt maxime, qm̃ laus propria lętitiam parit, lætitia autem, vt diximus, dilatationem tũ cordis, tum & spirituum facit, tum et totius faciei, et præcipue oculorũ, vnde aditus quodã modo aperitur veneno, quod à fascinatore eiaculatur: qua è re forte enatũ est illud, quod præfamur, quũ aliquos laudare volumus, bene.n. prius

B ominantes, verba nostra, dicimus, tibi nõ noceant: quin et aliq̃ sunt, qui, dum laudantur, faciẽ auertunt, non tantum vt indicent molestã sibi esse laudationem, sed vt à fascino caueant, iam.n. in opinione est per laudationes fascinum fieri. Vtrum aũt & numeri quidam, et figuræ, et imagines sympathias quasdã et antipathias habeant ad amores, et odia, et fascinos, et vtrum verba, et cantationes, et id genus ligent, et soluant, alterius quidem est et temporis, et contemplationis.. De ingenio autem eorum animalium, quæ intellectu carent, et q̃uo nidos ad alendos fœtus, et telas ad capiendas escas tam artificiose fabricentur, et alia eiusmodi, nõ nulla quidem diximus in ijs, quæ de intellectione à nobis scripta sunt, nõdum autem emissa, neq; plane exculta, et digesta: quod faciemus, si vita & otium suppetet nobis. Atque hæc de sympathia et antipathia rerum, quantum attinet ad contagiones, pro tempore dicta sint.

De quibusdam dubijs à Rhamnusio scriptis. *Cap. vltimum.*

HAec quum iam impressa essent, ac visa à Ioan. Bapt. Rhamnusio Illustriss. Vene. Dñij Secretario, vtriusq; linguæ peritissimo, et eorũ, quæ ad bonas literas et disciplinas attinent, multa perdocto, gratulatus ille ꝓ vetere amicitia nobis, simul et nõ nulla dubia ad nos ꝑscripsit, et no-

uas

uas quaſdam ſympathias propoſuit, quarum rationem, ſi otium mihi fo C
ret, expoſtulabat, digna quidem omnia, de quibus conſideratio habere-
tur diligentiſsima. Nam, quum ego cauſam, ꝙ in nauigatoria pyxide per
pendiculum ſemper in polum ſpectet, retuliſſem in montes Ferri & Ma
gnetis, qui ſub polo ſunt, dubitationem ille non negligendam attulit, pri
mum quidem ꝙ, qui de ſubiectis polo partibus ſcribunt, nulli dicunt mō
tes Ferri, et Magnetis ſub polo eſſe: deinde ꝙ, & ſi dentur ij mōtes, cauſa
tamen ad eos referenda non videtur in noſtro mari, quando conſtet in
Ilua inſula iuxta Populoniam Italiæ eſſe Magnetis montes (inde .n. erui
omnem Magnetem, quo hic vtimur) nec tamen nauium illac prætereun
tium perpendicula ad eos montes verti, oportere autem ita fieri, ſi Ma-
gnetis ſpecies perpendiculū mouet, ꝓpinquiſsimis exiſtentibus inſulæ il
lius montibus: cur .n. nō magis moueāt, ꝙ̃ qui remotiſsimi ſunt ſub polo?

Ad hæc autem & miras quaſdam propoſuit antipathias, quarum vna
erat, qui fiat vt impoſito oleo in charta ita aptata, vt contineat, ſubiectus
ignis oleum quidem calefaciat, chartam autem non. Alia erat cōſimilem
habens rationem, cur & circa pomum circumuoluto tenui linteo, pomū
ab igne calefieri cernamus, linteum nec quicquam lædi. Addebat autem
& ꝙ à fulmine nauium malos ſæpiſsime videmus tangi, carinas autē nū-
quam. Tum & illud quoque quærebat, quæ ratio efficiat, vt feruente, &
exundante in ahenis ſaccaro, ſi butyrum ꝙ̃uis modicum imponatur, ſta- D
tim ſubſidat feruor, quo ingenio vtuntur artifices ad prohibendū, ne erū
pat ſaccarū. Vtūtur et alio ingenio ad idem purificandum, quod pariter
videri mirum poteſt: vbi .n. coagulari ſaccarum incipit, proijciunt in vo-
catas campanas, tum cretam tenuem cicotriconizant, ac ſuper imponūt,
qua campanæ oſtium patet, craſsitudine digiti: atq; ita ſaccarum purgāt
ſurculis omnibus, & feculentia omni ad cretam attracta. Hęc ſunt quę il
le nobis examinãda propoſuit, quod quidem faciemus à ſupraſcripto in-
ſtituto noſtro non recedentes, vt non ꝓprias & ꝓpinquiſsimas cauſas aſsi
gnare nitamur, ſed medias et ꝓprijs proximiores, quo poſsibile nobis ſit.

Primum igitur vtrum ſub Polo ſint Magnetis montes, nec'ne, ſub am
biguo relinquamus, ſcimus .n. eſſe, qui ſcribant planas magis eſſe eas re-
giones, de quo & doctiſsimus, atq; eloquētiſsimus Epiſcopus Iouius cir-
ca eam Sarmatiæ partem, quæ Moſcouia nunc dicitur, diligentē inquiſi
tionem ab incolis fecit, qui ne eos etiā inueniri montes retulere, qui Rhy
phei ab antiquis dicti ſunt: meminimus tamē nos quaſdam chartas vidiſ-
ſe earum, quas mundi mappas appellant, in quibus ſub polo montes no
tati erant (qui Magnetis montes inſcripti fuerant.) Siue igitur ſint, ſiue
non ſint ij montes, nihil ad nos in preſentiarum attinet, quando per mō-

tes

A tes polo subiectos cathenam illam montium intelligimus, qui ad septentrionem spectant tanti, et tam vasti, ac Ferri et Magnetis feraces: qui, & si magis distant à nostro mari, quàm Iluæ insulæ montes, potentiores tamen sunt ad mouendum perpendiculum propter abundantiam & copiā Ferri, & Magnetis. Fortasse autē, et qui in Ilua est Magnes, non multæ actionis est in ea minera: multi.n. dum in minera sunt, minus valent, quàm extracti, quòd spirituales species sua habeant impedimenta: signum autem parum valere in sua minera Iluæ insulæ Magnetem, quòd tam propinquus quum sit nauigijs illac prætereuntibus, perpendiculum tamen non ad se cōuertit. Incalescere autem & feruere in charta oleum, chartam non accendi, communem habet rationem cum lebete, in quo aqua quidem feruet, lebetis fundus friget, et pomo, quod et ipsum calefit linteo illæso. Horum autem omnium causa est antiparistasis: frigida.n. sunt aqua, oleum, pomum, propter quod prohibent intermedium calefieri. Sed quomodo calefiunt ipsa, si mediū nō calefit? actio enim omnis contactu fit, ignis autē non tangit aquam, oleum, pomū, nisi per intermedia lebetem, chartā, et linteum: hæc autem nisi calefiant, ac tantum calefiant, quantum aqua, & oleum, & pomum, non videtur, quomodo calefieri possint: quòd si calefiāt, quo pacto igitur per antiparistasim & frigiditatem prohibent, ne intermedia incalescant. Dicendum porosis existentibus lebete, charta, et lin-
B teo citissime calorem contrahere aerem, qui in poris includitur, ac per ipsum incalescere aquam: porrò, quicquid aquæ calefactū est, tolli statim, et ascendere, ac loco eius subsidere aquæ partē nihil calefactam, quæ lebetē infrigidat, qua pori non sunt, atq; ita cōtinenter fieri, vt aquæ pars cedat, et tollatur, pars succedat, et refrigeret: ita et oleū facit, nam et ipsum actu frigidum est: ita et pomū, quoniam humidū est, et frigidum, et semper pars eius aliqua frigida tangit intermediū, ac calefieri prohibet per certū tempus.

Cur vero Fulmen nauiū malos tangat, carinas autem et spondas, quæ iuxta aquam sunt, non, dubitationem maiorem habet, si modo verū est, quod fertur: nam et de Lauro traditur non feriri ipsam à fulmine, quod non satis certum est: eo autem recepto, quòd res ita se habeat, promptior quidem potest esse ratio in Naui, quàm in Lauro: nam antennas feriri à fulmine facile est, quòd altę sunt, alta autem à fulminibus peti in prouerbio etiam est: causa autem est, quòd fulmen vapor est quidam mistionis fortis, qui in altis gignitur, et extrusus è nube in latus acquirit impetū, quare alta maxime ferit: interdum tamē impetus in ima inclinat, verum, vbi antiparistasim inuenit, aut frangitur, aut & repellitur: dictum est enim supra contrariorum species fugare contraria: igitur iuxta aquas quum descendit vapor, partim quidem frangitur, partim repellitur, quoniam aer

aquis

aquis vicinus plenus est vaporibus frigidis ex aqua eleuatis,qui tum ma- C
teriali antipathia,tũ spirituali frangunt,ac repellunt fulmẽ:quare carinas
& ꝓximas spondas aut non tangit fulmen,aut fractũ non ĩmutat.In Lau
ro autem vtrum talis antipathia sit,incertum est:illud magis in causa pu
tarim,ꝙ Laurus rotunda admodũ est,et corticis densi ac læuis, à quibus
omnibus fit,vt incidens vapor nõ inhereat:propter quam rationem nec
columnas à fulminibus tangi videmus,ꝙ rotundæ tersæq; sint.

Butyrum aũt iniectum cõpescere feruorẽ saccari dignã habet inquisi
tionem:idem vero & Oleũ facere videmus in pulmenta,si qua corpulẽ
tiora sunt,vt in fabæ et ciceris lomenta,feruorem.n.et exũdantiã eorum
cõpescit.Horum autem causa est,ꝙ duo præcipue concurrunt,quum fer
uor exũdans fit, alterũ est excessus caloris,et vaporum copia breui facta,
alterum est obsistentia feruentis rei,si corpulentior sit,multum.n.exten
ditur et in magnas ampullas prius,quã scindatur:propter quod et dupli
citer ẽt compescitur exundantia illa,vno modo,si calorẽ & vapores fran
gas,qui extendũtur,quod fit iniectis frigidis vt aqua,alio modo,si ipsum
obsistens ita præpares,vt extendi in magnas ampullas nõ possit,quod fa
ciunt vnctuosa iniecta,diuiduntur.n.ipsa ad minimas,et non vltra diuisi
biles partes,quæ intermistæ partibus corpulenti humidi prohibent extẽ
sionem amplã fieri:extensio.n.rarefactio quædam est,rarefieri autem nõ
admodum possunt minima vnctuosi,tum ꝙ minima sunt , tũ ꝙ tenacis D
mistionis:quare,quũ vndiq; interposita intermistaq; sint obsistẽti,faciũt,
vt nec ipsum obsistens recipere extensionẽ possit,nisi paruam,et per par
uas ampullas factã:quare exundantia cõpescitur,et feruor fit per ampul
las crebras,et paruas. Vnctuosa aũt sunt præcipue oleum,et butyrũ,et be
ne diuisibilia in minimas particulas:at butyrũ cum saccaro ꝓbe conuenit
propter dulcedinis,et pinguitudinis sympathiã,quare,et si modicum sit,
sufficit tñ ad compescendam exũdantiam saccari,qm̃ bene miscibile est,
et modicum omne in multa partibile.Creta vero imponitur supra cam
panæ ostium,non ꝙ ipsa attrahat fœculenta,sicuti magnes ferrum,sed ꝙ
prohibendo exhalationem inclusi ignis et vaporum fit,vt penitissime va
pores permeent per saccarum,qui mox ascendentes secum ferunt agglu
tinatas omnes sordities,et sursum impellunt,quæ herẽtes cretæ propter
tenacitatem sic reddunt purum & syncerum saccarum.

Si igitur ꝑ hæc et doctissimo Rhãnusio,et alijs factum est satis,tibi pręsertim Cardinalis amplissime,mihi quidẽ et gaudeo,et gratulor,sinautẽ et alia desiderantur, excusabit me horũ consensuũ et dissensuũ natura, quæ adeo in abdito est.Si q vero laborẽ nostrum cõmendabunt, aditũq; et viã per nos apertam his rebus fatebuntur,id omne debebunt tibi.

DE



HIERONYMI FRACASTORII
DE CONTAGIONE
LIBER PRIMVS.

Quid sit Contagio. *Cap. I.*



NVNC autem de Contagione prosequamur, cuius gratia tot de sympathia & antipathia rerum quæsita sunt, ab ijs incipientes, quæ vniuersalia magis videntur, & aliorum principia. Quòd igitur contagio sit quędã ab vno in aliud transiens infectio, vel ipsum nomen ostendit, in duobus enim semper contagio versatur, siue illa duo diuersa sint, siue duæ continuæ vnius partes: verum, quæ inter diuersa fit, simpliciter & proprie contagio dicitur, quæ vero inter duas vnius partes, non proprie, sed quodam modo. Videtur autem & consimilis esse in vtroq; infectio, & cui contagio fit, & à quo, tum enim contagionem factã dicimus, quũ simile quoddam vitium vtrunq; tetigit: quam ob rem, qui hausto veneno pereunt, infectos quidem fortasse dicimus, contagionem autem accepisse, minime:
B & in aere quæ simpliciter putrescunt, lac, & carnes, & reliqua, corrupta quidem vocamus, non autem contagionem passa, nisi & aer ipse corruptus consimiliter fuerit: de hoc autem diligentius in sequentibus inquiremus. Videtur autem actio omnis & passio aut circa rerum substãtiã fieri, aut circa accidentia: contagionem autem accepisse quẽpiam nõ appellamus, ꝙ calefactus ab alio fuerit, aut factus vitiosus, nisi per transumptionem: quapropter videtur contagio consimilis quædam infectio secundum substantiam. Vtrum igitur, quum domus incendio vicinæ ardet, cõtagionem vocemus? at certe neq; hæc contagio est dicenda, nec in vniuersum, quum totum ipsum corrumpitur primo, secũdum ꝙ totum est, sed tum magis, quum in particulis minimis & insensibilibus quædam infectio fit, & ab illis incipit: quod & nomen infectionis ostẽdit, infectum enim vocamus non corruptum, qua totum est, sed quodãmodo, & circa insensibilia: totum autem voco ipsum compositum, particulas vero minimas, & insensibiles voco eas, ex quibus compositio fit, & mistio. Exustio igitur circa totum ipsum fieri videtur, contagio autem circa particulas componentes, quanq̃; & ab ijs mox corrumpatur & totũ ipsum: propter quod & mistorum passio quædam videtur contagio. Quoniam autẽ dupliciter corrumpuntur, & intereunt mista, vno modo per aduentum cõ-

trarij, sub quo consistere non potest eorum forma, alio modo per dissolu C
tionem mistionis, vt in putrefactis contingit, dubitationem fortasse habet, vtro modo contagio fiat infectione in particulis minimis illata: ad hæc autem & qualis nam sit hæc infectio, vtrum corruptio earum particularum, an alteratio sola, & quid demum patiantur: quare & illud potest dubitari, vtrum cõtagio omnis sit putrefactio quędam. Quæ omnia manifestiora quidem fient, si contagionum differẽtias primas, & earum causas in primis perquisiuerimus: nunc, si licet aliquo modo contagionis rationem subfigurare, dicemus contagionem esse cõsimilem quandam misti secundum substantiam corruptionem, de vno in aliud transeũtem infectione in particulis insensibilibus primo facta.

De prima contagionum differentia. Cap. 2.

TRiplex autem videtur esse prima contagionum omnium differentia: alia enim contactu solo afficiunt, alia præter hoc & fomitem quoq; relinquunt, & per ipsum contagiosa sunt, vt scabies, phthisis, areæ, elephãtiasis, & id genus: fomitem appello vestes, ligna, & eiusmodi, quæ incorrupta quidem ipsa existentia conseruare nihilominus apta sunt cõtagionis seminaria prima, & per ipsa afficere: nonnulla porrò sunt, quæ non contactu solo, non solo fomite, sed & ad distans etiam transferunt contagionem, vt pestilentes febres, & phthisis, & lippitudines quædam, D
& exanthemata illa, quæ variolæ vocantur, & similia. Videtur autem ordine quodam se habere hæc, nam, quæ ad distans faciunt contagionem, ea & fomite & contactu afficere consueuere, quæ vero fomite contagiosa sunt, eadem & contactu contagiosa sunt, ad distans autem nõ omnia, at contactu omnia: quapropter & simplicissima est, & natura prior ea cõtagio, quæ solo contactu afficit, quare & de ea primo agemus inquirentes, quomodo fiat, & per quod principium, mox & de alijs, vt videamus an omnium sit commune quoddam principium, an diuersum in singulis, & quid proprium habeat vnaquæq;.

De contagione, quæ solo contactu afficit. Cap. 3.

VIdetur autem, quæ inter fructus contagio versatur, maxime eiusmodi esse, quæ solo contactu afficiat, vt vuæ ad vuam, & pomi ad pomum, quare quærendum est, quod nam eius infectionis principiũ sit: ꝙ enim tangentia sese isthæc afficiantur marcescente aliquo illorum primo, manifestum est, quo autem principio, non manifestum: quoniam autem primum, vnde omnis infectio in alia transit, putrefactum fuit, cẽsendum est & secundum quoq; consimiliter putrefactionem concepisse,

A si quidem contagio consimilis erat in vtroq; infectio. Est autem putrefactio dissolutio quædam mistionis calido innato euaporante, atq; humido eius vero euaporationis prĩcipium semper est aliena caliditas, siue ea in aere sit, siue in circunfuso humido: igitur quod in vtroq; est principiũ putrefactionis, idem & contagionis principium erit, caliditas scilicet extranea: sed ea in primum aut ex aere accessit, aut ex alio, & contagio nondum dicitur, in secundum autem accessit ex ijs particulis insensibilibus, quæ euaporant è primo, & iam contagio est, qm̃ similis est in vtroque infectio: potest aũt euaporans è primo calidum in secundum facere, quod aer in primum, & similiter putrefacere, imo magis propter analogiam.

Quoniam autem, quæ euaporãt è primo particulæ, aliæ quidem sunt calidæ & siccæ, vel per se vel ex commistione, aliæ sunt calidæ & humidæ similiter vel per se, vel ex commistione, videntur quæ calidæ sunt & siccæ, aptæ quidem exurere magis, putrefacere autem minus, quæ vero calidæ & humidæ sunt, è contrario putrefacere aptæ magis, exurere vero minus: humidum enim partes eius, quod tangit, emollit, ac laxat, beneq; separabiles reddit, calidum autem sursum tollit, ac separat, vnde dissolutio mistionis fit euaporante calido & humido innato, quæ putrefactio erat: quapropter existimandum est calidas & humidas particulas aut per se, aut ex commistione humidas, quæ euaporant è primo, esse principium & seminarium eius putrefactionis, quæ in secundo fit: dico autẽ
B humidas ex commistione, quoniam in euaporationibus, quæ contingũt in putrescentibus, misceri vt plurimum accidit particulas minimas, ac sic principia fieri tum generationum quarũdam, tum & corruptionum nouarum: aptissima autem est ad putrefactiones & contagiones inferendas ea commistio, quæ è calidis fit cum humidis. In fructibus igitur quæ contagio accidit, per hæc principia fieri putãdum est, at vero & in alijs quoque omnibus, quæ putrescentia sese tangunt, si analoga sint, idem eueni re, & per idem principium existimare par est: principium autem sunt particulæ illæ insensibiles, quę euaporant, calidę quidem, & acres, sed humidæ commistione, quæ deinceps seminaria contagionum dicantur.

De contagione, quæ fomite afficit. Cap. 4.

VTrum autem & ea, quæ per fomitem contagionem afferunt, per hunc modum & per idem principium fiant, dubitationem habet: quoniam principium, quod est in fomite, alterius naturæ videtur esse, siquidem, vbi in fomitem secessit à primo infecto, illic diutissime perdurare seruariq; incorruptũ potest: vt admirationem non paruã præ-

beant,quæ & phthisici,& pestilentes tetigere,lectuli,vestes,ligna,& id C genus,sæpisime enim vidimus virus illud per duos & tres annos seruatum:at particulæ,quæ è putrescentibus euaporant,nullæ tam diu perdurare posse videntur:sed profecto propter hác causam nemo putare debet non idem esse principium,quod in fomite est,cum ijs,quę solo contactu afficiunt,quando particulæ,quæ euaporant è primo,eædem & in fomite pariter reseruari possunt,atque ita seruatæ idem facere,quod & tum fecissent,quum euaporarunt è primo. Quòd autem tam diu perdurare seruariq; posint in fomite,siquis persuaderi vult,& minus admirari, debet se in consimilibus exercere:non'ne videmus alienum odorem in ligno, & vestibus,& alijs per multum temporis asseruari,nec nuda quidem illic qualitate,& sine subiecto existente,sed corpusculis magis cum ea minimis,atq; effugientibus visum?quid de fuligine & fumo dicemus in parietibus obducto?non'ne & hæc ex minimarum particularum admistione tinctura fit,quæ diutisime durare incorrupta consueuit? ac talia certe infinita alia sunt,quorum omnium rationem si quis forte requirat, è duobus dicimus maxime dependere,quorum alterum est subtilitas, alterum est fortitudo & constantia mistionis:propter subtilitatem igitur penetrant,& in foraminibus quorundam conduntur,vnde neq; aeri subiecta sunt,neq; multis extrinsecarum alterationum,propter validam autẽ mistionem durare possunt aduersus multa. Est autem valida & fortis mistio duplex,altera in duricie consistens,vt ferri,lapidũ,& eiusmodi,quorum insensibilia minima annos permultos viuunt,altera in lentore quo D dam,& multa elaborataq; mistione constituta:dura igitur et si non sunt seminaria contagionum,at lenta elaborataq; esse possunt: est autem elaborata mistio,quæ è valde minimis fit bene inuicẽ agitatis (vt in ijs, quæ de sympathia diximus:)accidit autem talem mistionem fieri in euaporationibus illis,quæ cõclusæ sunt,vbi non dispergitur,quod euaporat, sed valde agitatum minutisime commiscetur,quod si lentorem quoq; accipiat,& valida mistio fit,& apta seruari in fomite:cuius signum est,ꝙ quęcunque per fomitem afficiunt,omnia lenta, glutinosaq; conspiciuntur: & propter hoc sola ea,quæ talia sunt,fomitem habere possunt,quæ autẽ lenta non sunt,sed aut in sicco per se consistunt,aut multo aqueo abundant,aut apta citisime alterari, ea quidem putrescentia contagiosa esse possunt ad id,quod tangunt,fomitem autem non relinquunt,ꝙ vel non adherescant,& glutinentur,vel cito alterentur:propter quod marcescentes fructus contactu quidem afficiunt,fomite aũt non, plurimo.n.aqueo abundant,& quod euaporat lentum non est,lenta vero agglutinanť quidem,& resident in ijs,quæ tangunt,& propter fortem mistionem nõ fa-

A cile alterantur: quod si analoga sint cum eo, quod tangunt, statim contagionem inferunt, si vero non analoga fuerint, &, quod tangitur, non aptum quidem est affici ipsum, sed seruare tamen seminaria, tum fomes fit, & nactum mox aliquid, quod analogum cum primo sit, non aliter inficit, ac & primum fecisset: nihil enim refert, siue aliquid statim tangat, siue mediante alio? Non sunt autem apta omnia, vt fomes fiant, sed solũ quæ foraminulenta sunt, & calida, aut parum frigida, in ijs enim & condi possunt seminaria contagionum propter foramina, & non alterari neq; ab ipso fomite, neq; ab extrinsecis, nisi ea plurimum excedant, ꝓpter quod aduersum ignem non defenduntur: igitur neq; ferrum, neq; lapides, & eiusmodi frigida & non foraminulenta idonea sunt, vt fomites fiant, lana vero, et panni, et lignorum multa, idonea magis sunt. Quòd igitur, & quæ fomite afficiunt, commune principium habeant, & cõem inficiendi modum cum ijs, quæ contactu solo, ex his manifestum esse potest: differunt autem mistione, quod his quidem fortis & lenta sit, in illis debilis, & non lenta, & propter hoc alia fomitem relinquunt, alia non.

De contagione, quæ ad distans fit. *Cap. 5.*

MAiorem autem tum admirationem, tum dubitationem præbent ea, quæ non contactu solo, non solo fomite, sed & ad distans etiã

B contagionem faciunt. Lippitudinis genus est, quo qui laborat, omnes solet inficere, qui in ipsum spectant: notissimæ sunt & pestiferæ febres, & phthisis, et alia multa, quorum labe cohabitantes, quanq̃ ne etiam tangant, coafficiuntur: horum igitur quæ natura sit, & quo pacto id vitium propagetur, dubitatio nõ parua est: quapropter accuratissime de hoc est inquirẽdum, quoniam maxima pars hæc est eorum, quæ inuestigamus. Videtur autem contagio hæc & alterius naturæ esse, et per aliud principium fieri: primum quidem quia pestiferarũ febrium nõ nullę sunt, quæ horis decem, aut duodecim perdunt, ęgro nihil caliditatis, nihil frigiditatis sentiente. Præterea, si lippus alium lippum reddit, alterius quidem naturæ videtur affectus iste, quoniam visio non per caliditatem, aut frigiditatem fit, sed per vocatas species et simulachra rerum. Porrò subita & pene momentanea penetratio harum contagionum idem prorsus ostẽdit, statim enim et ictu (vt dicitur) oculi penetrant per totum animal, & necant, quod nulla alia qualitatum notarum tam prompte facere potest, quod contrarium habeant. Adde quod, si à notis qualitatibus fieret hæc cõtagio, ad debilius quidem, et minus resistens semper propagaretur, quod certe fieri non videmus, quãdo sæpe id, quod debilius est, aut nihil, aut minus patitur: vt oculos quidem phthisis non carpit teneriores, delicatioresque existentes,

existentes,pulmones autem corripit.Postremo,quum hæc contagio vndique, & ad omnem partem feratur,imitari quidem videtur spiritualiũ motum,qui in orbẽ fit:corpora vero,quæ notis qualitatibus constãt,vnũ tantum motũ habent,sursum,aut deorsum:quare alius impetus, alia vis esse videtur harum contagionũ,et venenis,aut Catablephæ animali assimilari,non autem reliquarũ contagionum modum & naturam sequi. C

Quòd causa contagionum,quæ ad distans fiunt, reducenda non sit ad proprietates occultas. Cap. 6.

QVi igitur occultas proprietates inducunt,paruo negotio ab his sese difficultatibus extricant,per pauca rationem omnem earũ contagionum ad hasce proprietates referẽtes:quod & in alijs multis omni solicitudine liberi & securi factitant:bene igitur erit de his proprietatibus breui quædã percurrere,simul enim & illud aperietur, quod nam esse possit harum contagionum principium.Supponendum autem est nobis,quum decem sint rerum omnium genera,actiua tamen principia esse tantum substantiam & qualitatem: constat enim neq; quantitatem,neque ad aliquid,neque vbi,neque alia(vt summatim dicamus)effectiua esse,nisi per accidens:porrò substantiam per se nihil aliud facere,nisi locales motus sursum,deorsum,rarefactionem,& condensationem, et circularem,hi enim à forma rerum fiunt,reliquæ vero actiones à qualitatibus proueniunt.Qualitatum vero aliæ materiales dicuntur,calidum, D frigidum,humidum,siccum,lux,odor,sapor,& sonus:alię spirituales vocantur,quæ species sunt,& simulachra materialium,siue sint cum ijs vni uoce,siue non,vt lucis lumen,saporis vero,& odoris, & soni species nomen non habent,nisi saporimen,& odorimen,& sonimen velimus effingere,sicut à luce lumen:similiter & caliditatis,& frigiditatis, & aliarum species nomen non habent,constat autem eas esse tum ex sensibus, tum ex ĩtellectu.Quòd igitur materiales qualitates multa possint efficere,manifestum est,nam primæ quidem vocatæ omnia generant,& alterant: secũdæ vero appellatę lux,odor,sapor,& sonus nihil quidem inter se agũt, quoniam contrariæ non sunt,sensus tamen mouent,sed & hoc ijs mediãtibus,quæ spirituales vocantur:harum vero spiritualium, ꝙ actio multa sit,& vis in natura,similiter est manifestum(vt in ijs diximus, quæ de rerum sympathia et antipathia scripta sunt) nam & sensus, & intellectum mouent,& principia sunt motionum in animalibus:deinde & motus locales videntur facere,attractionem,& fugam, nõnullæ etiam & primas qualitates producere,vt lumen,quod calorem gignit. Hæc igitur quum ita sint,quærimus quidem ab ijs,qui occultas ꝓprietates inducunt, quan

do

A do actio omnis vel à substantia fit, vel à qualitate materiali, aut spirituali, quo nam principio dicant actionem hanc fieri, qua contagiones ꝓduci videmus. Ac certe, si à substantia, & forma fieri asserãt, quid oportebat occultam proprietatem vocare? sed vocent, vt lubet, nihil tamen ea forma facere poterit, nisi locales motus sursum, deorsum, rarefactionem, & condensationem, contagionem autem non, quæ per se localis motus nõ est, sed magis quorundã corruptio, & quorũdam generatio. Si vero qualitate aliqua fieri dicant, si quidem materiali, nihil ignotum assignabũt, nisi forte ignotum quoddam qualitatum genus effingant, quod nec caliditas, nec humiditas, nec siccitas sit, quod certe effingi non potest: si autẽ spiritualem aliquam qualitatem in causa ponant, poterant quidem notiori saltem vocabulo vti, & statim dicere spirituale aliquod cõtagiones hasce producere. Sed certe neq; hoc adducere pro causa possunt, primum quia spiritualia hæc tam diu solũ durare consueuere, quam diu præsens est illud, à quo effluxere, nisi forte fuerint in intellectu: at quæ ad distans faciunt contagionem, absente etiam primo perdurant nihilominus et in fomite, et in aere, quin imo de loco ad locum feruntur trans etiam maria, quod signũ est corpus esse, quod et defertur, & perdurat, longe à primo se habens. Quod si dicant corpus vtiq; esse hoc, quod de loco ad locũ fertur, agere tamen per spiritualẽ qualitatem, profecto & ad non necessa-

B ria recurrunt, & inconueniens assignant: s.n. recte definita contagio est, oportet tale in secundo fieri, quale in primo fuit, et idem esse in vtroque principium, idéq; & in quarto, & quinto, & in alijs, quæ contagionem recipiunt: tale aũt non potest facere vllum spiritualium per se, per accidens quidem nihil prohibet spiritualia enecare, & dissoluere etiã mistionem aliq̃ fugando quædam cõtraria, quod et fœtor facere potest, et Cathablephæ animalis aspectus (vt dictũ in sympathijs fuit:) generare aũt tale in secũdo, quale in primo fuit, nõ possunt spiritualia, generatio.n. omnis per primas fit qualitates. Oportet aũt in hisce contagionibus non putrefactionem solũ fieri, sed à primis seminarijs & alia quoq; gigni, & propagari, quæ ipsis similia natura sint, & mistione, non aliter, quàm spiritus in animali è sanguine solent alios sibi consimiles generare, quod spiritualium nullum efficere per se potest: quam ob causam & in contagionibus, quæ ad distans fiunt, idem esse commune principium, & eundem inficiendi modũ per qualitates notas censendum est, quod & Aristotelem & Galenum existimasse sine dubio videre possumus. Differunt autẽ harum contagionum seminaria & ab ijs, quæ solo contactu afficiunt, & ab ijs, quæ fomite solo: sed primũ dicamus, quo pacto ad distãs ferri possint, & quo modo in orbẽ moueri videantur, & qua ratione vim tantam

sortita

sortita sint, et tam cito penetrent, et quales sint earum analogiæ, tum demum, quam differentiam habeant ad alia seminaria, diffiniemus. C

Quomodo seminaria contagionum ad distans ferantur, et in orbem. *Cap.* 7.

ERgo illud in primis inquiramus, quo motu agatur seminaria illa cõtagionum, quando longe, et ad eos, qui distant, ea ferri manifestum est, quod multi adeo mirantur. Est autem inter prima respiciendũ ad cõsimilia, quo minus admirari possimus: qs putaret è cepe et allio lachrymas nobis vel è longinquo elici, è pipere, iride, ptharmica sternutamentum, è croco, solano stricno somnum conciliari, è tractatione metallicorũ apoplecticum hominem fieri? exhalant nimirum ex omnibus his, ac circunquaque feruntur insensibilia corpora, quorum diuersæ actiones sunt, et facultates: manifestissimum autem hoc apparet in ijs, quæ corrumpũtur, & putrent. Principium autem motus eorum corpusculorum ad omnes partes, partim quidem per se est, partim ab alio datur: per se igitur euaporatio omnis sursum fertur, quod et in fumo et alijs multis spectari potest, siquis nesciat euaporationem omnem calidam esse: ab alio autẽ accidit et in latus, et deorsum postremo pelli: qd᷈ præcipue duabus de causis euenit, altera est obsistentia aut aeris, aut tabulatorũ, et eiusmodi, in quæ incidũt, q̃ primũ exhalant, partes: vbi igitur vltra ferri non possunt, pellũtur q̃dem & in latera ab ijs, quæ succedũt, & hæc ab alijs, donec accidat repleri totum: altera causa est aer ipse, qui euaporationẽ omnem, si tenuis sit, & bene solubilis, diuidit vsque etiam ad minimas et non vltra diuisibiles partes: ea enim est elementorum, et liquidorum omnium natura, vt sitũ conuenientem quærant, quantum possibile est: conuenientissimus autẽ situs est, quum partes continuæ inter se sunt, aut, si continuæ esse nõ possunt, minus tamen inter se distent, quo possibile sit, sic enim minorẽ violentiam sustinẽt, vt in ijs diximus, quæ de sympathia tradita sunt: qua de causa aer continenter eam euaporationem diuidit magis, et magis, donec ad eas veniat partes, quæ nõ vltra diuidi, et separari possunt: facta igitur innumerabili illa diuisione multum aeris repleri accidit, & circũquaque misceri, quod et in fumo manifestissimum est videre. Propter has igitur causas, et quæ circa contagiones cõtingunt euaporationes, circũquaque feruntur, et aeris multum occupant, quoniam exhalatio omnis multum diffunditur, magis autẽ sursum, et primo, sed tamen mox et ad latera, et postremo deorsum accidit ferri: ac sic & cohabitantes possunt inficere seminaria hæc, & non solum in fomite, sed et in aere per certũ tempus seruari, diutius autem in fomite. Quo autem modo fiat, vt tam par- D

uæ

A uæ quantitatis existentia non alterentur saltem medio in aere exposita, priorem habet dubitationem: nam quæ tam fortis esse mistio potest in tam parua particula, vt in aere diu consistere valeant, præsertim, quæ in duricie non consistunt? sed certe, quæ lenta sunt, & glutinosa, quãq̃ par uisima sint, possunt quidem si non omnino tantum, quantum dura, viuere, at paulo minus possunt. Dura quidem propter tria resistunt alterationibus maxime, & q̀ in pauca quantitate plus habent materiæ, & q̀ ꝓpter terram plus habent frigiditatis, & q̀ partes non bene subtiliari & rarefieri possunt propter densitatem, quod fieri oportet, si caliditas induci debet: priora igitur duo & si lenta non habent æque, ac dura, at tamen in parte habent & ipsa: tertium vero habent non minus, q̃ dura, hoc est difficultatem subtiliationis propter partium tenacitatem, & q̀ mistio è valde minimis constat: tenacitas enim facit, vt pars non facile secedat à parte, mistio vero è q̃ minimis facta bene vnitis aduersus alteratiões omnes valet: quoniam si rarefieri oporteat, statim præsto sunt partes terræ, quæ ꝓhibeãt, iuxta quodlibet minimum sitæ, si vero densari necesse sit, præsto sunt ignis partes propter propinquitatem, quæ similiter obstent: qua de causa non solum dura, sed & lenta sese defendunt ab alterationibus multis, si mediocres sint, magnas autem non ferunt: propter quod & ab igne absumuntur seminaria omnium contagionum, & ab aqua etiam frigidissima franguntur. Quòd si curiosior quispiam illud quærat, cur intrinsece

B saltem non alterentur hæc seminaria, quum è diuersis sint mista, sciat ille non esse hanc solis seminarijs propriam quæstionem, sed & alijs multis communem, vt piperi, calci, euphorbio, pyriti lapidi, & metallicis, & alijs pluribus, quæ quum è diuersis sint mista, alterationem tamen nullam intrinsecus, aut nullius momenti patiuntur, sed annos multos immutata ꝑseuerant: vt mirum sit lapides annos mille, & duo millia durare. Causa omnium est, q̀ mistio, quæ è diuersis fit, ad tam minimas particulas redacta est, quòd propter paruitatem excessum non habent particulæ inter se illum, qui requiritur ad agendum: qua de causa, dum mistio illa eo pacto perstat, dum igneæ partes separatæ sunt, & dispersæ, sepultæque in alijs, alteratio nulla introrsum fit: quare & piper, & euphobiũ, & reliqua tractata manibus frigida sentiuntur: at vbi casu aliquo mistio illa soluitur, & mutatur, & partes, quæ eiusdem rationis sunt, in vnum coeunt, & maiorem quantitatem, & potentiam ad agendum acquirunt, tum actu fiunt, & agunt iam: vnde & calx, & piper, & euphorbium iam calida percipiuntur, quum prius potentia solum calida essent, actu vero aliter se habentia: propter eandem causam nec seminaria intrinsecus sese alterant, quanq̃ è diuersis constent, vtpote mista. Quòd autem in tam pauca quan

titate vis multa inesse posit, declarat fulgur, quod nõ aliud est, q̃ vapor: C
declarant & euphorbij, & piperis, & similium particulæ minimæ & effugientes visum, quibus tanta vis à natura tributa est: adeo refert ignem in materia densa contineri, quanq̃ parua sit. Talia quoq; sunt seminaria contagionum, omnia enim acria per se sunt, quanq̃ in lentore cõstituta, quæ & ipsa actu fiunt a calore animalis subtiliante eam mistionem, & vniente partes consimiles: talia autem ad humores & spiritus non paruam potentiam habent, quare & perdere etiam possunt paucis horis, si ad spiritus analoga sint: de quo mox largius dicemus. Eadem & ex oculis lippiẽtibus eiaculari possunt in alterius oculum, & cõsimilem infectionem inferre, quæ visio quidem non est, sed vitium in oculo. Quòd aũt in animal penetrent & non nulla citissime, nemo mirari debet, si modũ, quo ingrediuntur, consideret: ingrediuntur autem è paruis poris, & venis, & arterijs in maiores, & ab his in alios, sæpe etiam vsq; ad cor. Vnus penetrationis modus est per propagationem & quasi sobolem: prima enim seminaria, quæ adhæserunt è vicinis humoribus, ad quos habent analogiã, consimilia sibi alia generant, & propagant, & hæc alia, donec tota humorum massa & moles afficiatur. Alius modus est per attractionem, quæ intro fit tum inspiratione per anhelitum, tum venarum dilatatione: simul enim cum aere, qui attrahitur, ingrediuntur commista contagionum seminaria, quę, vbi introducta sunt, non eadem facilitate regrediuntur per D
expirationem, qua ingressa per inspirationem fuere, quoniam agglutinãtur humoribus & membris, & non nulla etiam spiritibus, qui contrarij speciem refugientes, secum & inimicum ad cor ferunt: non enim dicendum est (vt quidam aiunt) venena & contagiones præcipue cor petere, atque aggredi, vti inimicum, quasi cognitio & voluntas ijs insint. Tardius autem penetrant, quæ per se minus acria sunt, aut in lentore multo sepulta, & analogiam habentia ad crassiores humores, & quæ per venas trahuntur, celerius aũt, quæ per anhelitum, & quæ subtiliora sunt, & acrimoniæ maioris, ad spiritus autem analoga. Fortasse autem & alius est penetratiõis modus: omnis.n. euaporatio de angusto in amplum facillime diffunditur: quare, quũ minores & angustiores sint venæ, quæ circa summa sunt, maiores vero continuè, quà versus cor itur, inde fit, vt & contagio q̃ facillime ex angustis venis in amplas diffundatur, vbi etiam maior est calor, atq; ad cor etiam feratur, nisi quid obstet. Quòd igitur, & quæ ad distans fit contagio, per idem cõe principium fiat cum alijs, & per eundem modũ, & quo motu feratur, & qũo penetret, & tantam habeat vim, hactenus dictum sit, qũo autem particulari & propria quadam natura ab alijs differat, nunc dicatur. Ab ijs igitur, quæ solo contactu afficiunt, dif-

ferre

A ferre videtur, ꝙ hæc in forti miſtione conſtituta videtur & lentore quodam, illæ vero non: ab ijs vero, quæ fomite ſolo & contactu inficiunt, differunt eæ, quæ ad diſtans protenduntur, ꝙ validior adhuc miſtio ijs ineſſe videtur, & ſubtilitas maior, propter quod & penetrãt magis, & maiorem actionem habent. Fortaſſe autem et antipathia ad animal his eſt, nõ ea ſolum, quæ materialis dicitur, ſed & ſpiritualis etiam, quæ ſpiritus poteſt fugare, et calorem, qui humorum miſtionem cõtinet, propter quod & maxime poteſt putrefactionem inferre: de quo etiam mox dicemus.

De analogia contagionum. *Cap. 8.*

CONtagionum autem analogiæ multiplices quidem ſunt, & maxime admirandæ: peſtis quædam eſt arboribus aut ſatis, animalium nulli obeſt: contra quædam tangit animalia, ſatis & arboribus parcit: & inter animalia, hæc hominem carpit, illa boues, illa equos, aut alia: ſed & in eadem ſpecie, quæ pueris & iuuenibus eſt contagio, ſenum neminem lædit, & è contrario: nec quæ mares, ſemper etiam mulieres attingit: promiſcue vero alij certas peſtes ſenſere, alij non: & alij inter peſtilentes illæſi verſantur, alij non. Inter membra porrò eſt & ſua analogia: Lippitudo nulli membro nocet niſi oculis: Phthiſis vero non oculis, quanquam delicatioribus, ſed pulmoni: Alopeciæ & Achores caput ſolum tentant. At
B vero & in humoribus quædam vni eſt contagio, alij non, quædam omnibus, aliæ ſpiritus præcipue perdunt: quorum omnium admiranda quędã ratio eſt, aſsimilantur autem & alijs multis, de quibus omnibus diximus in ijs, quæ de ſympathia, vbi etiam cõmunes cauſas perquiſiuimus, quæ vel ad rationem agentis referuntur, vel materiæ, vel applicationis, ꝑ quæ nõ omnia agunt in omnia, ſed certa in certa ſolũ, quæ analoga dicũtur. Particulares autem, et proprias analogias nec inſtitutum noſtrum eſt dicere, nec prudentis inquirere, ſat enim in præſenti ſit, ſi non proprias et propinquiſsimas cauſas, at medias tamen ſciamus, et ad proximas nitamur, quantum pro ſubiecta materia dabitur.

Vtrum contagio omnis putrefactio quædam ſit. *Cap. 9.*

NVnc illud inquiramus, vtrum omnis contagio putrefactio quædam ſit, & an omnis putrefactio contagioſa. Videtur autem putrefactio omnis contagioſa aut ſimpliciter, aut ſaltem ad continuam partem, ad aliud vero contagioſa non omnis eſt, qm̃ ad agendũ multa, vt diximus, requiruntur. Oẽm autem contagionem in putrefactione quadã

consistere dubitationem fortasse habet, quoniam rabies contagio quędã C videtur, putrefactio autem nõ: similiter & vinum, quum acescit, ab alio contagionem quandam pati videtur, putrefactionem autem non: nam quum putrescit, tum & fœtet, & ingustabile est, acetum vero suaue est, & putredinibus etiam resistit: sed certe & eæ putrefactiones quædã sunt existimãdæ. Verum illud circa putrefactiones est intelligendum, q̃ interdum sola misti dissolutio fit, & sola euaporatio humidi, atq; ĩnati caloris, generatio autem noua nulla consequitur, atq; hæc simplex putrefactio dicitur: interdum in ipsa euaporatione simul & generatio aliqua prouenit aut animalis, aut alterius, quod formam vnam & certam habet, & mistionis rationem, ac digestionem suam. In quibus igitur simplex fit putrefactio, generatio autem nulla, & fœtor fit, & abominabilis sapor propter causam, quæ in sympathijs dicta est: vbi vero generatio aliqua intercidit, & digestio, ordoq; partium pro certa forma, tum sæpe neq; fœtor fit, neq; abominabile quicq̃: igitur & vinum quandoq; quidem simpliciter putrescit, & marcorem contrahit, & ingratum ingustabileq; est, interdum nõ simpliciter putrescit, sed & simul generatio aliqua sequitur, vt aceti: euaporante enim, quod dulce atq; aereũ est, relicto multo terreo subtili adusto cum plurimo aqueo mistum illud fit, quod acetum vocamus, cuius et forma sua est, & digestio, & ordo partiũ, et sapor, et odor. Quòd aũt præcedat putrefactio aliqua prior, declarant & lac, & pituita, quæ, quum pu- D trescere incipiunt, statim acescunt. In rabie quoq, putrefactionem quandam accidere censendum est facta contagione ab alio: latet autem nos, quoniam, quæ in viuo animali putrefactiones fiunt, non admodum manifestæ sunt: verisimile est autem ita se habere, quoniam & canes, quum rabiunt, febre quadam corripi solent. Si igitur in omnes contagiones inductio fiat, omnes quidem in putrefactione quadam consistere videbuntur: quod & ratio quoque persuadet, quoniã nulla alia euaporatio aptior esse videtur ad contagiones inferendas, q̃ quæ in putrefactionibus fit.

Quoniam autem diximus cõtagionem esse in insensibilibus particulis, primo quærat fortasse quis, vtrum particulæ illę corrumpantur quidem, an alterentur solum: ad quos dicimus, quantum quidem sufficit ad putrefactionem faciendam, non necesse esse corrumpi particulas ipsas, sed alterari solum, quatenus dissolui mistio posit, et euaporare calidũ cum humido innato, nihil tamen prohibet et corrumpi etiam, sed non necesse est, quatenus attinet ad faciendam putrefactionem. Quoniam autem putrefactiones omnes ad continuam saltem partem cõsimilem putrefactionem inferre aptæ sunt, si omnis quidem contagio putrefactio est, videbitur quidem contagio simpliciter & communiter dicta, putrefactio quæ-

dam

A dam consimilis de vno in aliud transiens, siue continuum illud sit, siue diuersum: verũ hæc non est ea, quę proprie contagio dicitur, sed illa, quæ inter diuersa versatur: ꝙ & si etiam proprijssime velimus contagionem considerare, quæ in morbis spectatur, et non solo cõtactu afficit, erit quidem contagio, consimilis de vno in aliud transiens putrefactio, cuius seminaria actionis multæ sunt, in forti ac lenta mistione constituta, ac antipathiam ad animal habentia non solum materialem, sed et spiritualem etiam: ex qua definitione ratio omnium eorum manifesta est, quæ circa contagionem videntur.

Cur morborum alij contagiosi sint, alij non, & contagiosi cur lenes sint. Cap. 10.

IMprimis igitur cur morborum alij cõtagiosi sint, alij non, & quomodo fiat, vt alij, ardentiores quum sint, & grauiores, nullam tamen inferant contagionem, alij vero placidiores, mitioresq; existentes contagiosi plurimum sint, quæramus: quod certe dubitationem quandam habet: si enim contagio vim et actionem sequitur, qui acutiores sunt morbi, viderentur magis contagiosi: si vero adustionem sequitur contagio (vt multi medicorum putant) similiter viderentur, qui ardentiores sunt, contagiosi magis: ꝙ si et putrefactionem multam sequitur contagio, in pluribus
B quidem multa putrefactio fit, contagio autem nulla. Ergo morborũ quicunque absq; putrefactione fiunt, nulli quidem contagiosi sunt, quoniã, vt dictum est, contagio non sine quadam putrefactione fit: in quibus vero putrefactio contingit, requiri quidem acumen dicimus, si contagio se qui debet, sed non sufficit acumen solum, et potentia agendi, verum et lẽtor quoq; requiritur, et fortis atq; elaborata mistio (vt dictum est.) Similiter neq; adustionem sequitur contagio, sed, si qua in cõtagionibus adustio accidit, illa sequitur magis, q̃ origo contagionis sit. Nec similiter omnem putrefactionem sequitur contagio, quanq̃ larga sit, et multi humoris, sed eam solum, in qua seminaria fieri possint, quę et mistionis sunt fortis, et in lentore cõstituta. Febrium igitur multæ ardẽtissimæ sunt, vt quę è cholera, sed in sicco consistentes, è quibus quæ euaporant particulæ, seminaria esse non possunt contagionis in alio, siue ꝙ mistio earum debilis sit, siue ꝙ non adhereant, et agglutinentur propter siccitatem: at quæcunque sordidam habent putrefactionem, et conclusam, illæ seminaria gignunt ad inferendas contagiones idonea: sordidam autem dico putrefactionem, in qua nõ fit superficialis putrefactio, et euaporato eius, quod putrescit, sed profunda et ad totum: cõclusam autem voco, in qua nõ abeũt, et exhalant, quæ euaporant, particulæ, sed quodam modo conclusę

bene

bene ac diu agitantur,& miscentur,lentorem quidem habētes, sic enim C
& fortis fit mistio & glutinosa:lenes autem apparent contagiosi morbi, præcipue febres,quæcunque contagiosæ sunt,propter id, q̃ profunda fit putrefactio,in qua multum humidi euaporat,quod tum lentorem inducit,tum et acrimoniam hebetat:in quibus autem acumen,& ardor multus sentitur,in ijs superficiales magis particulę euaporant calidę,et siccę, propter quod nec contagiosæ sunt.

In quo conuenit cum venenis contagio,& in quo differat. Cap. II.

CONueniunt autem & cognationem quandam cum venenis habēt non nullæ contagiones,qm̃ sicut illa inimicitia quadam fraudulenta latentia,perdunt animal,& cor petunt,ita et cōtagiones quædam facere solent:propter quod venenosas solemus quasdam febrium appellare. Differunt autem inter se nō parum,q̃ venena nec ꝓprie putrefacere possunt,nec tale in secūdum gignere,quale in primo fuit principiū & seminarium:cuius signum est,q̃ venenati ad alios contagiosi non sunt.Causa vero iccirco est,q̃ venenorum est duplex genus,alia.n. spirituali qualitate enecāt,qualis est serpētum maxima pars,et Cathablephæ aspectus,alia vero materiali qualitate operātur. Quæ igitur p̄ spirituales species agūt, corrumpere quidem possunt fugādo calorem innatum,et tristitiam intolerabilem ingerēdo,generare autem nihil simile possunt, qm̃ generatio omnis à primis qualitatibus fit:ꝑp quod in venenatis nihil tale vnq̃ factū vidimus,quale est quod à Vipera et Basilisco emittitur.Eorum vero,quę per materialem qualitatem operantur,alia calida sunt,vt vocata caustica & vrentia,alia frigida,vt opium,et hyosciamus,et id genus:verum quæ calida sunt vrentia,omnia in sicco sunt cōsistentia,quare et exurere magis apta sunt,q̃ putrefacere,et cōtagionem inducere:q̃ si quædam à medicis putrefactiua dicuntur,hoc t̃n improprie dicitur,simpliciter.n.caustica sunt:appellant autem putrefactiua hæc,illa caustica,q̃ caustica crustam,et vocatam escaram prius faciunt,vocata vero putrefactiua vesicā prius inducunt,quasi in his calor naturalis euaporet,sicut in ijs, quæ putrescunt:verum proprie caustica & illa sunt,vt Arsenicum,Auripigmentum,Pythiocampe,et Cantharides,quæ putrefactiua dicuntur:cæterum non putrefaciunt,sed vrunt: è quibus quod euaporat,seminarium contagionis esse non potest,vt pote siccum . Quæ igitur venenorū calida & vrentia sunt,propter hanc causam contagiosa non sunt, quæ vero frigida,et stupefactiua sunt,putrefacere quoq; non solent,quare neq; hæc cōtagionem inferre:ita igitur differunt,quæ contagiosa sunt,à venenis.

D (margin, beside "corrumpere quidem possunt...")

A De alijs differentijs contagionis. Cap. 12.

SVpereſt nunc, vt de differentijs alijs proſequamur, ac earum cauſis: neque enim omnes vno modo contagiones ſe habent: aliæ in nobis primo fiunt, & generantur in aliquo, mox ab illo in alium tranſeunt: aliç extrinſecus primo veniunt, et factæ, de vno in alium propagantur: & aliç per ſumma errant, & vix cutim carpunt, aliæ ſolidiora occupant, aliæ & interna, et aliç omnia tam interna, q̃ externa: quędam porrò promptiſsime inhærent, & afficiunt, quędam ſerius: et aliæ ſe ſtatim manifeſtãt, aliç non niſi longe poſt: aliquæ ad hæc letales ſunt, aliquæ ſine vllo vitæ periculo: omnes autem in viuo corpore natæ infectiouem diſſeminare, in mortuo non: et corporum alia ſuſcipiunt facillime, alia aut nũquam, aut cum difficultate: vnde et illud quæri poteſt, vtrum peſtilentijs aſſueſcere poſsimus, ſicuti venenis.

In nobis igitur primo oriri ſeminaria contagionum manifeſtum eſt, non ſolum in ſcabie, achoribus, phthiſi, ſed in febribus etiam, quæ peſtiferę dicuntur: cauſa eſt, quòd in nobis, et humoribus noſtris putrefactiones fieri nihil prohibet, quæ et ſordidæ ſint, et concluſæ, à quibus ſeminaria illa fiant, quæ tum lenta, tum et fortis miſtionis ſint: hæc autem cõtagiones inferre dictum eſt ſupra, ac in aliquo primo ita fieri poſſe nemo dubitat. Illud fortaſſe dubium eſſe poſſet, vtrum et in ſecundo, qui
B afficitur, contingat ſimiliter ſordida et concluſa putrefactio, an non: ſi .n. nõ contingit, quomodo in ea noua ſeminaria fiunt, quę tertium aliquem inficere poſsint? at ſi contingit, à quo nam fit, quando cauſæ eædem in ſecundo non ſunt, quæ in primo fuere? ſi quidem in primo cauſæ fuerunt obſtructiones, plenitudo, et malitia humorum, et ſimilia, in ſecundo autem nihil horum adeſſe neceſſe eſt, quando videmus temperatum et probe ſanum exiſtentem aliquem, concipere tamen ab alio cõtagionem, ſolis ſeminarijs ſufficientibus inferre. Dicendũ igitur & in ſecundo ſordidam ac concluſam putrefactionem fieri, ſordidam quidem, quoniam profunde corrumpitur, quod à ſeminariis recipit putrefactionem, propter multam inhæſionem, et actionem eorum, atq; analogiã: talis autem et concluſa eſt, propter multam euaporationem, quæ fit: ꝙ ſi et non talis per ſe eſſet, nihil tamen refert, dum profunda accidat, omnino enim tale in ſecundo fuit, quale in primo principium et ſeminarium eſt, quoniam dictum eſt eam ſeminariis ineſſe vim, vt ſibi ſimile propagare, et gignere poſsint, ſicuti et ſpiritus faciunt. In primo igitur cauſæ fuerunt illæ, quæ paſsim ſolent putrefactiones in nobis facere, obſtructiones, plenitudines, et humorum prauitates, à quibus facta putre-

factio sordida et conclusa plurimum, accidit inde seminaria enasci, quæ apta sint in alium cõtagionem trãsferre, siue in eo fuerint causæ et dispositiones, quæ in primo fuere, siue non: quare analogum humorem nactę in secundum, et tertium, et alios cõtagionem apportant. Quòd vero et extrinsecus quoq; in nos veniant principia et seminaria contagionum, et in nobis non primo fiant, similiter quoque manifestum est, quoniam sæpe videmus populariter vagãtes morbos, quas epidemias vocant, quorũ alij communes quidem pluribus aut ciuitatibus, aut regionibus sunt, sed non contagiosi, qui communes tantum dicuntur: alij vero etiam contagiosi, idest qui semel in vno cõcepti absq; aeris dispositione illa communi contagionem in alium transferunt: atque hi non communes tantum dicuntur, sed contagiosi simul, quales sunt pestilentię, vti ea, quæ circum Græciam vagata est, de qua Thucidides scribit, & quales illę, quę nostris annis apparuere in Italia ab alijs lenticulæ, ab alijs puncticula appellatæ. Referemus etiam insolitam anni MDXIIII contagionem, quæ in boues solum irrepsit, visa primo circa Foroiuliensem tractum, mox sensim & ad Euganeos delata, atq; ĩde in agrum nostrum: abstinebat primo bos à cibo sine causa alia manifesta, spectantibus autem in ora eorum bubulcis asperitas quædam & paruæ pustulæ percipiebantur in palato et ore toto: separare protenus infectum oportebat à reliquo armento, alioqui totum inficiebatur: paulatim labes illa descendebat in armos, et inde ad pedes: ac quibus ea permutatio fiebat, sanabantur ferè omnes, quibus autẽ non fiebat, plurima pars interibat. Harum ergo cõtagionum, quæ extrinsecus veniunt, potissima causa est aer, quanquam ex aquis, et paludibus, et alijs nihil prohibet euenire: aptissimus autem est aer, tum ꝙ facillime et proprias et alienas infectiones cõcipit, tum ꝙ necessario eo vtimur ad vitam. Sed illud maxime aduertẽdum est, ꝙ aer interdum alterat solum calefaciendo, infrigidando, humectando, et exiccando, interdum nõ solum alterat, sed et vapores extraneos in nos immittit, interdum non vapores simplices, sed et seminaria contagionum. Differt autem seminarium contagionis à vapore simplici, ꝙ vapor alterabile satis est corpus, mistionem non habens fortem in lentore, quale est seminarium: cõcurrunt tamen vapores in nos importati multipliciter ad putrefactiones, q̃ fiũt, primo enim et obstruunt, deinde et locum habent alienæ caliditatis et humiditatis, tum et immisti humoribus inamabiles illos reddunt, et ingratos membris, vnde & respuuntur, et relinquũtur à natura, ac sic putrescunt: seminaria vero non solum hęc faciunt, sed maxime faciunt, ac simul et consimilia sibi alia ceu sobolem procreant, quæ ad alium delata contagionem inferunt. Si igitur vapores simplices in nos aer importet,

C

D

A portet, non iam contagio est, nec ægritudo per se contagiosa, nisi profunda & conclusa putrefactio fiat: quæ nec similiter, si ad aerem comparetur, contagio dicitur, quoniam non est consimilis in vtroque infectio, sed si ad alium comparetur, qui secundus sit, & tertius, & quartus, iam contagio dicitur, & ægritudo cõtagiosa: si vero ab aere seminaria statim immittantur contagionis in aliquem primum, & contagio dicitur ab aere accepta, & ad alium apta est transire: idem enim vitium & aer passus est, quod & ille, cui illatum est: idem & de terra, & aqua dicatur, nam & ipsa interdum vapores solos in nos transferunt, interdum & seminaria ipsa contagionum: quibus autem de causis tum aer, tum aqua, & alia inficiantur, & modo seminaria contagionum concipiant, modo vapores extraneos, & modo alterent solum, recipiendum est nobis vti notum: Illud fortasse magis desideraretur, vtrum à cœlo, & syderibus contagiones vllæ per se dependeant, quando astrologi sæpe quosdam futuros morbos, & Epidemias prædicunt, quemadmodum Syphilidem siue Gallicum vocatum morbum prædixisse ipsos constat multo ante, quàm apparuisset: sed certe (quando nihil à cœlo huc demitti potest, quod ꝓxime tangat, nisi spirituale aliquod seu lumen, seu tale aliud) si ad ea respiciamus, quæ supra de actionibus spiritualium dicta sunt, videbimus à cœlo nullas contagiones per se fieri posse, per accidẽs autem
B nihil prohibet quasdam ab ipso fieri, ac prædici etiam ab abstrologis posse: qui scientes ea, quæ à syderibus per se vt plurimum fiunt, possunt simul & illa præuidere, quæ per accidẽs cum illis vt plurimum coniunguntur: possunt autem per se sydera calefacere, ad calefactionẽ autem sequitur & vaporum plurima ex aquis, & terris eleuatio, qui mox varias & diuersas corruptiones efficiant, modo nouas, modo cõsuetas, mõ magnas, ꝓut & syderum constitutiones se habent. Igitur has considerantes astrologi, ac docti, quos apportare solent, prænuntiant effectus: qui, quanq̃ per accidens à syderibus fiunt, vt plurimum tamen concomitantur ea, quæ per se fiunt: nihil enim prohibet quædam per accidẽs esse, & vt plurimum esse. Aptissime autem sunt ad magna & noua producenda illæ syderum constitutiones, in quibus plures Planetarum in vnum coeunt, præsertim sub insignibus aliquibus earum stellarum, quæ fixæ dicuntur: raro enim fit, vt, quum eiusmodi conuentus fiunt, notabilem aliquem partum & portentum non ædant: sed de his plura fortasse oporteret dicere.

Per summa autem errant scabies, porrigo, papulæ, lepra, & circa caput achores, areæ, ophiasis, & id genus: horum autem omnium semi-

naria crassiora,& minus acria sunt, quàm quæ intima petunt, hæc enim subtiliora sunt,& acria magis,& ad spiritualia magis analoga. Eorum autem, quæ in summo insident, alia summam cutim tentant, alia profundius immerguntur, quæ in densiori materia sunt, quales sphaceli, et estiomeni,& carbunculi,& elephantia,& syphilis morbus,& id genus. Cito autem afficiunt, quæcunque seminariorum in acrimonia multa consistunt,& subtilia sunt, præsertim per anhelitum cor petẽtia, quorum analogia est ad spiritus, aut ad subtiliores humorum: at quorum materia densior est,& analoga ad humores crassiores, ea tarde serpunt, vt syphilis,& rabies. Mortuum autem animal contagem eam non seruat, qua tenebatur viuens, quoniam seminaria contagionis vnà cum calore innato extincta sunt. Paratiora vero sunt ad contagiones corpora ad eas quidem; quæ primo in nobis fiunt, immunda quidem & valde humida,& carnis ac foraminum constipatorum, ad eas vero, quæ extrinsecus veniunt, paratiora sunt, quæ foramina aperta,& laxa habent, calida autem,& humida: difficulter autem recipiunt,& serius, quibus frigida est,& sicca, densaq; corporis constitutio: propter quod senes & aniculæ minus corripiũtur, q̃ iuuenes: attendendæ tamen sunt analogiæ contagionum, quæ vnũ magis, q̃ alium tentant: minus item recipiunt, qui per ocium vitam traducunt, q̃ vegetes,& negotiatores: quosdam porrò vidimus, qui in medijs pestilentijs versantes securi esse consueuere, de quibus quædam suo loco dicemus,& vtrum consuescere pestilentijs possimus.

De signis contagionum. *Cap. 13.*

SVnt autem & indicia contagionum sua, quorum alia prænũcia sunt futurarum, alia præsentes monstrant: ac eorum, quæ prænuncia dicũtur, alia è cœlo sumuntur, alia ab aere, alia ab ijs, quæ circa terras,& aquas sunt, quorum quędam vt plurimum veracia sunt, alia sæpe: quare nec p oĩa prognosticari, nisi ꝓbabiliter, licet. In cœlo igitur quũ eorum syderum, qui planetæ dicuntur, vides vnam in partem plures conuenire, vt sæpe accidit plures aut septentrionales fieri, aut australes, nec non et coniungi etiam inuicem, tum scito in ea parte mutationes magnas circa terras futuras, ac primum quidem humiditates plurimas sublatis vaporibus multis è terra & aquis, mox siccitates non paruas consecuturas consumptis tandem vaporibus,& exustione circa terram & aerem facta: hęc autem solent & putrefactiones apportare: quòd si coniunctio syderum illorum sit plurium quidem sub maioribus earum, quæ fixæ dicuntur, tũ et prædicere potes insignem aliquam portendi contagionem. Sunt porrò

A rò & aspectus quidam planetarum, quibus astronomi hæc portenta tri-
buunt, qui nec omnino negligendi sunt, nec semper timēdi. Ex aere por
rò sua quoq; indicia haberi solent, ac primum quum multæ, crebræq; in-
censiones illæ apparent, quæ in suprema regione è vocato hypocauma-
te fiunt, vt cadentia sydera, cometæ, trabes, æges, & id genus, putrefa-
ctionem circa terram fieri ostendunt: omnia enim hæc è fomite vnctuo
so & lento fiunt: hoc autem mostrat vapores, qui à terra tolluntur, tales
quoq; existere, quòd potissimum circa putrefactiones contingũt. Nota-
re præterea oportet et alias inferioris aeris constitutiones, neque enim si
ne suspicione est, quum aut austri plurimi perflarint, et diu incubuerint,
aut caligines quasdam præter modum certam regionem videris occupa
re, et si fuscus et veluti puluerulentus aer Solem diu tristem reddiderit.
Tum vero tibi maxime cauendum erit, quum ventos quosdam fueris
conspicatus ex ea regione perferri, vbi pestilentia grassetur: non solum
autem timendum tibi sit, sed fugiendum, quum ea, quæ sub diuo po-
nuntur, vt obsonia, et lintea, et id genus marcorem quendam et situm
contrahuunt. Sed et aquę quoq; sua signa dant, quum inundant flumina,
et diu restagnant: quum loca paludosa cœnosaq; relinquũtur: quum ma
ria pisces emortuos plures in littoribus deponunt. Terra quoque, vbi plu
rimam insectorum generationem profert, putrefactiones cõceptas nun-
B tiat, quæ nisi totæ in ea animalia absumptæ fuerint, contagiones subes-
se declarant: potissimum autem isthæc portendunt locustæ, quarum sę
pe innumerabilis ac penè infinita generatio fit: hoc autem non solum
mõstrat magnam putrefactionem præcessisse, sed sæpe nouam facit: tol-
lunt enim quasi exercitus ingens, & in certas euolant regiones, quas vbi
latè depopulatæ sunt, illic sæpe commoriuntur, vnde mox immensa cor
ruptio sequitur: qualem in Africa contigisse legimus anno CXVIII, de
latis ad littora locustis incredibili numero, atque ibi emortuis: simili-
ter & in Gallia euenisse anno DCCCLXIIII memoriæ mandatum est: in
Italia vero anno MCCCCLXXVIII in agro Ferrariensi, Mantuano, Ve
ronensi, Brixiensiq;, & vicinis alijs, quum ingens increuisset earum mul
titudo, paulo post miseranda pestilentia secuta est: quod & annis superio
ribus etiam cõtigisset, nisi Dei Optimi clementia, et mortalium cura pro
uidisset, quo tempore tantum eius generis animantum vidimus, quan-
tum antea nunquam visum fuisse putandum est: quarum pars multa in
huius superioris Italiæ agris resedit, pars versus Gallias euolauit diebus
septem non sufficientibus migrationi tanti exercitus. Idem sæpe faciunt
& cadauera cæsorum in pręlijs. Quin & cibi non nulli sunt, quorum

vſus frequens nunc has, nunc illas infectiones producit, alij Elephantiam alij ſcabiem, alij carbunculos, alij alia. Interdum & animalia, quæ ſub terra degunt, ſolent non nullas infectionum ſignificare, quum multa eorum è latibulis & proprijs laribus in apertum exeunt. C

Sæpe exiguus mus
Augurium tibi triſte dabit, tellure ſub ima
Quem non vllus amor tenuit, ſed in aera apertum
Erupit ſcrobibus, vitæq;, atq; immemor vſus,
Et paruos natos, & dulcia tecta reliquit.
Ipſa etiam tellus ceu non ignara futuri,
Quum tremit, atq; intus grauida ſuſpirat ab aluo,
Signa dabit: tremuere vrbes, & vertice toto
Formidauit Athos, timuitq; ſub æquore Nereus.

Quippe crebri terræ motus & ipſi nunciant contagiones futuras, quoniam exhalatio, quæ intus concluditur, non ſolum noxium quiddam acquirit, ſed etiam gignitur ex ipſis maxime putrefactionibus, quæ ſub terra fiunt. Ad hæc & cum vides carbunculos multos, & exanthemata, & bubones enaſci, timere quodammodo potes. Præſentes vero contagiones indicant, eas quidem, quæ extrinſecus veniunt, multitudo eiuſdem morbi, tametſi non, quandocunque multi eodem laborant morbo, contagioſa eſt ægritudo: eſſe autem contagioſam cognoſces & ex D genere morbi, & ex ijs, quæ ſequuntur: eas vero, quæ primo in nobis fiunt, contagioſæ'ne ſint, an non, cognoſces ſimiliter & ex genere morbi, & ex his, quæ ſequuntur. Sed iam de contagione, quid ſit, & quo pacto fiat, & quibus principijs, & quæ ſint contagionum differentiæ, & cauſæ, tum & quæ ſint earum ſigna communia, in vniuerſum dictum hactenus ſatis ſit.



HIERONYMI FRACASTORII
DE MORBIS CONTAGIOSIS
LIBER SECVNDVS.

De febribus contagioſis. *Cap. I.*



AD HAEC conſequens eſſe videtur, vt de ſingulis contagioſis morbis, qui nobis cogniti ſunt, agamus, qui ſint, & quibus de cauſis fiant, & quomodo differant inter ſe, ab ijs incipientes, quorum cognitio neceſſaria magis videtur: tales autem ſunt febres, quæ in contagione conſiſtũt, de quibus tanto accuratius eſt agendum, quanto plures earum nouæ inuſitatæq; annis noſtris apparuere. In vniuerſum autem de omnibus pauca quidem à maioribus noſtris pro tanto negocio literis mandata ſunt. Quid autem ſimpliciter ſit febris, & quomodo fiat, in præſentiarum nobis eſt ſupponendum.

Contagioſæ autem vocantur, non quæcunq; vicinum & contiguum humorem poſſunt inficere, ſed illæ ſolum, quæ in alium conſimilem inferre infectionem valent, & quæ dicta ſeminaria cōtagionis per ſe inclu-
B dunt. Earum vero, quæ contagioſæ dicuntur, aliæ peſtilentes vocantur, aliæ non peſtilentes, & peſtilentum quædam ſimpliciter peſtilētes ſunt, quædam malignæ tantum appellantur, quaſi mediæ inter peſtilentes, & non peſtilentes: quippe contagioſarum febrium quædam vt plurimum ſalubres ſunt, quædam vtplurimum perdentes, quædam vero partim ſalubres, partim perdentes, à quibus multi quidem euadunt, multi vero pereunt, in dubio, qui plures ſint: quales, quæ lenticulæ dicuntur.

De variolis, & morbillis. *Cap. 2.*

ERgo de ijs contagioſis primo eſt agendum, quę, tam & ſi contagioſæ ſunt, peſtilentes tamen non appellantur, ꝙ maiori ex parte ſalubres ſint: tales autem videntur illæ, quas, qui arabum libros tranſtulere, Variolas, & Morbillos vocant, ꝑ variolas intelligētes eas, quas et vulgus varolas vocat ex ſimilitudine, arbitror, puſtularum, qui vari dicuntur, ꝑ morbillos autem eas, quas vulgus ferſas nuncupat, à feruore fortaſſe dictas: de ijs autem græci non videntur ſub alio egiſſe nomine, quàm exanthematum, quod nomen & varium etiam apud ipſos reperitur. Contingunt igitur eiuſmodi febres præcipue pueris, raro viris, rariſsime ſenibus videntur autem & omnibus ſemel in vita aut accidere, aut aptæ eſſe, quę

accidant,

accidant, nisi præcox mors hominem tollat: non facile autem dignoscuntur adesse, prius, quam pustulæ ipsæ malum prodant, signa tamen quædam præcedunt, ex quibus suspicio esse potest eiusmodi affuturam febrem. Ac primum, quum vides populariter quodammodo vagari genus id febrium, puer autem est, qui febrit, tum suspicari potes communi illo teneri morbo, necessarium tamen non est, quare et alia signa spectato, si conuersatus est cum alio affecto, si lucent oculi, si dorsum confractũ sentitur, si facies rubet, febris autem continẽter affligit, morosa quidem magis, q̃ mordax: hęc. n. primum indicia apparent: tum interroga, nunquid aliàs senserit eiusmodi febrem, quę solet exanthemata illa apportare, raro. n. fit, vt, qui semel affectus fuit, denuo etiam patiatur: tũ vide, si quid à natura ad cutim pellitur, nam vt plurimum circa quartum diem, aut paulo post apparere solent primum quidem sparsę quędam ceu maculæ rubentes, mox manifestius in pustulas concrescunt interdum humidiores, & varis similes, interdum ficciores, et similes ijs exãthematibus, quæ ex calore solẽt pueris euenire, quas vulgus sufferfuras vocat: vtręq; mox tenui quadã pituita, et sanie replentur, ac per ipsas soluitur ægritudo, facillime quidem pueris, difficilius autem grandioribus: propter quod matres optare solent febres hasce filijs aduenire, quum tenera in ætate sunt. Contagiosæ igitur sunt, quoniam, quod exhalat in putrefactione, lẽtum admodum est, et seminarium contagionis in alterum, eo pacto, quo in aliјs fieri diximus: maiori autem ex parte salubres sunt, quoniam ebullitio hęc purificatio quędam sanguinis est: neq;. n. contemnendi sunt, qui dicunt infectionem à sanguine menstruo contractam in vtero matris secerni per eiusmodi ebullitionem, et putrefactionem eius, ac sic defecari sanguinem per quãdam quasi crisim à natura factam: propter quam causam omnes ferè hunc affectum patimur, quoniam omnes eam infectionem menstrualem deferimus à ventre matris: qua de causa nõ perdit vt plurimum febris hęc per se, sed purgat magis. Pueris vero benignior est, q̃ adultis, qm̃, siqui per ętatem teneram eam sanguinis infectionem non expurgant, signum est esse male idoneam separari: quare mox, quum in grandiori ętate fit separatio illa, contingit quidẽ vi multa, et affligit magis, minus autem, quum mollior est sanguis, et aptior, vt separetur ab eo labes illa. Ob id etiam, quum semel accessit, non reuerti pręterea solet, quoniam secreta iam sit infectio: visa tamen quandoq; fuit bis accessisse, quibus scilicet prius non exacte secreta fuisset. Si igitur sanguis pituitosior sit, pustulæ variformes fiunt albę, rotundę, mucore quodam plenæ, si vero biliosior extiterit, pustulę ficciores erumpunt: analogia autem eius contagionis ad eam sanguinis superfluitatem est, quę è mẽstruo sangui-

ne

A ne contracta fuit:quare ad eos ſolum analoga eſt hęc infectio, quibus purificatio ſanguinis non eſt facta,propter quod nec omnes inficit,nec humores omnes.Nec plura de his dicantur.

De peſtilentibus febribus. *Cap. 3.*

NVnc de peſtilentibus vocatis proſequamur,quarum alię vt plurimum perdunt,vere peſtilentes vocatę,alię multos ſolum perdūt, malignę appellatæ,communi autem vocabulo omnes peſtilentes nuncupari ſolent:de quibus accuratiſsime perquirendum eſt, omnes enim peculiarem quandam et rationem , et curationem habere exiſtimant , quę autem peculiaris ratio ſit,non dum plane aſsignatum video:quidam breui ſeſe ab hac difficultate explicantes ad occultas proprietates recurrūt, de quo multa in ſuperioribus dicta ſunt, quę hic non aliter repetentur, tanquam nihil dicentibus,& docentibus,qui difficultates propoſitas per ignota ſoluere ſtudent:Galenus vero interdum videtur dicere peſtilentes febres habere quandam venenoſitatem,et per hoc differre ab alijs, interdum peculiare ijs ineſſe , vt putrefactio circa cor ſit, quandoque quidem in ſubſtantia eius , quandoque in contentis : de quo rectum eſt rationem habere , nam quid ſit venenoſitas illa , non declarat Galenus, & vtrum veram venenoſitatem intelligat,an magis aſsimilationem quan-
B dam interficiendi . Quòd ſi veram venenoſitatem intelligit,oportebat dicere, in quo conſiſteret,venena enim aut per materiales qualitates,aut per ſpirituales necant : quod vero dicit peculiare eſſe his febribus , vt aut cordis ſubſtantiam putrefaciant , aut contenta, rurſus dubitationem nō paruam habet : qua de re MONTANVS ciuis noſter primarius iam,et nunquam ſatis laudatus in re medica , & in quem , ſi Pythagorice loqui licet , Galeni anima migraſſe videtur , ſubtiliter quidem multa diſſeruit pro Galeni placitis , quantum quidem videre potui ex ſcriptis quibuſdam, quæ ſub eo ordinariā Medicinæ Patauij legente ab auditoribus notata , & literis mandata fuere : quæ , quum forte ad manus noſtras tum perueniſſent , quum & ipſe de hiſce febribus ſcriberem , ſuſpenſum me admodum reddidere , quum ego alia via forte fortuna incederem: nam ſi inceptis noſtris perſiſtere voluiſſem , non ſolum timor oboriebatur, quomodo mihi ipſe confiderem deuianti ab eorum calle,ſed & rem valde arrogantem videbar aggredi, q & à primo Galeno,& à ſecūdo diſſentire auderem:quocirca,quum quaſi decreuiſſem retractare, quęcunq; de ea materia ſcripſiſſem,rem tamen cum quibuſdam amicis cōicaui,qui ingenue conſulentes perſuaſerunt,quæ ego iam ſcripſiſſem , tametſi viderentur nouo calle procedere , emittenda tamen eſſe non per aſſertio-

nem

nem aliquam sed vti problemata magis. Quæ igitur MONTANVS C
noster ex Galeni placitis tradit, hęc ferè sunt.

Febres, quę pestiferæ vocantur, differre ab alijs, quæ in putrefactione consistunt, quod pestilentum putrefactio vel in substantia cordis sit, vel in contentis: in alijs vero iam nec putrefactam esse cordis substantiã, nec contenta: transmitti quidem ad cor vapores putridos, atque accendere tum cor, tum contenta, putrefacere autem non: quod si eò veniant, vt putrefaciant, iam febrem pestilentem esse: porrò pestilentem omnem febrem hecticam etiam esse, si quidem facta putrefactione in corde, aut contẽtis fieri non posse, vt iam confirmata non sit, atque hinc illa cõtingere, quæ in pestiferis apparent febribus, non sentire scilicet ægrum se febrire, pulsus non magnos, non citatos percipi, maximam mortalium partem perire: conuenire autem pestilentes febres partim cum putridis, partim cum hecticis, cum putridis quidem, quia omnino febres hæ à putredine pendent, cum hecticis vero, quia iam confirmata sit febris: verum neque simpliciter hecticas dici debere, nec simpliciter putridas, sed pestilentes hecticas, & putridas: venenositatem autem earum non aliud esse, quàm gradum putrefactionis largioris circa cor.

Atque hæc ferè suut, quæ ego scripta vidi: quę, si bene considerentur, non paruas habent difficultates, ac primum, quòd progressus hic non declarat, cur pestilentes febres contagiosæ sint, quod peculiare quiddam & D
proprium videtur cum ipsis iungi. Præterea, si quæratur, cur in ijs putrefactio sit in corde, aut contentis, dicere quidem videntur causam esse, quod ingens & larga quędam sit putrefactio, per quam accidit & cor, aut contenta infici. Si vero rursus quęratur, cur fiat ingens illa putrefactio, cõtingere dicunt ex pręparatione, hoc est nimia humiditate, quæ vel intrinseca est, vel extrinsecus accedit: quod certe non minorem habet difficultatem, nam primo mirum videtur in decem millibus hominum, qui in pestilentia pereunt, eam esse præparationem in omnibus, pręsertim quod videmus innumeros exactissime sanos existentes, et nullo vitio humorũ deprauatos concipere tamen contagem illam ex sola cõuersatione cum pestilentia affecto, aut ex illius vestibus: quid nam igitur in hoc fecit illã ingentem putrefactionem, quum nec obstructiones fecerint, nec humiditas aut propria, aut ab aere acquisita? quare aliquod aliud principium assignari necesse est, quod in causa sit. Oportebat pręterea declarari, qualis nam esset ea ingens putrefactio, num quantitate ingens & mole, an gradu actionis: nam si actione ingens, cur ardentissimæ causones, & furẽtes, non tamen pestilentes sunt? quinimo nec illæ, quæ ex eruginosa cholera sunt: si vero quantitate ingens est, quæ necessitas erat ponere cor ipsum

A sum putrefieri? poterat enim sufficere quãtitas illa ingens putrefactionis. Ad hæc & illud dubium est, si adeo ingens est putrefactio, cur nõ sentiat æger se febrire, quum aliæ alioquin minoris putrefactionis inflammationem inducant: nec recurri ad hecticam posse videtur, quando multo ante, quàm hectica fiat, putrefactio illa ingẽs fit, imo causa, cur hectica fiat, est putrefactio circa cor, illam autem facit ingens putrefactio per corpus reliquum: cur ergo prius non sentitur, quàm hectica facta sit? Postremo & mirum illud videtur in his febribus putrescere cor, aut & contenta, statim enim videretur animal perire, quoniam nec erysipelata tolerare potest delicatissimum membrum: nõ perire autem hominem statim manifestum est, sed maiorem partem peste affectorum vltra quartum & septimum viuere, quin imo & multos euadere, quod certe fieri posse nõ videtur, si febris iam hectica confirmata est. Præterea cur & aliæ hecticæ non sunt pestilentes, quando febris confirmata est in corde? & si vapores putridi circa cor ad id venerunt, vt possint facere hecticam & confirmatam caliditatem in corde, videntur etiam posse & putrefactionem facere aut in ipso, aut in contentis saltem, quod si fit, necessario perire oportere pestilentes omnes videtur: atq; hæc sunt, quæ dubitationem faciũt circa positionem hanc: quare non tacebo, quę ego prius conceperam, paratus opinionem mutare, si minus satisfacere videbuntur. Inhærendo igitur fun-
B damentis illis, quæ circa contagionum naturam iacta sunt, dico pestilentes febres ab alijs putridis differre in multis: primum in principio agẽte, deinde & in materia seu modo putrefactionis, ac demum in accidẽtibus proprijs, quæ sequuntur: quippe in alijs putridis principia & causæ putrefactionis sunt aut obstructio, aut plenitudo, aut malitia humorũ in quantitate, vel qualitate: voco autem principia hæc agẽdi, quia causæ sunt, cur à caliditate loci putrefactio fiat: in pestilentibus autem febribus nullũ horum per se causa est, & principiũ putrefactionis, possunt enim esse in aliquo mensuratè humores, potest abesse omnis obstructio, omnis plenitudo, pestilentia tamen ab alio cõcipi: oportet igitur esse aliud principium per se eius cõtagis. Nihil quidem prohibet quãdoq; & has dispositiones adesse, sed accidunt quidem quantum ad id, quod per se agit, æque enim putrefactio fit, siue adsint, siue nõ: quin imo illud fieri potest, vt in aliquo præparatum sit aut phlegma, aut cholera, vt putrescant ex prædictis principijs, minus tamen corripiantur à contagione, quàm humor alius, quòd analogia non sit ad illos: quare nec omnes putrefactiones, quæ circa terras, & aerem fiunt, etiam disponunt ad eam, quæ circa pestem versat, sed certæ solum. Si igitur recte tradita sunt, quæ de contagione à nobis sunt dicta, principia quidem contagionum per se sunt seminaria ipsa, de quo-

rũ natura tanta narrata ſunt, quæ quidem, tametſi cõi quodam principio C
cũ vaporibus & loci caliditate cõueniunt in agendo, peculiarẽ tñ quãdã
ſortita naturam ſunt, & rationẽ putrefaciendi: in primis. n. diximus habe
re ea vim & actionem multã, tum & miſtionem fortem & elaboratã, nec
non & miſtionem in lentore conſtitutam, ac demũ non materialem ſo-
lum antipathiam ad calorem naturalem, & ad animam ipſam, ſed & ſpi-
ritualem. Hæc igitur quum ita ſe habeãt, longe diuerſam putrefactionẽ
ab alijs faciũt, ſi quidem in alijs ſuperficialis quodãmodo fit putrefactio,
non profunda, & ſordida, in his autem profundiſsima, & ad partes vel pe
nitiſsimas eius, quod putrefit: quod quidem iccirco accidit, primo, ꝙ ſe-
minaria non paruæ actionis ſunt, quemadmodum ſimplices vapores, ſed
longe maioris ꝑꝑ fortem miſtionem, propter quam nec cito & facile al-
terantur, ſed perſtant, & actionẽ continuant: ꝑꝑ lentorem autem aggluti
nantur valde illi humori, ad quem habent analogiam, in quem incũben
tia cito diſſoluunt, actiua multum quũ ſint, & humida: ad quod non pa-
rum adiuuat ſpiritualis antipathia, quæ naturalem calorem fugat, & pro
pellit, à quo deſtitutus humor cito contrahit putrefactionẽ profundam:
fit etiã putrefactio illa non profunda ſolũ, ſed & valde larga, hoc eſt mul
tarum partium, qm̃ ſeminaria hinc inde diſperſa ſunt, & hæc alia ceu ſo-
bolem generant, illa alia: recte igitur dicebat Montanus magnã putrefa-
ctionem in peſtilentibus febribus fieri, ſed rationẽ non dedit per ſe id fa- D
cientem, aſsignans humiditatẽ contractam, & præparantem. Differunt
præterea hæ febres ab alijs putridis in accidentibus ꝓprijs: ad has. n. ſequi
tur eſſe contagioſas ad aliũ, cuius cauſa aſsignari nõ aliter poteſt, q̃ per ra
tionem ſeminariorum, quæ ad alium delata tale in ſecundo faciũt, quale
in primo fuit: ꝙ ſi peſtilens aliqua febris primo in nobis fiat, nunq̃ tamen
eſſe peſtilentem dicimus, niſi tum, quum ſeminaria contagionis iã facta
ſunt: quare æque eſt factã eſſe febrem ex ſeminarijs, & aptam eſſe ex ijs fie
ri, atq; ea per ſe includere. Si igitur licet peſtilentẽ febrem diffinire, dice-
mus eſſe febrẽ ſordidæ, & profundæ putrefactionis, includẽtem ſemina
ria acutiſsimæ cõtagionis per ſe, ꝑꝑ quod & letalis eſt, et ad aliũ contagio
ſa, atq; hæc per ſe ratio eſt peſtilentis febris, nõ aũt ꝙ vel cor, vel contenta
in eo putreſcant: nihil quidẽ prohibet & ad illa putrefactionem deferri,
præſertim ſi analogia ad illa ſit, ſed ſiue hoc ſit, ſiue nõ, ratio nõ eſt hęc pe
ſtis, ſed forte ratio vehementioris peſtis, & citius interficientis: quod autẽ
per ſe eſt, & (vt aiunt) formale, eſt eſſe febrem per ſe includentem ſemina
ria contagionis letalis: propter quam cauſam, quæ è venenis fiunt febres,
letales quidem ſunt, ſed non peſtilentes, quoniam contagioſę non ſunt,
carent enim eo, quod formale eſt, & per ſe ratio peſtilentiæ.

De

A De differentijs pestilentum febrium, & accidentibus earum. Cap. 4.

PEstilentum vero febrium aliæ extrinsecus in nos veniunt, alię in nobis primo fiunt: aliæ omnes perdunt, aliæ maiorē partem, aliæ multos solū. Diuersa porrò est earum analogia, & admirāda: quædam ad sanguinē præcipue analogæ sunt, quædam ad cholerā, quædam & ad humores alios, aliæ ꝑmiscue ad omnes, & aliæ ad spiritus solos, aut ad ipsos maxime: & quædam citissime perdunt, quædam serius. Extrinsecus veniūt; quorum seminaria prius concepta sunt aut in aere, aut terra, & alijs: oportet autem & ea prius corrupta fuisse, si proprie contagio dicēda est, dico autem seminaria, non vapores simplices, multum enim differt (vt diximus) inter seminaria & vapores. In nobis autem primo fiunt, quæ è communibus quidem causis cum alijs originem habent, vt plenitudine, obstructionibus, & humorum malitia: verum putrefactio & sordida est, & conclusa, eiusmodi autem, vt in ea seminaria fiant contagionis perniciosæ, nihil enim prohibet sæpe talem in aliquo primo fieri, mox ab illo in alios importari. Omnes autem perdunt, quæ ad spiritus & spiritualia analogiam habent, maxime quæ extrinsecus veniunt per anhelitum attractæ contages: maiorem vero partem perimunt, quæ ad acutos humores analogę sunt, præsertim si & ipsæ extrinsecus apportentur: multos autem solum, quæ ad crassiores humores rationem habent: quo autem modo, & quibus de causis diuersæ sint analogiæ earum, supra quidem demonstratum vniuersaliter fuit, quare nunc non aliter repetendum erit.

B

Sed iam de accidentibus earum dicatur, quatenus signa, & notitia earum haberi possint: primum ergo, qđ per se has febres sequitur, est esse cōtagiosas, quod & maximum est earum signum, quod quoniam non semper datur videre posse, alia signa attendenda sunt: commune autem est omnibus ferè, per initia, omnia videri valde placida, ita, vt vix febrire existimetur, qui nihilominus latentem pestem concepit: pulsus vrineq́; id attestantur, sed ita tamen, vt peritum non lateant: per processum porrò tāetsi sua sunt augumenta, tota tamē per se febris placida videtur, & lenis: calor tactu mordax non est, introrsum vero morosus magis, quàm acris percipitur, quippe interrogati, qui ægrotant, num febriāt, non febrire se dicunt, sed tamen in angustia quadam versari: decubitus supinus est, dorsum perinde ac verberati, anhelitus solito longior, pulsus non citatus, nō altus, sed præssus magis, & vix audens se attollere: hæc ergo signa per primos morbi processus apparent, quæ quum vides, tum ad alios spectato, quos febres tenent, ac quum multos emori vides è consimili morbo, tūc

time pestilentem esse febrem,cui astas:in dies autem certiora se ostendẽt signa,nam vel maculæ in cute apparebunt,vel abscessus circa emunctoria vocata:oculi ad hæc subrubent, & vacillant, anhelitus extraneo quodam fœtore grauis est,quo solo signo periti sæpe pestilentem febrem deprehendunt:verba sæpe dicũtur multa,& interdum incomposita, caput grauescit,& modo vigiliæ,modo somnus nimius ægrum tenet: Hypochondria tenduntur,egestiones liquidæ sunt,corruptæ,longinquæ à forma fęcum & humorum,fœtentes:vrinę aut subiugalium similes,aut quasi vinum granatorum,aut tenues,crudæ,aut confusæ,rubræ,quandoque & similes sanis sunt:lingua sordescit,virtus omnis labat, & fatiscit: mala autem signa sunt, delirium perseuerans,vrinæ detentio,fluxus sanguinis narium,ad quem leuatio nulla consequitur,ventris deiectio multa ꝑ initia oborta,vel è leui pharmaco facta,apparitio macularum,&abscessuũ, ac subita mox delitescentia. C

Quòd igitur per initia mites appareant hæ febres, nihil mirum videri debet,quum toto genere,& in toto processu lenes plurimum sint:causam aliqui reddunt,ꝙ nec nos tangentes ardorem febris sentiamus, nec æger ipse, nos quidem, quia febris hæc extrorsum quieta est, introrsum turbans,æger vero neque ipse sentit,quoniam hecticam febrem patitur, de quo supra dictum satis fuit. Nos è nostris principijs causam inde esse arbitramur,ꝙ profunda admodum sit putrefactio,in qua acrimonia omnis multum obtunditur,& hebescit humido multo simul euaporante,et lentore tanto facto:in febribus autem,quæ in sicco cõsistunt, quales sunt cholericæ,acrimonia,& feruor sentitur,membra exuruntur, sitis vexat, ariditas linguæ fit,quoniam igneum est,quod euaporat, & siccum, propter quod nec contagionem facit,quoniam non agglutinatur,quanquã magnę actionis sit:est fortasse & alia concausa,cur peste laborantes febrẽ non sentiant,ꝙ sensus illis magnopere obtusi sunt,obsepti tanta putredine,in qua virtutes non solum dissoluuntur,sed nec trãsmittuntur ad sensitiua membra:ꝙ vero pulsus parui sint, & rariores, rursus causam assignant alij,ꝙ pestilentes hectici fiant,quare,quum nec caliditatem nouã percipiant,pariter nec noua euentatione indigent,vnde & pulsus nõ valde diuersi sunt à seipsis sanis existentibus. Nos,si licet,aliam causam assignamus,illud prænotãtes, ꝙ natura semper illud eligit,quod aut melius est,aut minus malum,vt in ijs diximus,quæ de sympathijs tractata sunt: sicut igitur oblato fœtore aliquo à natura fit,vt vix anhelemus, vix halitum per nares trahamus,quasi sic minus aperiatur aditus fœtori, ita lata ingenti,atque abominabili putrefactione,seu exhalatione ad cor vix audet natura ipsum dilatare,vix venas tollere,quo minus via putredini apeD

riatur:

A riatur:quare tantum tollit,quantum vix ſatis eſt vitæ, & euentationi cor
dis:propter quod pulſus paruus fit,& rarus,& anhelitus longior,& angu
ſtior,conſtrictio vero ſeu expiratio velocior,q̃ dilatatio & inſpiratio: qđ
& in pulſibus etiam venenatorum contingit,vt ſæpe vidimus. Vrinæ au
tem vt plurimum ſubiugalium ſimiles ſunt propter multam & diuerſo-
rum ebullitionem,ꝙ ſi humor crudior fuerit,albida ſæpe vrina fit,& ſub
tilis,ſi vero ſanguinis excrementa redundent,rubra exit,& confuſa pro-
pter ebullitionem,quæ ſi ſubaduſta & ſubtilia fuerint, aut tenui melan-
choliæ admiſta,ſimilem vino granatorum vrinam faciunt.Sed iam parti
culares febres proſequamur.

De ephemera peſtilenti in Britannia. *Cap.* 5.

IN Britannia inſula,quæ nunc Anglia vocatur,genus eſt peſtilentis fe
bris & contagioſæ,quæ ad ephemeras referēda videtur, ꝙ die vna aut
hominem perdit,aut liberat:eſt autem non contagioſa ſolum de vno in
alium,ſed & vagatur etiam de ciuitate in ciuitatem,nō tantum per eam
inſulam,in qua ferè vna videri ſolet,ſed ſæpe & ad vicinos Belgas deferri
viſa eſt.Quapropter & vitio aeris præcipue enaſci cenſendum eſt: cur au
tem in ea inſula præcipue oboriatur,vniuerſalis quidem cauſa eſt analo-
B gia eius aeris,particulatim vero,in quo ea conſiſtat analogia,difficile cer
te eſt noſſe:quanq̃ ſunt,qui dicant id è ſoli ratione contingere, quod ma
xime gypſeum eſt,vnde & Albion olim appellatam fuiſſe volunt: certis
igitur conſtitutionibus humidis vapores è ſolo illo accidit eleuari ſubti-
liſsimos quidem,corruptos tamen,qui & ſubtilem etiam inferunt conta
gionem,cuius analogia eſt vel ad ſpiritus,vel ad tenuem ſpumam, quæ
ſanguini ſupernatat.Quæcunq; autem cauſa ſit, conſtat analogiam eius
contagionis eſſe ad ſubtile ſanguinis,propter quod die vna aut finitur æ-
gritudo,aut æger,vt plurimum autem finitur ęgritudo per ſudorem,vn
de & febrem etiam ſudorem appellāt incolę:nullis vero alijs medicamē-
tis vtuntur aduerſus ipſam,quam expectatione ſudoris, nam quibus ad-
uenit,omnes ferè euadunt,quibus autem retinetur, maxima pars perit:
quare cura omni & diligentia procurant,ne impediatur ſudor,quod vel
facillime accidit, ſi tantùm æger ſitum, atque accubitum mutet:qua de
cauſa iubent medici,vt æger integra die vna ſitum non mutet: quam mo
leſtiam qui ferre poſſunt,mercedem laboris recipiunt,& euadūt,qui ve-
ro ferre non valent,ſed ſe iactant,decubitum mutant, nouum aerem au
cupantur,impedito ſudore ſua cauſa pereunt.

De

De febre, quam lenticulas vel puncticula vocant. Cap. 6. C

SVnt aliæ febres, quæ mediæ quodãmodo sunt inter vere pestilentes & non pestilentes, quoniam ab ijs multi quidem pereunt, multi etiã æuadũt: contagiosæ autem sunt, & icciirco naturam pestilentum sapiunt; appellari autem solent malignæ magis, quàm pestilentes: quales illæ fuere, quæ annis M D V, & M D XXVIII in Italia primum apparuere ætate nostra nõ prius notæ, certis vero regionibus familiares, vt Cypro, & vicinis insulis, maioribus etiam nostris cognitæ: vulgus lenticulas aut puncticula appellat, quòd maculas proferant lenticulis, aut pũcturis pulicum similes: quidam mutatis literis peticulas dicunt: de quibus diligenter agendum videtur, quòd & nunc quoque crebro visantur modo communes multis, modo quibusdam particulatim contingentes: visi etiam sunt, qui ex Italia in alias regiones profecti, vbi nullæ essent eiusmodi febres, ex ijs tamen perierint, quasi secum infectionem detulerint: quod clarissimo & doctissimo ANDREÆ NAVGERIO Oratori pro Illustrissima Venetorum Repu. apud Regem Gallorum annis superioribus contigit, ex hac enim labe interijt in ea ꝓuincia, in qua ne nomine quidem nota erat ægritudo eiusmodi, vir eius doctrinæ & ingenij, vt nulla maior literarum iactura sit facta iam multis annis. Contagiosa igitur est & hæc febris, sed non celeriter, nec fomite, & ad distans, sed tantum per D
tractationem infirmi: per initia autem quum febres omnes pestilẽtes placidæ sint, & mites, tum hæc adeo placide inuadit, vt vix admittere medicum ægri velint, vnde & medicorum multi plurimum decepti sunt, expectantes resolutionem morbi paulopost, nec quicquam contra parantes: mox vero signa malignæ febris aperiebantur, nam, quanquam calor mitis pro natura eiusmodi febrium sentiebatur, interne tamen perturbatio quædã percipiebatur, tum & fractio in toto corpore, lassitudoq; more fatigati: decubitus erat supinus, caput grauescebat, sensus hebetes erãt, & mens magna ex parte post quartum aut septimum non constabat, oculi rubescebant, verba multa dicebantur, vrinæ primum exalbidæ vt plurimum cernebantur, plenæ tamen, mox rubentes & confusæ, aut similes vino granatorum: pulsus rarus, & humilis, qualem diximus: excremẽta corrupta, fœtentia: circa quartum & septimum in brachijs, dorso, & pectore maculæ rubentes, sæpe & puniceæ erumpebant puncturis pulicum similes, sæpe maiores, imitatæ lenticulas, vnde & nomen inditum est: sitis autem aut nulla, aut parua aderat, sordescebat tamen lingua, somnolentia quibusdam aderat, quibusdam & vigiliæ, interdum in eodem vtrunque per vices: status alijs ad septimum, alijs ad quartumdecimum,

alijs

A alijs et vltra: vrina quibuſdam detinebatur, quod peſsimum ſignum erat: ea febre mulieres paucæ, ſenes paucisſimi, Iudei ferè nulli deperiere, iuuenes & pueri multi, et ij quidem nobiles contrario modo, ac peſtilentes veræ conſueuere, quæ quum vulgum præcipue capiant, tum hæ febres maxime in nobiles graſſari viſæ ſunt. Perituros ſua ſigna præcedebant, ſicuti & euaſuros: mala erant, ſi ſtatim ęger virtute defici ſe ſenſiſſet, ſi aſſumpto leui pharmaco ingens alui deiectio ſecuta fuiſſet, ſi facta criſi nõ acceſsiſſet alleuatio, nam vidimus, quibus libræ tres ſanguinis erupiſſent è naribus, paulopoſt tamen obijſſe: malum item, ſi vrinæ detinebantur, ſi lenticulæ delituiſſent, ſi ægre erupiſſent, ſi liuidæ fuiſſent, et valde puniceæ: quòd ſi aut omnia, aut plura ex his acceſsiſſent, certiſsima ſequebatur mors, euaſio vero, ſi contraria aut omnia, aut plura apparuiſſent.

De cauſis. Cap. 7.

HAec quidem in propatulo erant, et ante oculos: quibus autem de cauſis, et quomodo eueniſſent, magna inter medicos diſcrepãtia, magna altercatio erat varijs varia exiſtimantibu.: alij aduſtionem & acuitatem in cauſa ponebant, alij plenitudinem, alij intranſpirationem
B corporum, alij occultam proprietatem: quare & quiſque pro exiſtimatione ſua auxilia afferebat non ſine artis ludibrio, quòd vulgares nõ lateret tanta diſſenſio. Quoniam autem vagantes erant eæ febres, & multis vno tempore communes, communem quoque cauſam, tum habuiſſe cenſendum eſt, præcipue autem contractam ab aere: quod ſatis rationabile apparet, quando anno M D X X V I I I, præcedente hyeme auſtrina pluuioſa vere quidem multa flumina inundauere, apud nos quidem Atheſis, et Padus, apud alios alia: fuere pariter et caligines quædam, quibus arborũ germina, olearum præſertim q̃ plurima aruere: quibus de cauſis et principium his febribus datum credendũ eſt: quæ vero ſparſæ nunc apparent, cauſam particularem in nobis habent, in quibus primę fiunt, et conſimilem putrefactionem acquirunt, qualis illa fuit, quæ primum communẽ multis originem ab aere traxit. Quoniam autem contagio hæc per cõparationem ad vere peſtilentes, ſatis mitis apparet, nec celeriter contrahi ſolet, nec fomitem relinquit, nec ad diſtans protenditur, ſed tarde & p tractationem ſolam, cenſendum eſt ſeminaria ipſius non eſſe admodum acria, nec fortem illam elaboratamque miſtionem habere, ſed magis apta eſſe, vt et alterentur facilius, et non agglutinentur, quemadmodum alia ſolent, quæ fomitem relinquũt, et in ſumma quæ à natura vaporum

non

non multum remota sint, acria tamen, quantum sufficit eiusmodi contagionem inferre. Consimilem ergo infectionem in aere primum fuisse cẽsendum est, quæ mox in nos ingesta tale febriũ genus attulerit, quę tametsi pestilentes veræ non sunt, in limine tamen earum videntur esse. Analogia vero eius contagionis ad sanguinem præcipue esse constat, quod et maculæ illæ, quæ expelli consueuere, demonstrant, omnes enim rubẽtes sunt principij colorem & rationem retinentes: qua de causa & magna ẽt & late fusa est putrefactio propter humiditatem, & fluxibilitatem sanguinis: eadem de causa & lenior etiamnum est hæc, q̃ pestilentes aliæ, nõ potest tamen non morosa sentiri facta magna introrsum euaporatione prauæ putredinis: propter quod & lassitudo quoque sentitur, & mens non constat, & caput grauat, & oculi rubent: quæ euaporatio, quoniam lenis est, & tractabilis, rarissime solet phrenesim facere, quod multi medicorum timere solent, vidẽtes delirium fieri. Porrò nec mirum est, si egestiones corruptæ, liquidæq; apparent, tam larga quum putrefactio fiat: vnde & malum erat signum, si assumpto leui pharmaco ingens deiectio secuta fuisset, præsertim primis diebus, signum enim erat valde amplam esse corruptionem. Somnus autem ijs multus obrepebat, quibus pituitosior erat sanguis, vigilię vero, quibus biliosior. Maculæ autem apparebant in cute, natura foras pellente, quam poterat, partem infectionis: nam & modo per sanguinis fluxum è naribus, modo per sudorem, modo per alui deiectionem exonerabatur, sed salubrior erat, quę per eiusmodi maculas tentabatur expulsio: propter quod multi eorum euadebant, quibus large fiebat ea, multi vero peribant, quibus raræ et sparsę erumpebant maculæ, aut, vbi erupissent, delitescebant: significabat enim aut naturam non esse potentem, aut materiam male obedientem, quæ aut expelli non posset, aut retrocederet, natura tentante aliam expulsionem. Sanguinis vero effluxio per nares nullos penè leuabat, quoniam magnum quidem stimulum arguebat, & naturam maxime cogi ad expellendum, qua poterat, contrarium, quod in maioribus venis inerat: sed ea via non erat idonea ad expellenda seminaria contagionis, quæ maxime in minoribus venis sedem habebãt, vtpote quę extrinsecus accessissent. Similiter nec multum proderat vẽtris deiectio, quoniam corrupta quidem materia expurgabatur, seminaria autem non: quare ex omnibus conueniẽtior erat, quę per cutim expulsio fiebat, primum quidem per maculas facta, mox & per sudorem: propter quod & multi visi sunt euasisse, quibus largus sudor superuenisset, per has enim vias magna pars seminariorum vnà cum subtili parte sanguinis excernebatur. Detinebatur autem interdum vrina, siue ꝙ absumeretur aquositas, siue ꝙ aliò verteretur, vt in maculas, vel sudorem

A dorem, siue quod redundantia nimia humorum, aut crassities uias obstrueret, siue deficeret uirtus: propter quod pessimum erat signum. Pueros autem, & iuuenes carpit magis ea contagio, quòd in ijs plus adsit sanguinis, & humidioris, ad quem habet analogiam: tum uero & ij foramina magis aperta habent, & calidiores sunt, unde attractio fit maior, tum per uenas, tum per anhelitum: propter quam causam &, qui negotiabantur magis, magis etiam carpebantur, minus autem ociosi, & frigidi, & sicci natura, quale fere est senum & Iudeorum genus: mulieres uero frigidæ & ipsæ sunt, & densioris carnis. Porrò nobiles magis, quàm plebs hac tanguntur labe, contra uero pestilentia magis plebs, quàm nobiles, quoniam pestilentia potissimum in contagione unius ad alium uersatur, minus uitio aeris, hęc autem infectio magis aeris uitio, quàm transitu unius in alium: ab ea igitur contagione, quæ ab uno in alium transit, magis cauere nobiles possunt propter diuitias, & commoditates alias, quibus plebs caret, ab ea uero, quæ dependet ex aere, minus defendi possunt nobiles, quàm plebs, quoniam ea, quum communis omnibus sit, magis eos occupat, qui delicatiores sunt, & minus robusti, quiq; & plus habent sanguinis, & humidiores sunt, quales sunt nobiles propter luxum & uitæ quietem: plebs autem & robustior est, & siccior, ut pote fatigata magis, & uictus parcioris. Ita igitur se habent lenticulares febres, & ex his
B causis fiunt: nunc de ueris pestiferis dicamus.

De uere pestiferis febribus. *Cap. 8.*

QVæ uero pestiferæ proprie dicuntur febres, partim quidem cum his conueniunt, partim differunt: conueniunt quidem natura quadam communi, quòd contagiosæ omnes sunt, & per eundem modum afficiunt, differunt autem, quod pestilentum contagio longe promptior est, & celerrimæ susceptionis, tum vero & fomitem quoque relinquit, & ad distans sese etiam extendit, item & aut omnes, aut maiorem partem eorum perdit, ad quos pertingit. Seuiora quoq; sunt & reliqua accidentia, nam & virtus velocissime, & multa exoluitur, & perturbatio, quæ interna est, longe maior sentitur: non nullæ quoq; sunt, quæ per initia ardentissimam febrem apportant, tametsi reliquæ, & illæ etiã mox, lenes apparent pro natura totius generis: vigiliæ vt plurimum infectos tentant, quandoq; sopore commistæ: pulsus & in his, quales in alijs percipiuntur, rariores, & humiliores, quàm ægritudo videatur poscere: vrinæ conturbatæ, aut albæ, aut etiam similes sanis: egestiones corruptæ, liquidæ, fœtentes: in quibusdam bubones, aut parotides, aut alij abscessus apparent: maculæ aut nullæ, aut rarius in ijs visæ, quod alioquin mirum

est,quum materia harum febrium sit longe subtilior. Sunt & harum dif C
ferentiæ inter se quædam:aliæ extrinsecus in nos accedunt, præcipue ab aere,qui,quum corruptus est,& seminaria statim in nos transfert,tum nihil mortalibus miserabilius potest accidere,verum rarissime contingit, vt ex aeris corruptione pestilentia contingat:aliæ ab ipso quidem originē trahunt,sed non statim ab eo seminaria recipiunt,sed aut vapores,aut consimiles quosdam affectus,& dispositiones,à quibus mox febris in nobis primo pestilens fit,& ab vno in alium transmittitur : aliæ & in nobis primo fiunt non vitio aeris,sed aliorum vt ciborum,& vniuersaliter vitio eorum,quæ prauas putrefactiones facere consueuere.

Quoniam igitur celerrime suscipitur hæc contagio, existimādum est acutissima & subtilissima esse earum febrium seminaria,& analogiā præcipue habere aut ad spiritus,& spiritualia,aut ad biliosos humores:qua de causa non nullæ interficiunt paucis horis,quæ scilicet ad spiritus, & spiritualia analoga sunt,& antipathiam habent non solum materialem, sed & spiritualem:non nullæ serius necant:perdūt autem vel omnes, vel maiorem partem,omnes quidem,quæ ad spiritus,& ad cor habent antipathiam vtranque,maxime autem ab aere pendent,& per anhelitum attrahuntur:maiorem partem,quæ in humoribus sedem habent biliosis, aut sanguine exusto,aut etiam puro,propter quæ & vigiliæ magis adsunt in his febribus,q̄ in alijs:quæ tamen in sanguine fiunt(præsertim si pituita D abundet)coniunctum vigilijs somnum afferunt. Cæterum mites & hæ videntur,quanquam ingens sit ægritudo:causa eadem,quæ in alijs, ꝙ ꝓfunda est putrefactio,& sordida,in qua acrimonia non plane percipitur, tum quòd obtunditur multo humido,quod euaporat, cuius signum est lenta esse seminaria & fomitem relinquere,tum quòd sensus hebetes ꝑ se sunt:quòd si non nullæ ardentissimæ videntur per initia,hoc iccirco accidit,ꝙ nondum putrefactio profunda est,sed febres illæ in nobis primo incipiunt tales,quales aliæ,quæ contagiosæ non sunt, cholericæ autem vt plurimum,mox profunda fit putrefactio,& contagiosa ac lenior incipit febris videri.Pulsus propter prædictam in alijs causam rariores & humiliores videntur,quòd natura non audet venas tollere,ne aditum veneno aperiat. Quòd autem vrinæ similes sanis appareant interdum, admirationem non paruam præbet,quòd enim aut conturbatæ,aut & albide videantur,nemo itidem miratur. Causam aliqui dicunt icciro esse, quod similes sanis videantur,quòd corruptio & putrefactio circa spiritualia versetur,quare nihil impedire,ne & hepar,& renes officijs ꝓprijs fungantur,propter quod vrinæ concoctione quadam non carēt:sed certe,si febris est totius passio,mirum est spiritualia laborare,virtutes omnes exolui,

A exolui, hepar tamen & renes, quasi sana sint membra, concoctiones debitas facere. Fortasse igitur illud potius existimandum est, qđ existente vrina crassa & plena sæpe accidit, vt deficiente iam virtute, & non potente crasſiores illas partes expellere, percoletur quodammodo vrina, &, vbi primum crassa admodum fuerat, incipiat iam crassa minus descendere, deinde & minus adhuc crassa, donec perueniat ad mediocrem quãdam consistentiam, in qua nubeculæ quædam pendeant, propter quod sanis aſsimilatur, non est autem vere sana, sed apparet: quod sæpe nõ solum in pestiferis febribus, sed & in alijs videtur, quum prope mors est, & virtus iam non potest crassis vrinæ partes expellere: quæ res inexpertos quosdã medicos sæpe fefellit, incipientes bene sperare ex ea vrinæ mutatione. Fiunt autem abscessus magis, quàm maculæ, in hac febre, quoniam furẽs magis, ac turgens materia illius est: furit autem introrsum magis & circa principalia membra, hepar, cor, & cerebrum: omnis autem furens humor irritat plurimum, & cogit expelli, quare à partibus, quæ introrsum sunt, motus fit præcipue ad emunctoria principalium membrorum: mouetur autem non solum materia furens, sed & quæ illi commista est, propter quod abscessus maxime fiunt, & non maculæ: contingit tamen & illas quandoq; simul fieri expulsa tenui materia quadam circa cutem, præsertim vbi in sanguine infectio sit: ita igitur se habent, quæ cõtagiosæ vocantur febres. Nunc ad alios morbos pertranseamus, qui & ipsi in contagione

B consistunt.

De phthisi contagiosa. *Cap. 9.*

QVi de phthisi hactenus tractauere, videntur quidem de ea egisse magis, quatenus primo in nobis fit, & originem habet aut ex defluxionibus, quæ ad pulmones feruntur, aut è fracturis quarũdam venarum, aut sanie derelicta vel è pleuretide, vel peripneumonia, & similibus, de ea vero, quæ ex contagione concipitur, nulla quidem, aut q̃ paucisſima tradidere. Nos vero eam, quæ in nobis primo fit, non negligentes, ac supponentes magis, nunc maxime de ea agemus, quæ in contagione versatur, quod institutum est nostrum (constat.n. & contagione concipi) & propriam quandam animaduersionem exposcere demõstrabimus. Nostri tabem vocant, quod vocabulũ, sicut & apud græcos phthisis, interdum cõius est pro cõsumptione corporis, quæcunque sit, interdum proprie magis, quum pulmonis vitio per se contingit: quod rursus dupliciter solet euenire, quandoq; quidem exulcere in pulmone habito, vnde sanies vera emanat, quandoq; nõ ex vero vlcere, nec vera sanie, sed magis in saniem quandam conuersis pituitis, quæ illuc descendere.

Verum & illam quoq; possumus phthisim satis ꝓprie appellare, quæ corruptis putrefactisq; pituitis ita pulmonem affecit, vt, si non vlceratus est, at flaccidus tamen & putidus iam reddatur: quippe factis dissectionibus quorundam vidimus interdum partem pulmonis sinceram, & nulla tenus vitiatam, partem nondum exacte putridam, nódumq; vlceratam, sed tamen flaccidam, mollemq;, atq; in marcorem tendentem, quandoq; & totum pulmonem talem vidimus: quare, quum iam marcor ille in pulmonem serpit, phthisicum appellare merito hominem possumus, quum vero simpliciter corrumpuntur pituitæ circa pulmonem, nondum autē affectus ipse est, tum non vocari phthisicus homo debet, sed aut dyspnoicus, aut quid tale. Quæ igitur sint phthisis illius causæ, quæ in nobis primo fit, satis esse notum medicis arbitror, quarum nullā necesse est in ea præcedere, quæ è contagione concipitur: potest enim esse, vt quis nec destillationibus detentus sit, nec venam fractam gerat, neq; vllo vlcere circa pectus affectus fuerit, nec pleuretidem passus, nec demū vllo vitio tactus, sed optime sanus existens ex consuetudine tamen, & conuictu cum phthisico, aut ex fomite labem illam cōtraxerit: nam mirum profecto est, quanta tenacitate, quanto tempore seruetur virus illud in fomite, ita, vt vestes, quas phthisici gestauere, sæpe visæ sint post biennium attulisse cōtagionem: quinimo tales etiamnum fiunt & cameræ, & lectuli, & tabulata, vbi phthisici periere. In fomite igitur illo non aliud putādum est relinqui, quàm seminaria contagionis ex ea putrefactione euaporātia, quæ in phthisi fit, quorum mira quædam est analogia, quando ea non ad oculos, non ad palatum, non ad aliud membrum contagiosa sunt, quàm ad pulmonem: causam in vniuersum supra monstrauimus, neque enim omnia in omnia agunt, sed solum quæ & agentis, & materiæ, & applicationis rationem certam habent, atq; ob id analoga dicuntur. Signa autem iam tabefacti pulmonis sæpe oculis patent, sæpe enim frustula etiam ipsius per sputum reiecta apparent, tabescentis, & flaccidi iam, non ita manifesta sunt signa, sed tamē, quum prolongari morbum vides, sputa horribilia aspectu apparere, fœtere, ac saniem representare, quum & gen̨ rosæ fiunt, tum certo scire potes tabescere iam pulmonem, præsertim si è contagione concepta fuerit phthisis: conceptæ autem per contagionem indicia habere poteris, si causas diligenter inuestigaueris. Similes autem contagiosis & illæ sunt, quæ hereditariæ à parentibus contrahuntur, mirum enim est quasdam familias vsque in quintam & sextam generationem omnes eadē tabis conditione perire, & quosdā eadem ætate.

A *De rabie.* Cap. 10.

NOn minorem admirationem præbet rabies, de qua, sequitur, vt agamus: ea per se teneri animal nullum prçter canes Galenus scribit, atq; ita certe conspicitur, quæ vero animalium rabidi canes momorderint, rabire omnia prçter hominem Aristoteles tradit. Quç autem hæc in contagione spectantur, hæc ferè sunt. Imprimis constat non cõcipi eã contactu omni, non fomite, non ad distans, sed tum solum, quum è morsu canis ita dilaceratur cutis, vt sanguis eliciatur, quasi in sanguine ipso contagio fiat per contactum dentis & spumæ animalis rabientis. Serpit prçterea tam segniter, & per moras, vt rarissime ante vigesimam diem ꝓdatur infectio, maiori ex parte post trigesimam, multis non nisi post quatuor aut sex menses, quibusdam etiam post annum, aliqui & post quinquennium manifestari tradidere: vidi ipse puerum, qui octo post mẽses, ex quo demorsus fuerat, contagionem ostendit, ex qua mox perijt. Interea nec febris vlla sentitur, nec vllum aliud malum, nesciente ægro, quanta pernicies lateat, quam mox tum ferè percipit, quum ea ad cor pertingit, quo vbi peruenit, incredibili cruciatu hominem affligit, cor, & præcordia vellicantur, æger nec stare, nec quiescere potest, sed more furentis huc illuc agitur, manibus corpus dilacerat, sitit immẽse, sed illud maximum B incõmodum accedit, ꝙ & aquam & liquida omnia adeo reformidat æger, vt potius emori eligat, q̃ bibere, aut ad aquam deduci, tum vero et alios ipsi mordent, spumat os, oculi torui aspectu sunt, ac demum fatigati vitam miserabiliter efflant. Ferunt & si quis sub sorbo arbore iacuerit, qui aliàs demorsus à cane rabido fuerit, rursus in rabiem verti.

De his igitur quærendum est, quibus è causis fiant, verum non per eas rationes, quas demonstrationes appellant, sed si rationabiliter & ex communibus locuti fuerimus, satis fecisse existimari debemus. Quoniam igitur fomite non concipitur hæc contagio, nec in cute fit per contactũ simplicem, sed dilaceratione cutis indiget, existimandum est semina illius nõ admodum lenta esse, atq; ea crassiora fortasse, q̃ vt in foraminibus cõdi possint, quare non nisi sanguini agglutinari, spuma, in qua seminaria latent, illi commista: porrò &, quoniam tarde serpit, par est putare analogiam eius esse vel ad solidas partes, quales sunt nerui, & eiusmodi, vel ad crassum aliquem humorem, at cõstat solidorum nullum hac in labe corrumpi, quare ad crassos humores analogam esse contagionem: tales autem sunt phlegma, & melancholia: videtur autem ad melancholiam magis ea esse analogia, quia videmus rabiosos, demum etiam furentes fieri, quemadmodum & melancholicos, deinde quia & canis, à quo primum

contagio

contagio oritur,valde melãcholicum animal eſt,& ſiccum:porrò phleg C
ma in humano corpore multum eſt comparatione melancholiæ, quod
& aptiſsimum eſt,vt putreſcat:quare ſi in ipſo foret contagio hæc,non tã
diu lateret,vt poſt annum manifeſtaretur:at melancholia,quoniã & pau
cior eſt,& frigida,& ſicca,& minus apta putreſcere,diutius ſeruare latẽ-
tia ſeminaria poteſt.Febrem aũt non excitat hęc contagio niſi ad poſtre-
mum,quoniã ſenſim fit,& quod euaporat,non ſtatim ad cor fertur, ſed
longe poſt,aut etiam expellitur:propagatur tamen per partem poſt par-
tem ad interna,ac demum ad præcordia,quo vbi peruenit,& febrem ſu-
ſcitat,& ſeptum tranſuerſum,& cor ipſum conuellit,ac poſtremo furo-
rem & mortem affert.Maxime autem tanguntur ea canes,quoniam, vt
diximus,maxime ſicci ſunt,& aduſti ſanguinis:primũ igitur ij more me
lancholicorum triſtes fiunt,& ſolitarij:mox paulatim incaleſcẽte ſangui
ne ad omnia indignabundi fiunt,cuncta incipiunt odiſſe,ac iam & præ
iracundia mordent:oculi rubent,os ſpumat,ac tandem in furorem agun
tur:animaliũ vero,quæ momorderint,omnia rabiunt,& moriuntur prę
ter hominem,quod iccirco fit,quia alia animalia propter feritatẽ, in qua
cum cane conueniunt,concepta contage neceſſario rabiunt propter ana
logiam,hominis autem natura longe aliena eſt ab ea feritate et conueniẽ
tia,propter quod nec analogiam promptam habet ad ſuſcipiẽdum:vnde
fit,vt non omnes,qui demorſi ſint,etiam rabiant,ſed multi beneficio tẽ- D
peraturæ ex ſe,aut non contrahunt contagem,aut ſuperant:atq; hoc ego
illud eſſe exiſtimo,quod Ariſto.voluit,quanq̃ ſcio eſſe, qui in eo textu,
vbi hac de re agitur,non legendum eſſe præter hominem,ſed prius,q̃ ho
mo,volunt,quaſi grȩca lectio non πλὴν, ſed πρὶν audiri debeat, quod
nullam habet neceſsitatem.Cur autem adeo reformident liquida & ca-
nes ipſi,& qui à cane demorſi ſunt,vnde & hidrophoui appellantur, dif
ficultatem habet,& abditiſsimam rationem:neq; enim illud credendum
eſt,quod multi dicunt,& Aetius etiam exiſtimare videtur, iccirco ita ti-
meri aquam,q; ijs appareat ſeſe catulos quoſdam in aqua cernere, quan-
doquidem non nulli eorum,qui iam aquam cęperant formidare, inter-
rogati,nunquid tale appareret,vt viderent, nihil tale videre reſponde-
runt.Vtrum igitur,quemadmodum & in quibuſdam alijs morbis abo-
minatio quorundam fit propter indiſpoſitionem ſtomachi,aut linguæ,
ita & in rabie detentis accidat? an magis defectus & indiſpoſitio non eſt
in ſtomacho,& lingua,nam & ſitiunt,& quantum è lingua eſt, humida
etiam expetunt,ſed defectus potius in phantaſia eſt? cuius ſignum eſt,q
nec videre volunt,nec tangere,quanq̃ vti potum,appetant humida.For
taſſe igitur(vt diximus in ijs,quæ de ſympathia)phantaſia quorundã me

A moriam excitat,quę pauorem ſolent incutere,quod & in rabie poteſt cõtingere:quoniam.n.& ſpuma circa os eorum obuerſatur,& corde præcipue liqueſcunt,ex his phantaſia fit quædam liquidi eos extinguentis,vnde formido fit,quoties aut vident,aut tangunt,aut & audiunt offerri liquida ſibi.In ægris autem phantaſia fit horribilium ex paruis occaſionibus,vt ſępe ex aſpectu paruarũ figurarum in parietibus videmus ęgros, & lupos,& canes ſubimaginari,ac clamare,et iubere, vt inde auferãtur. An(quemadmodum diximus in ſympathijs)quę exiccata ſunt,humida poſſunt appetere,& trahere,quum forma ſecundum naturam per ſe remanet,quanq̃ actu & ꝑ accidens aliter ſit,at vero,quum ſiccitas eo vſq; proceſsit,vt iam forma naturam non ſeruet amplius,ſed iam ab ea ceciderit,tum ſicca illa non ſolum non appetunt humida,ſed vti contraria abhorrent,& à ſe abdicãt:quemadmodum accidit & in ijs,qui prope mortem ſunt,omnem enim & cibum & potum ita abhorrent,vt nihil moleſtius & horribilius ijs offeratur,q̃ cibus & potus,quoniam membra iam priuata natura ſua ſint:ita igitur in rabie facta exiccatione tanta,vt iã natura propria collapſa ſit,&, quæ prius vti conuenientia & bona recipiebat,nunc vti contraria & horribilia recipit,non ſolum potus liquidorũ omnium,ſed & phantaſia abominationem parit:exiccari autem rabie affectos manifeſtum eſt,quum etiam & in conuulſiones ex ſiccitate incidant.
B Cur vero &,qui ſub ſorbo arbore iacent,rurſus in rabiem vertantur,ſi aliàs rabidi fuere,conſimilem habet latentem cauſam,ſi modo verum eſt,quod fama quadam circumfertur:nihil autem ꝓhibet vapores, qui ex ea arbore continenter exhalant,ſtyptici quidem,&, ſi licet dicere,melancholici,ad hominẽ delatos,& intus calefactos idem facere poſſe,quod & ſeminaria rabiei,magis autem in eo,qui rurſus rabidus, propter relictam diſpoſitionem. Atque hæc de rabie probabiliter dicta ſint.

De Syphilide morbo, ſeu Gallico. Cap. II.

NVnc ad eas contagiones pertranſeamus, quæ extrinſeca magis tẽtant,incipientes à Syphilide morbo:quippe nouum & diu noſtro orbe incognitum morbum inter alia admiranda noſtra tempeſtas vidit, qui Europam ferè omnem, Aſiæ vero,atq; Aphricę partem non paruam occupauit:in Italiam vero ijs ferè temporibus erupit,quibus Galli ſub rege Carolo regnum Neapolitanum occupauere,annos circiter decem ante 1500, à quibus nomen Morbo inditum fuit, Gallicus appellatus: Galli vero nominis iniuriam in nos retorquentes morbum Italum vocant,Hiſpani Paturſam,Germani nunc Meuium,nunc Gallicum dicũt, non nulli nouo impoſito nomine Pudendagram appellauere,quòd à pu

dendis

dendis inciperet, ſicuti & Mentagram, q̃ à mento inciperet, nouũ mor- C
bũ apud antiquos appellatũ fuiſſe Plinius eſt author: nos Syphilidem in
noſtris luſibus appellauimus. Hũc autem morbum noſtro orbi adeo no-
uum, familiariſsimũ tamen certis regionibus ferunt, qui per hiſpanas na-
uigationes nouum mundum comperere, vbi vel plurimum abundet ea
contagio, non ſecus illic domeſtica, ac apud nos ſcabies. Principio igitur,
quum is apud nos apparuiſſet, hæ feræ notæ conſpiciebantur in eo mor-
bo: oriebatur in quibuſdam ſine vlla ab alio concepta contagione, in qui
buſdam (quæ maxima pars erat) è contage excipiebatur, verum non ex
omni contactu, neque prompte, ſed tum ſolum, quum duo corpora con
tactu mutuo plurimum incaluiſſent, quod præcipue in coitu eueniebat,
quo maxima mortalium pars infecta fuit: viſi tamen infantes nõ nulli fue
re, qui è ſuctu lactis à matre, aut nutrice infecta conſimiliter affecti ſint.
Fomitem autem non relinquebat ea contagio, aut non niſi maxima qua
dam occaſione, neq; ad diſtans etiam ſeſe propagabat: ſed neq; ſtatim ma
nifeſtabatur, verum certo tempore deliteſcebat, interdum quidẽ per mẽ-
ſem, interdum per duos, ſæpe & per quatuor menſes. Interea tamẽ ſigna
non nulla aderant conceptę labis, animum triſtitia quædã detinebat, cor
pus laſsitudo, pallor faciem, tãdem, quod in maiori parte inerat, vlcuſcu
la quædam circa pudenda oriebantur, ijs non diſsimilia, quę ſolent ex fa-
tigatione contingere, quam cariem vocant, ſed natura longe impar, nã D
hæc & emori cõtumax erat, & victa vna parte alia regerminabat immor
tali propagine: poſt hæc cruſtoſæ quædam puſtulæ per cutem erũpebant,
in quibuſdam quidem à caluaria incipientes (quod vtplurimum erat) in
quibuſdam in alijs locis: paruæ primum eæ apparebant, mox augebantur
paulatim ad magnitudinem cooperculi glãdis, & ſimilitudinem etiam,
ijs non abſimiles, quæ in pueris Achores vocantur: differentiæ earũ mul
tæ viſebantur, quibuſdam paruæ, & ſicciores, quibuſdam maiores, & pin
guiores, non nullis liuidæ, alijs exalbidæ leuiter pallentes, alijs duriores,
& ſubrubentes: omnes autem paucis poſt diebus aperiebantur, ac muco-
re quodam mucilagineo fœtido manabant, nec dici poteſt, quantus ille
mucor perpetuo efflueret, quãta ſordities: exulceratæ deinde exedebant
more eorum vlcerum, quæ phagedenica appellantur, atque interdũ non
ſolas carnes, ſed & oſſa etiam ipſa inficiebant. Quibus autem circa ſupe-
riora vigebat malum, ijs diſtillationes prauæ contingebãt, quæ modo pa-
latum, modo gargareonem, modo fauces & tonſillas erodebant: labia q
buſdam conſumpta ſunt, quibuſdam naſus, quibuſdam oculi, alijs pudẽ-
da tota. Adhæc autem magna ex parte gummoſitates quædam per mem
bra concreſcebant magna deformitate, nam ſæpe oui, ſæpe panis magni-
tudinem

A tudinem æquabant, quibus apertis mucor ſuberat albus, mucilagineus: tenax is callus maxime in brachijs, & cruribus accidebat, qui interdum vlcerabatur, interdum integer vſque ad mortem perſeuerabat. Præter prædicta omnia, quaſi parua illa forent, ingentes lacertorum dolores accedebant, ſæpe cum ipſis puſtulis, interdum ante, non nunq̃ poſt, & ipſi quidem diuturni, quibus nihil crudelius aderat: affligebant præcipue noctu, dolor autem non proprie in iuncturis inerat, ſed circa lacertos ipſos & neruos. Verũ quibuſdam nihilominus ſine dolore vllo oriebantur puſtulæ, quibuſdã ſine puſtulis dolores, maior pars vtriſque affligebatur. Interea languebant mẽbra omnia, macies corpus detinebat, nullũ aderat deſiderium cibi, nullus ſomnus, ſed mæror, & iracundia aſsidua, & amor decubitus, facies & crura turgebant: quandoq; & febricula quædam concomitabatur, ſed raro: dolebat quibuſdã caput, dolor is erat diuturnus, et nullis medicaminibus parens: ſanguis, ſi hauriebatur, inſincerus, mucoſusq; ſpectabatur: vrina craſsior, pinguis, diuulſa, & ſubrubens, quo ſolo ſigno, quũ non adeſſet febris, multos prænouimus eo teneri morbo: egeſtiones ægre reddebantur, & illæ mucoſæ, ſiccæ: his ergo notis tenebantur, qui tum eo morbo laborabant. Loquimur autẽ de his, quaſi de præteritis, quoniã, tametſi nunc quoque ea contagio viget, poſt tamẽ illa prima tempora immutata videtur: ab inde. n. annis ferè viginti cæperũt pauciores videri puſtulæ, gũmoſitates vero plures, quum è contrario primis
B annis fuiſſet: factæ item fuere puſtulæ (ſiquæ apparebant) ſicciores, ac dolores (ſi q. accedebant) cuiuis ſunt acerbiores. Porrò & annis labentibus, annis iam ferè ſex, in quibus nunc ſumus, magna rurſus mutatio facta eſt eius morbi: quippe quũ in valde paucis puſtulæ iam viſantur, & dolores ferè nulli, aut multo leuiores, gũmoſitates vero multæ, &, quod mirum omnibus viſum eſt, capillorũ, & reliquorum pilorum caſus homines ferè ridiculos facit, alijs ſine barba, alijs ſine ſupercilijs, alijs glabro capite in conſpectũ venientibus: quod infortunium prius putabatur ex medicaminibus euenire, præſertim ex argento viuo, mox certiores facti oẽs ſciunt ex ipſo morbo ĩmutato procedere, quinimo & (quod peius eſt) iam nunc multis videntur labefactari dentes, quibuſdam etiam cadere.

De cauſis. *Cap. 12.*

IGitur, quum primũ tam nouus apparuiſſet morbus, magna ſtatim inter medicos oborta controuerſia fuit, alijs contendentibus nullam ab antiquis factã de eo mentionem fuiſſe, alijs contra fuiſſe factam, his quidem Elephantiã exiſtimantibus, illis vocatum ab arabibus Safati, alijs Lichenas. Primus Nicolaus Leonicenus, vir doctiſsimus & grauis eam

difficultatem ſuſtulit, aperte monſtrans nullum horum eſſe, ſed prorſus C
apud antiquos innominatum fuiſſe morbum: quãq̃ poſteriores quidam
obſtinate quidem magis, q̃ rationabiliter, tanto viro non plane aſſenſe-
re, Elephantiaſim omnino aſſerentes eſſe: de quo mox pauca quædam &
nos dicemus. Cęterum, quicunque hactenus de eo morbo ſcripſere, alij
quidem, quid non eſſet, magis dixiſſe videntur, q̃ quid eſſet: alij eam ra
tionem quæſiuiſſe magis, quæ circa formam verſatur, ꝙ eſſet ægritudo
partim in compoſitione, partim in complexione & vnitate, & id genus,
materiam vero, & principia, quæ magis fuerant perquirenda, reliquere:
alij materiam quidem attigere, principia vero, & rationem eam, quę è cõ
tagione dependet, nõ, vt par erat, ſunt proſecuti. Nos vero in ijs luſibus,
quos ad PETRVM BEMBVM nunc Cardinalem ſcripſimus, quo
forte tempore à peſtilentia rus pulſi multum ocij nacti eſſemus, de his
omnibus quædam certe attigimus, uerum quantum Poetica concedere
potuit: quæ quum non admittat omnia, multa quidem prætermitti à no
bis neceſſe fuit pro toto negocio, quę ſi nunc proſequamur, operępreciũ
facturos eſſe nos exiſtimamus. Quòd igitur ad primam morbi originẽ
attinet, arbitrati ſunt aliqui contagionem hanc è nouo illo mundo dela-
tam ad nos fuiſſe, quem Hiſpanæ nauigationes adinuenere, vbi ea labes
quamplurimum viget: cuius ſignum id afferunt, ꝙ tum & morbus hic
apud nos primum apparuit, quum & nauigatio illa facta fuit, & commer D
çia habita illius gentis, propter quod & primum apud Hiſpanos viſus
fuit: quare totam labem hanc conſiſtere putant in contagione vnius ad
alium. Sed profecto, tametſi maxima mortaliũ pars è contagione mor-
bum hunc contraxit, obſeruatum eſt tamen innumeros alios ſine vlla cõ
tagione per ſe infectionem eã perpeſſos fuiſſe: impoſsibile præterea fuiſ-
ſet tam paruo tempore contagionẽ, quæ per ſe ſegnis eſt, nec concipitur
facile, tantum terrarũ peragraſſe ab una claſſe ad Hiſpanos primum dela
tam, quando cõſtat aut eodem tempore, aut ferè eodem, & in Hiſpania,
& Gallia, & Italia, & Germania, & tota ferè Scythia viſam fuiſſe: adde ꝙ
prædixiſſe illam Aſtronomos certis ante annis non paruum indiciũ eſt
aliud ſubeſſe illi principium, q̃ ſimplicem contagionem. Primum igitur
illud mirum videri non debet nouos atq; inſolitos morbos certis tempo
ribus apparere, nõ quidem delatos ab vna regione ad aliam, ſed ſuis cau-
ſis exortos: anno 1482 pleuretidis genus quoddam erupit, quod totam
fere Italiam affecit: noſtris vero temporibus illæ prius non viſæ in Italia
febres apparuere, quas lẽticulas vocant, de quibus ſupra egimus: vidimus
& annis ſuperioribus lippitudinem contagioſam quaſdam ciuitates in-
uaſiſſe: vidimus & peſtem illam ſolis bobus cõmunem, de qua ſupra me-
minimus:

A minimus:quam ob rem nec mirum esse debet, si & Gallicus morbus nõ
prius cognitus in nostro orbe per multa secula, nunc primum eruperit:
venient & ægritudines aliæ nouæ inusitatæq;,quum tempus feret, sicuti
& Mentagra apud antiquos, quæ postea amplius nunquam visa est:hic
idem morbus interibit,& extinguetur,mox etiam & nepotibus nostris
rursus vidẽdus renascetur,quemadmodum & præteritis ætatibus visum
à maioribus nostris fuisse credendum est, de quo non pauca inditia etiã
num sunt. Tonsor quidam amicus noster libellum habebat experimẽ-
torum quorundam antiquum satis,inter quæ vnum inter alia scriptum
erat,cui titulus erat,ad scabiem crassam,quæ cum doloribus iuncturarũ
accidit: is ergo,quum primum recentissimus esset morbus,memor me-
dicaminis consuluit medicos quosdam,num vti eo medicamento debe-
ret in noua illa contagione,quam per scabiem crassam significari existi-
mabat:medici autem inspecto medicamine acriter prohibuere, ꝙ ex ar-
gento viuo constaret & sulphure:fœlix, nisi medicos illos consuluisset,
incredibili quæstu diues futurus:paruit autem,nec ausus est experiri me-
dicamen,quod demum expertus,atque optimum agnoscens valde indo
luit,quòd sero vsus eo fuisset,quæstu iam per alios sibi abrepto:ex quo vi
dere profecto possumus alijs etiam ætatibus visum eum morbum fuisse.
Sunt,qui putent & Auicennam illum significasse capite de olibano, quũ
B dixit Thus valere dolori cõposito illitum ex aceto & oleo. Et est dolor,
„ inquit,cum quo proueniunt in corpore sicut verrucæ cum deambulatio
„ ne sicut formicæ:sed certe hoc nihil est,quoniam Auicenna illic trãsfert,
„ quod Dioscorides scribit de Thure, quum dicit: Formicantes verrucas
„ inter initia,impetiginesq; ex aceto & pice illitum tollit:per quæ Mirme-
„ cia intelligit. Vt ergo ad propositũ reuertamur, inter nouos morbos, &
eos,qui raro in lucem veniunt,collocandus est morbus Gallicus:quare,
& causas illius,ac principia oportet ex ijs esse,quæ raro & ipsa contingãt,
esse autem talia,vt communia sint non solum multis mortalium, sed &
regionibus multis: quod certe in nullam aliam causam referri potest,
quàm in aeris constitutionem: qualis autem ea fuerit,& ex quibus prin-
cipijs exorta, nunc est inquirendum. Quoniam igitur analogiæ suæ
sunt in contagiosis, & principia oportet esse analoga (vt dictum est) ad
ea, quæ affectum recipiunt, manifestum est principia huius contagio-
nis ad phlegma crassum, & sordidum analogiam habuisse: si enim ad
pustulas respiciamus, quæ eo in morbo apparuere, si ad gummositates,
si ad lacertorum dolores, vbique quidem videbimus non nisi muco-
rem & sorditiem, & demum phlegma lentum, mucilagineum, cras-
sum,quare & seminaria,à quibus contagio per se omnis dependet, talia

quoq; suo modo fuisse censendum est, quocirca & aerẽ, vnde origo fuit C
morbi, dispositionem eiusmodi contraxisse, cuius seminaria lenta quoq; & phlegmati consimili analoga essent, & in eo aliorum rursus seminariorum productiua, talium, qualia & prima fuere. Quoniã autem & erodit, atq; exest contagio hæc, oportet & seminaria illius acria esse, quanq̃ in lentore multo obsepta sepultaq;. Talia igitur principia habuisse infectionem hanc putandum est, atq; in aere sordidam quandã obrepsisse putrefactionem, quæ mox ad crassum & sordidũ phlegma in nobis habuisset analogiã: quo autem pacto, & quibus de causis in aere eiusmodi dispositio facta fuerit, difficile quidẽ est certo scire: si quid tamẽ rationabiliter conijci potest, hoc certe erit. Quæcunq;.n. causa & principium id fecerit, oportet illud ex ijs esse, quæ raro eueniunt, siquidẽ & dispositio illa in aere, quæ raro visam contagẽ hanc peperit, ex ijs est, quæ raro contingunt: quoniã igitur (vt supra diximus) quę hic sunt, maxime à supioribus, cœlo scilicet, & syderibus alterantur, & varijs afficiuntur modis, nihil aliud esse posse videtur, quod in tot regiones per tantum spatij potuerit aerem tam male afficere, nisi cœli & syderum constitutiones, & eæ quidẽ, quæ & raro accidunt, & magna, quũ accidunt, possint efficere: supra aũt monstratum est tum magna & portentosa posse huc sydera inducere, quum plura eorũ in vnum coeunt: ac talem certe coitum & conuentum syderũ
vidit tempestas nostra trium superiorum, Saturni, Iouis, & Martis, qui D
conuentus & raro accidere solet, &, quum accidit, magna semper apportare consueuit, tum q; ea Sydera potentissima sunt, tum q; vnio illa diu ꝑdurat propter motus tarditatẽ, præsertim Saturni, & Iouis: quam coniunctionem videntes Astrologi nouas magnasq; ægritudines portendi prædixere: siquid igitur probabiliter dici potest de principio tantæ cõtagionis, ita certe existimandum est. Ergo facto eo syderum conuentu ingentem vaporum tractionem fuisse factam credendum est, qui cõmisti aeri, diuersimodeq; agitati tãdem sordidam putrefactionem intulerint, à qua seminaria illa in nos importata fuere, quæ ad sordidos & mucosos humores, quale est phlegma crassum & mucosum, haberent analogiam: vnde tandem contagio illa enata est, quæ mox tot mortaliũ, tot regiones male affecit, partim quidem aere ipso principia & seminaria ĩmittente, partim de vno in alium contagione pertranseunte: ac de origine morbi & principijs eius ita traditũ sit. Quòd vero & materia eius, ad quã ea principia habuerunt analogiã, sit phlegma sordidum & crassum, vt diximus, manifestissimũ esse potest: si.n. pustulas inspiciamus, illę omnes pingues, mucore incredibili manantes fuere, si vero gũmositates, & illæ concreto phlegmate constabant, q; si & ad dolores ipsos lacertorum, & illi quidẽ idem

A idem oſtendent,erant.n.diuturni,extenſiui,noctu affligentes:factis item diſsectionibus lentor quidã per neruos & lacertos coextentus cernebatur:quare nemini dubium eſſe debet materiã eius contagionis eſſe mucoſum phlegma & ſordidũ. Videntur autem puſtulæ ex minus craſſa materia originẽ habuiſſe,gummoſitates ex craſsiſsima,dolores vero ex media quadã:quippe ſerpente cõtage per maſſam ſanguinis,& pabulũ ſibi faciẽte in phlegmate,pars quidẽ,q̃ minus craſſa,minusq; ſegnis erat,extra pellebat̃ ad cutim,atq; illic ſenſim concreſcebat in puſtulas, q̃ vero craſsior aliquanto fuerat,& minus apta vſq; ad cutim expelli,reſidebat circa neruos & lacertos,vbi coextenta dolores acerbiſsimos excitabat,craſsiſsima vero circa partes quaſdã coagulabatur,et in gummoſitates concreſcebat. Non erat autem prõpta contages,vt exciperetur, propter lentorem, in quo ſepulta erant ſeminaria,ſed indigebat concalefactione quadam corporum,ſic.n.quodãmodo actu fiebant ſeminaria, & alteri agglutinari poterant,& ſeſe ex analogo ſibi pabulo propagare, quod non calefacta facere quidem non poterant,quaſi coagulata: propter eandẽ cauſam & diu latebat contages intra corpus ante,q̃ ſeſe manifeſte oſtenderet, quoniã ſegniter ſerperet propter frigiditatem,& craſsitiem materiæ, mox tamen exedebat,& ſolida etiam carpebat propter acuitatem ſeminariorũ in denſa materia,quum actu fiebant,& putrefactio procedebat. Apparebant autem primũ vlcuſcula circa pudenda,quoniam inde prima origo

B contagionis initium capiebat in maiori parte ex coitu:erant autẽ & male morigerata ea vlcera,tum ꝙ locus ille per ſe ſatis putidus eſt, tũ quia ſeminarijs hinc inde diſperſis iam fiebat,vt parte vna ſaneſcente propter remedia,alia regerminaret. At puſtulæ vt plurimũ à caluaria occipiebãt, partim quidẽ,quia pars illa propter ſorditiem & craſsitiem humoris, ex quo nutritur,quodãmodo analoga eſt ad contagẽ,partim ꝙ omnis euaporatio ſurſum fertur, in omni autẽ putrefactione euaporatio plurima fit. Quibus autem puſtulæ aderant multæ,minus dolorum accedebat, ꝙ materia multa excerneretur,ac ſimul ſignũ id eſſet materiam eſſe ſubtiliorem,contra vero,quibus craſsior erat,dolores quidem multi inſurgebant,ac puſtulæ pauciores:materia vero,quæ dolores dabat, non erat in iũcturis ipſis infixa,ꝙ craſsior eſſet,q̃ ut penetrare in iũcturas poſſet,quare ſuper neruis & lacertis maxime reſidebat:affligebat autem noctu magis,& Sole condente ſe,quoniam interdiu calor naturalis ſolet exteriora petere,ad ea,quæ moueri ſolent,mẽbra demandatus à natura ad vigiliæ opera exercẽda,nec non à lumine Solis excitus,quã ob rem fouebat quodãmodo ea membra,& ventoſitates exoluebat, quæ lacertos & neruos extendebant,et vellicabant,ac ſimul et materiã concoquebat: noctu vero

ro introrſum recurrere calor ſolet, & membra ea deſerere, ad quæ per C
diem demandatur à natura:qua de cauſa dolores tum excitabantur,& di
ſtentiones maiores accreſcebant deſtituta materia à calore fouẽte, et diſ
ſoluente ventoſitates. Annis vero labentibus mutatio quædam eius mor
bi facta eſt,quoniam diſpoſitio prima,quæ in aere fuerat,iam ceſſauerat,
nec morbus aliam ſui propagationem habebat,q̃ è contagione vnius ad
alterum,propter quod perſeuerabat:omnis autem contagio quanto ma
gis abeſt à principio & prima origine,tanto ſiccior fit & terreſtrior pro
pter aduſtionem,quæ continenter coniungitur:qua de cauſa primi tem
poris contagiones quaſi ortui & principio propinquæ, ſordidiores pin-
guioresq; viſebantur,& puſtularum plurium,minorum vero dolorum;
quæ vero annis poſt ſequentibus contigere,vtpote aduſtæ & craſſæ ma-
gis,pauciores quidem puſtulas,maiores autem dolores dedere:nam & à
principio,vbi plus erat puſtularum,illic minus erat dolorum, vbi minus
puſtularum,plus dolorum cernebatur. Porrò & annis hiſce vltimis,quaſi
in ſenio exiſtente contage,& materia facta craſsiſsima, maior adhuc mu
tatio facta eſt,nam gũmoſitates multæ apparent,puſtulæ autem paucisſi
mæ,et illæ ſicciores,dolores autem ferè nulli,aut longe minores,ꝙ mate
ria propter craſsitiem facillime concreſcat in gummoſitates, extra autẽ
non facile propellatur ad cutim,vel reſideat circa lacertos:ꝙ ſiquid tamẽ
ad cutim peruenit,id tenue quoddam phlegma eſt,quod ſalſedinem quã D
dam acquiſiuit ex aduſtione,quare ad radices pilorum latum pabulũ eo-
rum abſumit,vnde & ipſi mox cadunt,ſicuti in porrigine, Alopecia, &
Achoribus ſiccis accidit. Fortaſſe autem & idem fit in hoc morbo nunc,
quod & in Alphis accidit,in quibus decidunt pili materia quadam alba
mucilaginoſa coextenta ad radices eorum,nam vidimus quoſdam, qui-
bus barba deciderat,conſimilem quendam ſub cute coextentum humo
rem habuiſſe:quod facillime poteſt nunc euenire in euaporatione, & ſe
cretione,quæ fit ab ea materia iam pene vitrea coagulatis vaporibus,vbi
ad pilorum radices peruenere:quocunque igitur modo id fiat,exiſtimã-
dum eſt ſenium iam huius morbi incæpiſſe, nec longe poſt futurum, vt
ne per contagem quidem ſe propaget,quoniam materia in dies frigidior
fit,& terreſtrior,in qua & ſeminaria tum pauciora, tum & debiliora in
dies gignuntur,propter quod nec iam facile concipitur nunc ea cõtagio,
vti prius ſolebat:quare & tandem fiet,vt nec ſeſe poſsit propagare,ſed de
ſinat,reuerſura mox,quum eadẽ principia,& eædem cauſæ reuertentur.
Eſt autẽ certis regionibus familiaris contages,vt in Hiſpana vocata inſu
la,& vicinis alijs,quoniã (vt diximus) ea diſpoſitio,quam ad nos tempo-
ris longitudo attulit,illic connaturalis viget huic morbo gignendo,quẽ
admodum

A admodum Elephantiæ Aegyptus Iudeaq; familiaritatem quandam habent. Quæ igitur principia & causæ fuerint nouæ huius contagionis, & quo consistat, & quam habeat analogiam, & quæ sint eius accidentia, & notæ, per hæc hactenus determinatum sit.

De Elephantia. *Cap. 13.*

NOn esse autem Gallicum vocatum morbum eum, qui Elephantia vel Elephantiasis interdum, et Elephas à Græcis appellatur, sufficere quidem ad ostendendũ ea possent, quæ Leonicenus vir tantus scripserat: veruntamen, si & nunc quoque pauca quædam eadem de re adijciantur, non inutile fuerit (vt promisimus,) quando posteriorum quidã plus æquo obstinati scriptis mandauere eundem esse morbum Elephantiam & morbum Gallicum, atque eisdem etiam remedijs curari oportere: quod autem eos præcipue decepit, id fuit, q̃ vidẽtes ipsi antiquos seorsum de Lepra scribere, & seorsum de Elephantia, tum existimantes per Lepræ nomen ab ijs intelligi illud, quod vulgo Lepram vocamus, nesciuerunt, quid nam esset Elephantia, nisi morbus hic, qui mox Gallicus est appellatus. Sed certe hæc monstrant antiquorum scripta parum fuisse cõsiderata ab obstinatioribus hisce hominibus, neq; enim ita est (vti ipsi putant) per Lepram à Græcis eum morbum intelligi, qui vulgo Lepra dici-
B tur, sed aliam quandam longe leuiorem dispositionem, de qua simul cũ Psora hoc est Scabie agunt, quæ via quædam est ad Elephantiam, quæ ꝓprie pasio illa est, quam non solum vulgus, sed & recentes medici tum Latini, tum Arabes Lepram vocant. Paulus de Lepra agẽs vna cum Psora, horum, inquit, morborum vterque summæ cutis asperitas est, cũ pru-
" ritu & corporis attenuatione, ex melancholico humore ortum habens.
" Galenus in libello de tumoribus. Sunt autem Psora & Lepra melancho-
" licæ pasiones solius cutis, quæ si in venis & carne inualescãt, Cancer no-
" minatur, et Elephas: item quosdam dicit ex Elephantiosis factos fuisse le-
" prosos, ægritudine in melius conuersa. Manifestum igitur esse potest leuiorem multo esse Leprã apud antiquos, quam Elephantiam: quod autem & Elephantia ea proprie sit, quæ vulgo Lepra dicitur, ex his manifestũ simul fiet. Nam, vt primum à nostris incipiamus, Plinius libro 26 nouos quosdã ponit morbos Elephantiasim, & Lichenas, quos sine dolore
" vllo, sine vitæ periculo contigisse scribit. Diximus, inquit, Elephãtiasim
" ante Põpei Magni ætatẽ non accidisse in Italia, & ipsam à facie sæpius in-
" cipientem in nare prima, veluti lenticula, mox inualescente per totũ cor-
" pus maculosa et varijs coloribus, et inæquali cute, alibi crassa, alibi tenui,
" dura, ceu scabie aspera, ad postremum vero augescente intumescentibus

digitis

digitis in pedibus manibusq;. Aegypto peculiare hoc malum, et, quum C
in Reges icidisset, populis funebre, quippe in balneis solia sanguine temperabant ad medicandũ eam. Quis non videt per hæc non Gallicũ morbum significari, qui dolores vel ingẽtes afferat, sed vocatã vulgo Leprã, quæ sine dolore accidit, quæ à nare incipit, vt et Paulus, et Auicenna, & alij recentiores tradunt, quã Aegypto familiarem omnes dicunt, & ipse præsertim Galenus, quã demum vnam humano leniri sanguine consueuisse libri omnes pleni sunt? Arabes vero per Elephantiã non plane id intelligũt, quod Græci et Latini, sed tumorem quendã pedum ex humore melancholico, ceu è varicũ genere, quasi speciem eã Lepræ intelligãt, in qua pedes more Elephantum tument: per Leprã autem id accipiũt, qđ et vulgo Lepra dicitur, à Gręcis Elephãtia: notæ autem Elephantię, et accidentia hæc sunt. Oritur primo sine dolore vllo, sine febre, ac delitet ipsa quoq; certo tempore prius, q̃ se prodat: mox prima vt plurimum indicia dat à nare oborta, parua veluti lenticula subnigra. Cutis deinde varia fit colore, duritia, asperitate, attenuatione, quippe alibi liuida fit, alibi alba, alibi in atro ruffa, dura hic, illic lenior, alicubi aspera, et squãmosa, alicubi crassa, et veluti corium igne induratũ. Pustulæ simul per totum corpus enascuntur duræ, et, vt plurimũ, purpurascentes, quæ tractu temporis exulcerantur, et pus emittunt, verum non multũ, ac siccius, q̃ in Syphilide. Circumtumescũt vicina mẽbra, et alia contrahuntur, alia extenduntur: propter quod multis excauatur nasus, os vtrinq; contrahitur versus aures, oculi rotundantur, et similes satyris (qui pinguntur) fiunt, vnde et Satyriasis etiã is morbus appellari consueuit, quanq̃ sunt, qui Satyriasim dictũ putent propter tentiginem nimiã veneris, quæ eo in morbo cõtingit: tument deinde digiti in pedibus ac manibus, ac pedes similes fiũt Elephantũ pedibus, vnde quidam volunt esse Elephantiasim appellatũ, quanq̃ Archigenes à magnitudine morbi ita vocatum dicat. Adhæc aũt et venulæ, quæ sub lingua sunt, ceu varicosæ fiunt, pruritus adest, et cum eo tentigo veneris vehemens: fœtent mox, et tolerari iam non possunt, et multis alba per totum fit cutis, quæ insanabilis habetur. Contagiosus porrò est morbus non contactu solo, sed et fomite, et anhelitu etiã, quãq̃ tarde irrepat, et sese propaget: in viros autem grassatur magis, q̃ in mulieres: quin et eunuchi paucissimi visi sunt eo malo correpti, propter quod et non nullos legimus sese castrauisse, ne eo tentarentur. Nationum vero aliæ familiarem habent, vt Aegyptus, et Iudea, aliæ vix nouere: simpliciter autem extreme calidæ, et frigidæ regiones eam labem sentiunt magis, q̃ mediæ, vt Aetius authoritate Archigenis refert, propter quod Germani, et Scythæ, et Aegyptii, et Arabes maxime illi obnoxij sunt,

(quanq̃

A (quanq̃ Galenus contradicere videtur Archigeni, qui Germanos, et Scythas carere hoc morbo dicit) Itali vero & Græci minus: & certe semper apud nos visus raro fuit is morbus, q̃q̃ per ciuitates domus, quæ Hospitalia vocantur, & suppellectiles sumptibus publicis paratæ structæque videantur Elephantiacis suscipiendis: verum, quos ego hactenus vidi, nemo quidem, aut pauci è susceptis Elephantiaci mihi visi sunt, sed leprosi solum, aut impetigine quadam fera detenti. atq; hæc fere signa sunt, quæ in Elephantia videri solent. Ex quibus vnusquisque videre potest longe alium esse morbum, qui Gallicus appellatur, qui non in melãcholico humore sedem habet, sed in phlegmate sordido, qui non fomite afficit, nõ anhelitu, in quo tentigo in Venerem omnis abest, dolores autẽ vel acerbissimi adsunt. Quoniam autem & hic contagiosus est morbus, manifestum est includere ipsum seminaria contagionis, sicuti et alios: eorum vero analogia non ad mucosam & sordidam pituitam est, quemadmodũ vocati Gallici, sed ad humorem melancholicum magis, quod pustulæ ipsæ maxime monstrant, duræ, siccæ, purpureæ, tum & cutis durities, & inæqualitas: quod & omnes quoque, qui eo de morbo scripsere, attestãtur,
" vt dictum est. Elephantiosos, inquit Galenus, eodem modo curabis, sicu
" ti & Cancrum, ex eadem. n. materia sunt: in libello de Tumoribus, pas-
" sio est Elephas propriam habens generationem in melancholico sangui
B ne, tractu vero temporis nigra cholera fit: ea de causa pustulæ sicciores sunt, vlcera vero minus mucosa, habent tamen sorditiem suam, quoniã putrefactio omnis per se sordida est: viros autem magis, q̃ mulieres, tangit hæc contagio, ꝙ melancholici sanguinis plus habent viri. Sed cur frigidæ regiones, & Germani, & Scythæ magis ea tenentur, q̃ Itali, & Græci, humidiores existẽtes? causa est (vt mihi videtur) quòd ij sanguine multo abundant, & eo quidem pingui, & vnctuoso, quare multa in eo exhalatio fit, quæ cum ad cutim peruenit, ob densitatem eius, & frigiditatem regionis nõ euaporat tota, sed solum, quod tenuius est, crassius vero sub cute coit, atque illic exuritur, quod facile fit propter vnctuositatem: vnde non transpirans putrescit, & labem hanc gignit, cuius seminaria analogiam habent ad partes sanguinis crassiores, & melancholicas vnctuosas: propter quod & porcorum carnes maxime aptæ sunt ad Elephantias inducendas, ex ijs enim multus fit sanguis exuri idoneus. Quod vero Galenus scribit, non est, ꝙ regiones comparet nisi in victu, cuius causa Aegyptus familiarem habet eam labem, Germani vero, & Scythæ minus ex hac causa, Scythæ autẽ minime propter lactis vsum: qui vero in calidis regionibus degunt, crassum quidem & ipsi sanguinem habent, & densam cutẽ, sed alia de causa, quare & ipsis maxime exuritur sub cute sanguis,

& putrescit: medijs autem in regionibus temperatior est sanguis, & be- C
ne transpirabilis caro. Mulieres vero, & Eunuchi, qui mulieribus similes sunt, propter frigiditatem sanguinis & aquositatem minus eo tenentur morbo. Dolores vero non excitat Elephantia, nec conuulsiones, vti in Gallico morbo spectantur, quoniam in sicco magis consistit, & materia, si qua est, nõ residet circa neruos & lacertos, sed circa summa consistit magis, propter quod nec febrem facit. Quærat autem fortasse quis, cur furorem non faciat hæc pasio, nec amentiam, quum in melancholia exusta consistat: cãm inde esse censendum est, ꝙ in furore, & amẽtia exustio præcipue circa cor & cerebrum versatur, in Elephãtia aũt circa cutim magis: quòd si sanguis forte & introrsum vratur, non ita tamẽ exuritur, vt furorem faciat natura semper ad summa pellente, quod vitiatur. Tument autem membra, quoniam materia multa sub cute collecta calefit non transpirans, & coextenditur: porrò & nutrimentum in ijs locis non plane concoctum, sed vitiosum in tumorem concrescit. Pruritus vero fit propter acrimoniam adustionis, propter pruritum autem tentigo circa genitalia, ad quod non parum facit natura melancholię, quæ spirituosa maxime est, vt Aristoteles docet. A facie vero id malum incipit, quoniam exhalatio omnis facillime sursum fertur, præsertim ad faciem, ad quam venulæ multæ terminantur, quæ & spongiosa est, vnde & aliæ
multæ infectiones faciem præcipue tentant, vt Ionthi, & id genus. D
Tarda vero est ea contagio, quoniam in humore crasso consistit. Cur autem fomitem ipsa relinquat, Gallicus autem morbus non, quum lentore maiori abundet, dubitationem habet: dicendum seminaria in Gallico morbo propter lentorem & frigiditatem statim coagulari, & aut non agglutinari in fomite, aut, si agglutinantur, non inficere alium frigida et coagulata existentia, nisi valde calefiant: propter quod visi quidam sunt, qui è linteis, vbi dormierant Gallico morbo sordidissime exulcerato affecti, conceperint infectionem: cæterum fomitem non relinquit vt plurimum ea contages: quæ autem in Elephãtia sunt seminaria, calidiora multo existunt, vtpote in adustione quadam constituta, propter quod nõ coagulantur: lentorem autem habent tantum, quantus sufficit, vt in fomite agglutinetur. Fit porrò Elephantiasis aliquando quidem per se in aliquibus, & primo, in quibus melancholicus est sanguis, & multus, & vnctuosus, & cutis densior: quandoq; ab alio concipitur, in quibus non necesse est sanguinem esse per se male affectum, sed male afficitur à seminarijs contagionis, corrumpentibus crassam & siccam sanguinis partẽ, ad quam habent analogiam. Atque ita se habet Elephantiasis pasio, quæ vulgo Lepra dicitur.

A *De Lepra proprie dicta, & Scabie.* *Cap. 14.*

LEpra vero ita ab antiquis vocata in duobus præcipue differt ab Elephantia, loco, & materia: quippe profundius agitur Elephãtia, quãquam & ipsa circa summa versatur, Lepra vero in supficie magis est: materia porrò Elephantię crasior esse videtur, & exusta etiam num magis, propter quod profundatur magis, vtraq; tamen ex melancholico humore fit: nihil aũt prohibet & in vtraque interdum coniungi aliquid salsæ pituitæ, vñ fit, vt nec Elephantia, nec Lepra vno semper visantur modo: ꝙ si diuturnior fiat Lepra, & tractu temporis malignior, tum in Elephantiam transit. Sunt autem in Lepra suæ pustulæ, atque interdum crebræ, cæterum sicciores, quàm in Elephantia, & squammantes magis, q̃ exedẽtes: pruritus quoque plurimum infestat, macies corpus tenet, & vt vno verbo dicatur, delicatior quædam Elephantiasis Lepra est. Oritur autem vt plurimum primo in nobis vitio humorum, & complexionis, & regiminis, nihil autem prohibet & contagione ab alio concipi: contrahitur autem & à natiuitate, sicuti & Elephantia. Psora autem, quam nostri Scabiem uocant, leuior adhuc dispositio est, quum Lepra, transiens & ipsa in Lepram, sicuti Lepra in Elephantiam, quàm grauior utraque fit: uidentur autem Græci per Psoræ nomen tantum eam scabiei speciem B significare, quæ siccior est, & melancholiæ non nihil sapit, quare contractius psoram capiunt, quàm nos scabiem.

De distinctione infectionum cutanearum. *Cap. 15.*

QVoniam autem infectionum, quæ cutim carpunt, multæ sunt species, & multa nomina, sed confusa satis, bene erit de ijs cursim pauca quædam notasse, ut cognoscamus, quomodo inter se differant, & quæ contagiosæ sint, & quæ non.

Ergo si cholera sit, quæ ad cutim propellitur, uel illic aliter clauditur, si quidem non putrescat, tum Erisipelas uocatum facit, pustulam scilicet vnam, aut plures cum rubore, caloreque multo, non nunquam & cum febre, interdum quidem in facie facta, interdum & in alijs partibus: grauior autem multo est, quæ faciem carpit, nam sæpe è parua pustula accidit circunstantes partes, & faciem totam adeo inflammari, ut & oculi aperiri non posint, & labia præ tumore deformia reddantur, quod fit communicata acrimonia ad circumiacentes partes: moderni Guttam rubeam appellant. Si ergo cholera imputrescens inflammata & accẽsa sit, Erysipelas hoc ferũ facit, si uero inflãmata nõ fuerit, alia Erysipelata ædit, quæ, è pura si sint cholera, simpliciter dicuntur Erysipelata,

ſi vero non è pura ſint cholera,ſed commiſta,non ſimpliciter dicuntur, C
ſed cum adiectione commiſti humoris,vel abſceſſus ab humore appella
ti:ſi quidẽ enim ſanguini ſit admiſta,ἐρυσιπέλας φλεγμονῶδες vocatur,
ſi pituitæ,ἐρυσιπέλας οἰδηματῶδες,ſi melancholiæ, ἐρυσιπέλας σκιρρώ-
δες prædominante ſemper cholera:verum in hoc Scyrrhode, ſi inflãma-
ta,& accenſa ſit cholera,puſtulam illam facit,quę ἐπινυκτὶς vocatur, ꝙ
ſæpiſsime noctu enaſcatur:Arabes Eſſere appellãt:ita ergo ſe habet cho
lera,quæ non putreſcit.Quòd ſi putreſcat iam,& ſub cute puſtulas faciat
tum vocatos ἕρπητας,hoc eſt ſerpentes puſtulas gignit:quippe ſtabile eſt
Eryſipelas,& vrit magis,ac ſquammas & cruſtulas inducit: ſerpit autem
Herpes vocatus modo ſede priori relicta ad alias partes transferentibus
ſeſe puſtulis,modo & in priori loco manentibus,et vicina pabulantibus.
Cuius ſerpiginis quum rationem multum conſideraſſem,non in aliam
certe cauſam reducere potui,q̃ in putrefactionem ſubtilem humoris: nã
ꝙ non alia ſit differentia Herpetis ab Eryſipelate,q̃ ſubtilitas materię,du
rum quidem videtur,quando & Herpes ille,qui ἐσθιώμενος dicitur,craſſæ
ſatis materiæ eſt,cuius cauſa etiam ex eſt,& ille etiam,qui κεγχρία voca-
tur:quid præterea prohibeat,ne cholera,quæ Eryſipelas facit, in latus e-
xedat, et pabuletur,ſi ſerpigo acuitatem ſequitur, quando cholera illa
acutiſsima eſt? quare veriſimilius videtur in putrefactione quadam con
ſiſtere,quæ Herpetes facit,cholera:ſignum cuius eſt,ꝙ ſordidiores videã D
tur ſemper Herpetes,q̃ Eryſipelata:item & ſiccioribus indigent ad cura
tionem,quum Eryſipelas indigeat humidioribus:porrò quæ in putrefa-
ctione ſunt,promptiſsime in vicinũ infectionem conſimilem transferũt,
præſertim ꝙ cutem non exurentes Herpetes in latus magis pabulantur:
ſæpe igitur in parte prius infecta exhalat materia, quæ putrefit infectio-
ne ad vicinum communicata,ſæpe vtraque pars pabulo quodam infici-
tur.Ergo ſi putreſcat cholera,ſit autem in ſuperficie, tum ſimplex Her-
pes fit,qui ſerpit tantum,non autem exeſt,at ſi profundior fuerit, nõ ſer-
pit ſolum,ſed etiam exeſt,vnde non ſimplex fit Herpes,ſed ἕρπης ἐσθιώμε
νος,hoc eſt depaſcens vocatus,atq; hic à craſsiori cholera fit,ille à tenuio
ri.Porrò ſi hic,qui Eſthiomenus dicitur,à cholera accenſa & inflamma-
ta fiat,Herpes ille fit, qui vulgo Ignis ſyluaticus appellatur, ſi vero non
accenſa ſit cholera,Eſthiomeni ſimplices fiunt:atque hi quidem Herpe-
tes à cholera fiunt pura:ꝙ ſi nõ pura ſit,ſed miſta tenui pituitæ, putreſcat
autem,Herpetem illum gignit,qui κεγχρία,hoc eſt Miliaris appellatur,
ꝙ puſtulæ ſimiles ſint granis Milij. Atque ita ſe habent Herpetes, quos
Celſus per Ignem ſacrum intelligit,non enim, vt quidam volunt, per
Ignem ſacrum intelligitur ab eo Eryſipelas,ſiquidem de Igne ſacro ſeor

A sum, et de Erysipelate agit.

Si vero sanguis fuerit, qui in cutim influit, interdum quidem pustulosos abscessus facit, interdum maiores etiam q̃ Erysipelas sit, quos phlegmonas vocant: rubent ij cum calore, & dolore, ac febre etiam vt plurimum: sicut autem sanguis quandoq; purus est, quandoque mistus, quod plurimum fit, ita & Phlegmon alius simpliciter dicitur, alius cum adiectione nominis admisti humoris: si enim illi cholera admisceatur, Phlegmon fit Erysipelatodes, si vero pituita, Phlegmon dicitur Edematodes, si melancholia, Phlegmon Scyrrhodes dominante semper sanguine: species autem phlegmonis sunt δοθιὴν, φῦμα, φύγεθλον: Dotienem nos Furunculum vocamus, abscessum in acutum tendentem cum inflammatione, rubore, & dolore, cui non nihil cholerae admistum est: Phyma vero Furunculo simile pene est, sed planius est, et rotundius, vulgus improprie Carbonem vocat, multum differens ab eo, qui proprie Carbunculus dicitur. Fit autem Phyma è sanguine subadusto, crassiore, q̃ qui Furunculum facit: Phigethlon vero est, quod nostri Panem vocant ob similitudinem, alij et Bubonem: quanq̃ sunt, qui Bubonem appellant, qui in carnibus laxis fit, Phigethlō vero, qui in neruosioribus: fit autem hic vel è puro sanguine, vel misto tenui pituitae. Si vero simul inflammatus sit sanguis, ac putrescat, tum Bubones pestilentes facit, quos Auicenna Al-
B thoin vocat: q᷑ si subtilis admodum sanguis sit, influat autem in summā cutem, pustulosos abscessus facit: si igitur non inflammatus quidem sit, calefactus tamen, vt quasi ferueat, tum Exanthemata vocata facit, quas Plinius eruptiones papularum vocat: vulgus sufferfuras à feruore, vt arbitror, dictas: pustulae sunt vix cutim excedentes, rubrae, confertae inuicē, pueris praecipue familiares, quum supercalescunt: sunt autem duūm generum, quaedam ficciores, & rubicundiores, quas Auicenna Plātam noctis appellat, quaedam vero in rubore albicantes tenui pituita commista sanguini, quae Graeci ἵδρωα vocant, nostri Sudamina, Auicenna Desudationes: quòd si crassior aliquantisper sit sanguis, ac simul putrescat, non autem inflammatus, tum, si tenui cholerae commistus sit, vocatos Morbillos facit, si tenui pituitae, Variolas, quae duo ἐξανθήματα etiamnum à Graecis vocantur.

At, si pituita fuerit, quae in cute tumores facit, si quidem humidum suu m seruat, nec à calore fuit exiccata, nec à frigore concreta, tum molles facit tumores, quae οἰδήματα vocantur, quidam tumores simpliciter transferunt, simplici nimis (vt mihi videtur) vocabulo: Arabes vndimiā vocāt. Quòd si pituita aut calore, aut frigore indurata fuit, vocatos Scyrhos facit, è quibus sunt Strumae, quas χοιράδας Graeci vocant, & Nodi,

quos

quos γαγγλία, & id genus glandulæ, & gummositates reliquæ: tum C & Verrucæ, quæ Porra uulgo appellamus, quæ, si basi latiore sint, μυρμηκίαι uocantur, quasi formicantes, quòd punctiones in ijs fiant, quasi formicarum: si uero sint basi tenuiore, ac ueluti suspensæ, ἀκροχορδόνες nuncupantur. Auicenna uero Myrmecia confundit cum Herpete, & in Herpete curam ponit, quam Galenus Myrmecijs tradit, errore periculoso, nisi capitulis diuersis addita sint uni, quæ alterius sunt. Sunt præterea ex hoc genere callositates quædã, quarum alij proprie Calli à nobis dicuntur, à Græcis τύλοι, tum & uocati Claui, ἧλοι à Græcis dicti. E pituita quoque & aliæ pustulæ fiunt, quales ἴονθοι, qui à latinis Vari, uulgo Cossi uocantur, qui præsertim oriuntur in facie: sunt & φλυκταῖναι, quas Auicenna nomine uessicarum comprehendit: bullæ sunt non dissimiles ijs, quas excitat aqua feruens, quibus tenuis subest pituita: proxima ijs sunt ψυδράκια uocata, Phlyctænis paulo duriora, quibus cum pituita tenuis subest melancholia, Phlyctænæ uero è simpliciori sunt pituita paululum inflammata, vnde & in bullam surgit: porrò è pituita salsa fiunt uocatæ à uulgo Volaticæ: Celsus Papulas uocat, Græci λειχῆνας: quanquam sunt, qui Lychenas transferant Impetiginem, quod non recte fieri arbitror: quòd autem, quas nos Volaticas dicimus, Celso papulæ sint, manifestum est, si materiam, si modum serpendi, qui ab ipso traditur, respiciamus: sunt autem duorum generum, alterum, quod fit è tenui pituita, & salsa per summam cutem serpente in orbem, quod passim nomine Volaticæ monstratur, alterum, D cui parum melancholiæ adiungitur, & profundius aliquanto serpit, & non præcise in orbem, quod sæpe in impetiginem uertitur: nec me latet Lichenis nomen à Græcis interdum latius capi pro fœdiori cutis habitu, unde & poeta sordidos appellat Lichenas, & Plinius ipse etiam nouum morbum Pompei ætate uisum Lichenas uocauit, sicuti & Mentagram: quæ omnia ex salsa pituita fiunt putrescente, cui quiddam melancholiæ permistum est, propter quod sordida putrefactio fit. Gignitur præterea & Scabies è salsa pituita, cui nomen commune non proprie inuenio apud Græcos, quando ψώρα aut illam significat apud ipsos, quæ apud nos impetigo dicitur, melancholica passio, & uia ad lepram, aut si scabiem notat, illam certe speciem tantum importat, quæ sicca dicitur scabies: quare de scabie uidentur aut non egisse Græci communi nomine, aut de ea non egisse, nisi forte sub pruritus capite comprehenderint. Sunt autem & aliæ quædam è pituita passiones ἀχὼρ, & ἀλωπεκεία, & σίφηλις: Achores autẽ nos uulgo appellamus Latume, Plinius Vlcera capitis manantia transfert, Arabes Saphati appel

A lant: crustosæ sunt, & sordidæ infectiones in capite, puerorum præsertim, natæ, de quibus nec multa dicenda sunt.

Si uero humor, qui in cute tumorem facit, melancholicus sit, si quidem nec inflammatus fuerit, nec putrescat, Scirrhos melancholicos facit, alios quidem maiores, alios minores, & pustulosos solum: si autem inflammatus sit, & accensus, non autem putrescat, Cancer uocatum facit: si uero putrescat quidem, non autem inflammatus sit, tum Psoram & Lepram gignit, et Elephantiam non dum feram, at si inflammatus simul sit, et putrescat Elephantiam feram facit, cum iam horribiles aspectu sunt, similiter et Carbunculum, quem Anthracē uocant, generat. Impetigo porrò à nobis uocata non alia esse apud græcos uidetur mihi, quàm Psora et Lepra, quæ secundum magis et minus illas quatuor species facit, quæ à Celso traduntur: ex quibus patet Impetiginem non esse Lichenas, ut multi uertunt, sed eam magis, quam supra uocauimus Volaticam, Lichenas esse: hæc enim à phlegmate salso, Impetigo autem è melancholico humore magis fit. Ac de cutis infectionibus ita per transcursum determinatum à nobis sit, è quibus contagiosæ sunt Bubo pestilens, et exanthemata illa, quas Fersas et Variolas
B uocamus, et Strumæ quædam ulceratę, et Lichenes nō nulli, et Scabies, et Elephantia, et Achores, et Alopecia, et Syphilis, et Mentagra, et si quæ aliæ sunt, in quibus putrefactio sordida fiat.

DE CONTAGIOSORVM MORBORVM CVRATIONE LIBER III.

Quòd peculiaris curatio debeatur contagiosis morbis. *Cap.* I.



HACTENVS ergo de contagione, quid esset, et quibus principijs & causis fieret,& quæ essent differētiæ eius omnes,in vniuersum quidem libro primo percurrimus,mox de contagiosis morbis,aut omnibus, aut maxime notis, qui essent,& quibus è causis penderent,& quomodo inter se differrent libro secundo disseruimus.Superest iam,vt de curatione omnium contagionum agamus methodo primum(vt par est) generali & communi,mox & propria cuique morbo: de quo quidem in primis ambigat fortasse aliquis,vtrum aliquam peculiarem et propriam curationem habeant contagiosi morbi ab alijs , et an tradita sit à maioribus nostris:mirum enim videri potest,si aliqua in his erat peculiaris methodus,prætermissam ab illis fuisse. At certe,si recte tradita sunt, quę supra determinata fuere de contagione,propria quædam & determinata cura tio debetur contagiosis morbis,quatenus contagiosi sunt, quando diximus eos & principio longe differre ab alijs,& modo materiæ,& putrefa ctionis,ac postremo et accidentibus ipsis,quibus omnibus sua animaduersio,et sua curatio debetur:nam si quispiam recte se habens tum circa humores proprios,tum et circa complexionem,et alia , phthisim tamen ab alio per contagionem concipiat,plurimum profecto refert, si per initia aduoceris,& seminaria eius contagionis per ea extinguas, quę dicemus,ijs enim interemptis nihil præterea procedet morbus:similiter & in Rabie se habet,& in Syphilide,et Scabie,& aliis:quinimo & in processu quoque si ad communia remedia te conuertas, Catarrhum in Phthisi expurges,materiam concoquas,nihil tamen operabere,nisi perpetuo ad seminaria animum,& curationem aduertas:porrò & in febribus, quę pestilentes dicuntur,cur non ijs remedijs vtimur,quibus in aliis solemus? cur protinus omnes clamant putrefactioni resistēdum esse, nec quidem obstructiones aperiendo,non plenitudinem euacuādo,sed propria quædam inquirendo,quæ obsistant putrefactioni?quippe certus in his est putredinis modus,qui propriam animaduersionem poscit. Videntur igitur maiores nostri curationes quarundam contagionum tradidisse quātum

ad

A ad quædam remedia, verum omnia illa non ad contagionem, quatenus contagio est, destinata fuisse, sed aut fortuna quadam inuenta, aut ex similitudine ad alia, ut uenena, & similia: quę res certior fiet per ea, quæ circa vnumquenq; morbum dicentur: quod iam aggrediamur, ab vniuersali methodo & forma initium capientes.

Quoniam autem duplex est medendi ratio, altera, quæ præseruat, altera, quæ liberat, nos breuitatis gratia de ea, quæ liberat, inquisitionem faciemus, illud pollicentes, quòd hac rectè perspecta vnusquisq; uiam habere poterit quàm facillimam ad eam quoq;, quæ præseruat. Qui igitur contagiones curare volet, ad hæc aduertat necesse est: primum videat, quæ nam contagio sit, utrum earum, quæ extrinsecus veniunt, & an ab aere, an ab alio sit concepta, an earum sit, quæ in nobis primo fiunt: & utrùm contactu solo afficiat, an & fomite, vel & ad distans feratur: tum perpendat, qualis sit, num acuta, an segnis, & quo in humore sedem habeat, & analogiam: nec non & quantum processit, si in principio sit, an plurimum sit progressa: & quibus in locis præcipue sit, intra'ne tota, an extra tota, an vbiq;: & an solida occuparit, an per summa tantum erret: & vtrum velociter & large serpat, an tarde & anguste: &, vt summatim dicamus, differentiæ omnes contagionum ante oculos habendę sunt.

B *De intentione, quæ habetur ad principia. Cap. 2.*

HIs animaduersis tria principaliter esse scito, ad quę intentio omnis dirigenda est: primum quidem principia, à quibus initium & originem putrefactio habet, secũdum est materia, quæ in via est, vt inficiatur, & iam cœpit, tertium materia, quæ iam corrupta est, nec amplius restitui potest: ac principia quidem quandoq; (vt diximus) communia sunt cum alijs morbis, qui in putrefactione consistunt, quandoq; propria contagiosis: communia quidem sunt plenitudo, obstructio, malitia humorum, & alia id genus, propria vero sunt seminaria ipsa cõtagionũ: nihil enim prohibet aliquem plane sanũ existentem, & mensurate in humoribus & alijs se habentem, contagionem tamen ex alio contrahere. Ergo, si communia ad sint principia, nihil aliud nobis dicendum agendumúe sit, nisi quæ medici iubent agenda, quum plenitudines, obstructiones, & alia eiusmodi adsunt: vbi vero ea adsunt, quæ propria sunt contagionibus, principia, tum magna cura & diligentia opus est, protinus enim, si seminaria ipsa aut enecare, aut educere possis, aut frangere, morbus præterea non vltra protenditur: quare maxime initia perpende, si potes ijs adesse: quòd si non possis, scito tamen per totum morbi proces-

ſum continenter curam ad ſeminaria adhibendã eſſe, ad quę multiplex ingenium eſt, & nunc vno modo ad illa, nunc alio agendum: poſſunt autem illa aut extingui, &, vt dicitur, enecari, aut educi, aut frangi & alterari, aut repelli: his autem vti non ſemper omnibus datur, nec conuenit, ſed modo vno, modo alio, modo pluribꝰ agere licet, vt & res, & occaſio, & reliqua poſcunt. Ergo extinguunt, & interimunt, & quæ calidiſsima ſunt, & quæ frigidiſsima, maxime autem, quæ vrentia dicuntur, aut vicina vrentibus, ſiue per ignem facere velis, ſiue per ea, quæ Cauſtica vocantur: extinguuntur quidem ab ijs ſeminaria ita, vt ijs interemptis & totus ſimul interimatur, qui imminet, morbus, nihil enim remanet, quod præterea ſobolem gignat: nam ignis quidem vis, tametſi locum exurit, vltra tamen non aliud nocumentum relinquit, quod vel ad priorem labem attineat, vel apportet nouam peiorem: quare, vbi auxilium hoc adhiberi poteſt, & debet, nullum præſentius eſt: porrò extinguũt, & frigidiſsima, vt frigidæ potus, de quo ſuo loco dicemus, et ablutiones etiam, quod maxime valet ad ea ſeminaria, quæ in fomitibus continentur. C

Sequens ad ea ingenium eſt euacuatio, quod certe difficulter admodũ fieri poteſt, quoniam hinc inde diſperſa ſint ſeminaria hæc, & per ſe educi non ſatis commode poſsint: nihil tamẽ prohibet cum humoribus, quibus agglutinata ſunt, ſimul & ipſa quoq; educi, verum non niſi vi multa fit. Modi autem euacuandi præcipui ſunt pharmaca, quæ aluum mouẽt, & quæ ſudorem cient, et vrinam, et alia, de quibus circa particularia rurſus dicemus, vt cucurbitulæ, & phlebothomia, & reliqua. D

Quæ vero frangunt, & alterant ſeminaria, ea ſunt, quę antipathiam habent materialem, hoc eſt per qualitates notas contraria ſunt: quoniam enim diximus ſeminaria hæc acrimoniam quandam habere, tum et in lẽtore quodam conſiſtere, acrimoniam quidem frigidis frangemus, lentorem vero ſiccis potentia: exiccant autem alia per qualitatem ipſam, quæ eſt ſiccitas, quæ quidem paruæ actionis in tota natura eſt, alia per caliditatem, alia imbibitione, vt pulueres, et farinæ, et id genus, alia modis omnibus, vt ſal: quorum omnium interdum quidem vnum, interdũ aliud magis conueniens eſt: quare et abundare oportet, vt eligere poſsimus, quæ magis cõducunt. Repellunt autem, quæ proprie ſpiritualem antipathiã habent aduerſus ſeminaria: diximus enim in natura diſſenſum hunc rerũ eſſe, vt ſeſe mutuo non nulla pellant: quare ſicut & venena, et ſeminaria contagionum antipathiam habent ad animam, & naturalem calorem, ita & quædam alia ſunt, quæ vti antidota quædam antipathiam quoque & ad venena, & ad ſeminaria ipſa habent, et ea repellunt: fortaſſe autem & eadem obtundunt alio modo: nam, quoniã ſpecies tum veneni, tum

contagio-

A contagionis ad animam vti inamabilis, et ingrata fertur, & tristitiam ingerit, ita species eorum, quę antidota sunt, vti grata, & lęta recipitur, qua è causa obtundit passio prior à veneno, et contage illata, et vigoratur anima: quod in fœtore omni fieri manifestum est, vbi per odorata recreari nos sentimus. Quòd igitur in contagionibus antipathia hæc versetur, quæ recreet per odorem, manifestum est: vtrum autem & illa quoque adsit, quæ repellat, et si non ita manifestum est, rationabile est tamen, & in venenis manifestissimum, constat enim assumptis quibusdam antidotis vim omnem veneni subito tolli, quod non alia facultate fieri posse videtur, quam per spiritualem speciem, quæ pręcipue repellat venenum, tam & si per materiales etiam qualitates operetur antidotum. Constat quoque rusticos quosdam, quum forte secarent herbas, demorsos fuisse à Vipera, ac repente inflatos, apposita autem Tormentilla vocata herba supra locum statim liberatos fuisse. Nos quoque mirum quiddam vidimus in bolo armenio: villicus enim quidam noster, quum à me forte ꝑficisceretur in forum, inter eundem sensit se in collo pungi, nesciēs, qua è re contigisset: statim autem facto tumore ingenti, et strāgulatione quadam ad me reuersus, nec quicquam loquens, sed solum digito locum commonstrans prostrauit sese super capsā, mugiēs quasi moriturus: ego bestiam aliquam venenosam ratus, qui neque Carbunculi signa vlla vi-
B dissem, nec alterius eorum, quæ oriri in nobis solent, bolum armenium propinaui cum aceto, vt forte excellens apud me erat bolus: quo assumpto confestim, et quodā quasi miraculo detumuit locus, ac surgens ille, et loquens, hoc me, inquit, à morte liberauit, putare autem se araneū pupugisse, qui decidisset in collum. Hęc ergo, et similia à maiori quadam vi euenire, quàm à notis qualitatibus censendum est: quod & circa malignas, et venenis similes contagiones cōtingere par est existimare, in quibus suę quoque antipathiæ sint, vt de eodem bolo armenio traditur, per quem in magna illa pestilentia, quę adeo Athenas vexauit, tot præseruatos legimus. Scordium quoque cognitum ferunt tam mire pręseruare à putrefactione, quum cadauera, quę super ipsa iacuerant, inuenta fuissent incorrupta: quantum porrò et Balsamum, et Myrrha, et Aloe, et Cedrus, et id genus à putrefactione conseruent, notissimum est in cadaueribus Regum: quare et circa contagiones eiusmodi esse antipathiam nemo inficiari debet. Quę autem illa sint, quibus data sit tanta facultas, statim dicemus: vtrum autē antipathia hęc sit in ea qualitate, in qua et odor versatur, an alia, incertum est homini. Atque hæc quidem remedia sunt, quibus vti aduersus seminaria possumus.

De intentione ad materiam, quæ iam infici cœpit. Cap. 3. C

AD eam vero materiam, quæ nondum corrupta est, in periculo autem iam agitur, vna quidem generalis intentio est prohibere tum causas putrefactionis, tum iam inducti affectus principium, quod & alijs etiam morbis, qui in putrefactione consistunt, commune est: modus autem non est communis, sicuti nec causæ, nec ratio putrefactionis communis est his, & alijs morbis: quippe in alijs præcipue causæ sunt plenitudo, obstructio, & humorum malitia, in his autem nulla horum necessaria per se sunt, sed quodammodo accidunt, aut concausæ solum sunt, non autem per se principia: igitur si hæ concausæ contagionibus coniunctæ sunt, negligendæ quidem non sunt, sed, prout conuenit, tractandæ, & tollendæ: quæ autem propria, & per se consideratio & intentio ad materiam periclitãtem vertitur, illa est, vt omni ingenio obsistas putrefactioni, quę inducit: ac, quomodo seminarijs, à quibus pendet, te opponas, dictum est, quid autem circa materiam ipsam agas, nunc dicendum.

Quoniam autem in putrefactione omni dissolutio quędam mistionis fit euaporante innato calido & humido, euaporant autem hæc remollitis ab humiditate partibus, & sublatis ab extranea caliditate, manifestũ est ꝙ ad hæc obsistere necesse est, primum quidem remittendo eam, quæ inducitur extranea caliditas, deinde exiccando, quæ remollit partes, humiditatem, ac demum prohibendo dissolutionem mistionis: prohibent D autem præcipue resinosa, non solum quòd exiccent, sed quòd constare materiam faciant glutino ipso: prohibent autem & intermisti pulueres quidam, imputrescibiles ipsi existẽtes, subtilissime igitur diuisi, & interiecti inter partes, materiæ partim alterantis actioné impediunt interpositi ipsi, partim materiam continent, ne dissoluatur, nexu quodam, simili modo, quo arena immista calci tenacem nexum operatur, & aquę farina: penetrant enim humida minima in tenuissimos vocatos poros siccorum, vnde separari non possunt propter vacuum, nullo existente alio, quod subingrediatur, quod maxime ad fortitudinem mistionis valet. Non negligenda autem est, nec parui facienda minimorum intermistorum actio: quis putaret in multo lacte interposito pauco coagulo, aut tenui puluere plumæ floris cynaræ coagulari lac totum? quis crederet in magno aheno ebulliens saccarum, ac præ feruore iam erumpens, sisti tamen, & constare, ac deponere eruptionem & tumorem omnem imposito paucissimo butyro? quod vero attinet ad putrefactionem non ne videmus conseruari vina in magnis dolijs intermisto pauco alumine, quæ alioqui citissime putrescant? quare nec mirum esse debet, si & eas, quę in nobis

A nobis fiunt, putrefactiones per interpositos pulueres quosdã ꝓhibeamus. Atq; hæc quidem ad materiã, quę iam periclitatur, idonea remedia sunt.

Ad eam vero materiam, quæ iam corrupta est, et restitui non potest, vna intentio est remouendi eam è corpore, quod aut pharmacijs fit, quũ scilicet materia introrsum est, aut incisionibus, vel dissolutiuis, quum est extrorsum: habet autem et hæc digestiones suas à medico præparandas, non eas quidem, quæ ad benignum restituunt, sed eas, quæ euacuationem faciliorem reddunt: de quibus omnibus in particularibus morbis distinctius agemus, nunc enim generales magis percurrimus: quoniã autem remedijs abundare oportet in contagionibus, et modo vno, modo alio vti necesse est, bene erit plura enumerare eorum, quæ in contagionibus valent, vt eligere possimus, quæ idonea magis sint.

Vrentia ergo sunt viride æris, auripigmentum, chalcitis, chalcanthum, et quod Sublimatum vocatur, et quod pręcipitatum, et vocata ruptoria, et id genus: vicina vero vrentibus sunt sal gemma, nitrum, et sal, et aceti fex usta, et alumen, et cinis ficus, et stercus columbinum, et vatrachium, et clematis, et thapsia, et euphorbium, et pyretrum, et calx, et hermodactyli, et vnguẽtum ægyptiacum, et trochisci Andronis, et diachalcitis, et eiusmodi. Resinæ vero, quę et abstergunt, et exiccant, et materiam constantem faciunt, sunt terebinthina, laricina, abietina, cędria, thus, mastix, galbanum, myrrha, styrax vtraq;, gummi, laser, et reliquæ.

B Quæ vero tum in pulueres redigi possunt, tum decoqui, calida quidẽ et sicca sunt aspalathus, cupressus, iuniperus, cedrus, xilobalsamum, citrus, cedrus, agnus castus, guaiacum, agalochum, scordiũ, chamędrys, dictamnũ tum nostrum, tum creticum pentaphyllõ, heptaphyllon, et phu, et verbena, et thlaspi, et vocata scabiosa, et cardo benedictus, quem Theophrastus alteram speciem Cnici agrestis facit, tum et Gentiana, et aristolochia, et Smyrnium: item aromatica casia, cinnamomũ, calamus aromaticus, iuncus odoratus, macer, nux muscata, zedoaria, doronicũ, malanga, iris.

Frigida vero & sicca sũt margaritę, coralli, succinũ, saphiri, hiacynthi, & in magno pretio habitus smaragdus, tũ terra lẽnia, & bolus armenius, & samia, & sandali, & vocata bistorta, forte bulapathon, & lapathi genera omnia, pręcipue oxalis, & trifolium omne, maxime quod odoratum dicitur, & consimilis herba, quę vulgo gallica appellatur, forte onobrychis, nec non & cicorium, & cicerbita, & nymphæa, & tamarindi, & cornu cerui, & os cordis eius, & cornu monocerotis, & rosæ, & earum semina, & citria, & è liquidis acetum, & omphacium, & uinum oxyacanthinum. Ex antidotis vero sunt theriaca, & mitridatum, & trochisci

de viperis,

de viperis, et diamuſcum, et diambra, et cyphi, et ſaccarum roſaceum, & eiuſmodi. C

Quæ vero ſpiritualem antipathiam habeant non ſatis facile eſt iudicare, quoniam eadem habent & eam antipathiã, quæ inter materiales qualitates verſatur: quoniam tamen non nulla maiorem quandam vim præ ſe ferunt, quàm materialium qualitatum (vt ſupra diximus) exiſtimandũ eſt talia maxime eſſe terram lemniam, et bolum armenium, et ſcordiũ, heptaphyllon, et cornu monocerotis, et prædictas gemmas, præcipue ſmaragdum, et theriacam, et mitridatum, et ſi quid aliud in experientiam venit.

Vrentibus autem vti tum ſolum licet, quum contagio extra eſt, & ea quidem maligna, ac in principio: ſi enim introrſum ſit contagio, adhibere quidem non potes vrentia ſine maiori periculo, extra vero ſi ſit, apponere quidem potes, & debes, ſi maligna ſit contagio, verum in principio ſolum iuuabis: ſi enim iam radices egit, & introrſum ſeſe inſinuauit, nihil quidem proficies, ſi extra vrentia appones: licet tamen quandoq; vicina vrentibus applicare, quibus admiſcenda erunt pinguia quædam, quæ ea intro ferant. At ſi extra quidem ſit contagio, non autem maligna, nec ſic quidem vrentia ſunt applicanda, q̃n per alias facultates leuiores, & per abſtergentia ſola leuare morbum datur, vt in ſcabie, et ſimilibus: de his aũt in particularibus rurſus dicetur, & quando, et quomodo conueniant. D

Calidis vero, & ſiccis vti tum debes, quum materia non valde acuta eſt, ſed frigidior, ſiccis vero & frigidis, quum calidior eſt: quoniã autem horum multa ſtyptica ſunt, & ſubſtantiæ craſsioris, inferius quidem examinabimus, quomodo liceat ea adhibere, et non adhibere. Porrò per decocta conuenienter ages, quum introrſum contagio eſt, vt in febribus, per pulueres vero, quum maxime, & multiplici facultate obſiſtere putrefactioni voles. Atque hæc quidem ſatis ſint, quantum ad vniuerſalem curandi rationem pertinet: nunc particularia proſequamur, à febribus incipientes.

De curatione febrium Variolarum, & Morbillorum. Cap. 4.

INter febres, quæ in contagione verſantur, illæ prius percurſæ fuere, quæ vocatas Variolas, & Morbillos emittunt, vt pote minus feræ: de quibus quidem agemus, quatenus nondum peſtilentes ſunt, nam & ipſæ in peſtilentijs ſæpe viſuntur, ſimpliciter autem peſtilentes non ſunt. Quoniam igitur diximus expulſationem illam Variolarum, Morbillorumq; quodammodo criſim quandam eſſe, & ſequeſtrationem mẽſtruæ infectionis à ſanguine, nulla tibi eſſe alia intentio debet, quàm vt nõ impedias

A pedias expellentem naturam, sed iuues potius, si opus est: quippe eam impediunt non nulli interdum phlebothomijs, interdum purgatorijs pharmacis: quare, quum tu videris febrem esse eiusmodi, quæ eas expulsiones aut faciat, aut factura sit, tum abstine à medicamentis omnibus, sed naturam sine per se agere, nisi forte à principio magnam plenitudinem fueris conspicatus, tum enim licet vti purgante pharmaco, sed non acri & molesto. Quòd si iuuanda natura sit, locum prius procura, vt calidus decenter existat, vt æger pannis conuenienter tegatur, & ijs rubentibus, vt leui vtatur cibo, vino abstineat: tum vide, quæ causæ prohibeat expulsionem, num carnis densitas sit, aut crassities materiæ: tunc enim iuuanda est natura ijs, quæ foramina cutis aperiunt, & materiam attenuant, quales sunt caricæ, et feniculus, & carui, & apium, & similia, ex quibus commode decocta fient: sunt qui addant lentes abiecta prima aqua decoctas, aliqui, qui & tragacantham: quod quidem forte miretur aliquis, quando in lentibus et tragacantha contraria magis videtur intentio inesse, quum & ingrossent, & inspissent sanguinem, et cutim obstruant. Verum ita res accipienda est, quòd ebullitio sanguinis interdum temperata est, interdum non temperata, sed aut maior, quàm oportet, aut tenuior, quàm oportet: si igitur temperata est, crassior autem humor, qui feruet, tum neque lentes, neque tragacantha adiungi debet, sed sat B erunt, quæ subtiliant: at vbi intemperata est, et maior, quàm oportet, aut, quod excernitur, nimis subtile visum fuerit, tum si prædictis addantur lẽtes, & tragacantha, recte facies, quoniam ita ebullitionem temperabis: quod et in sputo sæpe fieri oportet, quum plus æquo tenue est. Nec plura de his febribus dicantur.

De cura febrium pestilentum communi. Cap. 5.

NVnc vero ad eas pertranseamus, quæ pestilentes vocantur febres, quòd vel partem maiorem perdant, vel multos saltem: quarum, quæ maiorem partem perdunt, vere pestilentes dicuntur, quæ vero multos solum, malignæ magis dici solent: quoniam autem gradibus solum differunt, & cõmunem quandam naturam habent, communes primum earum curationes, et intentiones tradimus, mox et proprias prosequemur. Ergo ijs primum consideratis, quæ diximus esse circa contagiones consideranda, analogia scilicet, loco, tempore, et ante alia morbi origine, extrinseca'ne sit, an intrinseca, scito et in his illa tria præcipue esse attendenda, ad quæ prius diximus esse omnem intentionem dirigendam, seminaria scilicet, materiam periclitantem, et eam

quæ periclitata iam & prorſus corrupta eſt:ac quoniam ſupra dictum eſt C
ſeminaria poſſe vniuerſaliter vel extingui, vel frangi, vel educi, vel
per antipathias repelli, uidendum eſt, quæ nam ex his in peſtilentibus
febribus conuenire poſsint. Ac primum quidem extingui ſeminaria per
vrentia non datur, quoniam febris iam introrſum facta eſt,nec ſatis tutũ
eſt introrſum aſſumere,quæ vrunt:extra vero ſi apponas,aut nihil opera-
beris, aut contagẽ exagitabis vehementius, quare per alia ingenia age.
Vtrum autem extingui per frigida poſsint, vt per aquæ potum, dubita-
tionem habet, quoniam,& ſi aqua,quatenus frigida,iuuare poſsit,at ta-
men, quatenus humida,obeſſe non parum videbitur, ꝙ augeat putrefa-
ctionem:non ſolum igitur propter hanc cauſam nocere potus aquæ po-
teſt,ſed & ob illud etiam,ꝙ materiam crudiorem reddit,et obſtructionẽ
adauget:quapropter in maiori parte harum febrium abſtinere ab eo po-
tu melius eſt: nihil tamen prohibet certis caſibus etiam cõuenire, quum
febris ardens eſt, & cholera quodammodo furit,ſi & reliqua conſentiãt:
tum enim magis prodeſſe frigiditas,quàm obeſſe humiditas,poteſt.Igi-
tur quum extingui non niſi rariſsime poſsint ſeminaria febrium conta-
gionem peſtilentem habentium,videndum eſt,vtrum ſaltem educi poſ-
ſint,ſed certe & hoc difficulter admodum fit, per ſe enim ſeminaria val-
de diſperſa ſunt, & ſi educi detur, educuntur quidem per eductionem
materiæ, cui ſunt hærentia, quomodo tamen fiat, & quibus modis me- D
lius,quibus difficilius,paulo poſt oſtendemus, quum de materiæ euacua
tione tractabimus. Supereſſe igitur videtur, vt maxime procuremus ea
frangere,& per antipathias repellere: eorum autem quæ frangũt, omnia
quidem potentia ſicca ſunt,ſed alia calida quidem ſunt, alia frigida, &
rurſus alia ſicca tantum ſunt,alia etiam ſtiptica,& craſſæ ſubſtantiæ:qua-
re & dubium eſt,vtrum calidis vti liceat in his febribus, & vtrum ſtipti-
cis, nam calida videntur & febrem augere,& acrimoniam ſeminariorũ,
ſtiptica vero videntur obſtruere,et tranſpirationem intercludere,& ma-
teriam craſsiorem facere. Ad quæ dicendũ eſt diuerſitates & analogias
contagionũ conſiderandas eſſe:aliæ.n.ad craſsiores,et pinguiores humo
res hñt analogiam, aliæ ad ſubtiliores, et acres magis, et aliæ ad ſpiritus
etiam:porrò in quibuſdam obſtructiones multæ ſunt,in quibuſdam pau
ciores: vbi igitur analoga eſt contagio ad craſſos, et frigidiores humo-
res,præcipue ſi et obſtructiones non paucæ ſint, bene erit ſiccis vti: quæ
etiam calida ſint,frigida autem minus conuenient, maxime ſi et ſtiptica
fuerint craſſæ ſubſtantiæ:at vbi analogia ad ſubtiliores,et acriores humo
res ſit,vel ad ſpiritus ipſos,obſtructiones autem paucæ fuerint,tum decet
per ſicca illa agere,quæ ſimul et frigida etiam ſint,quæ ſi etiam ſtiptica

fuerint

A fuerint, nihil refert, frangunt enim hæc maxime, & virtutem continent, ne dissoluatur, quod potissimum accidit in his febribus. Porrò si ea, quæ per antipathias valent, vlla in contagione conuenientia sunt, in hac certe conuenientissima, & maxime præsentanea sunt, in qua contages venenis quibusdam assimilatur: quare his maxime vtendum, nec vnquam de serenda, quæ tum repellendo, tum & confortando iuuant: atque hę quidem intentiones ad seminaria habendæ sunt, quę si ab aere, vel alio depē deant, illud etiam principium extinguendum, & frangendum tibi erit. Ad materiam vero, quæ in periculo est, primum illud æquum est quærere, vtrum euacuatio vlla conueniat, et qualis: ac conuenire quidem, quū plenitudo adest humoris ad putrefactionem parati, manifestum est, vbi vero plenitudo ea non adsit, sed corruptio tota è contagione depēdeat, (nihil enim prohibet alicui probe sano existenti contagionem inferri) tū non est procuranda euacuatio materiæ periclitantis, præsertim phlebothomijs, aut pharmacis: quin imo de his dubitatio est, & controuersia inter medicos, vtrum sint adhibenda in ea etiam materia, quæ cum plenitudine pestem affert: quippe sunt, qui in omni pestilentia non semel solum, sed & bis sanguinem hauriant, rationem autem facti addunt, ꝙ hic morbus sit magnus, imo omnium maximus, ꝙ ebullitio in sanguine magna fiat, ꝙ peccatum in ipso sanguine quasi semper sit, & corruptio, ꝙ
B per phlebothomias bene euentetur corpus, & transpiret, ꝙ natura multum in his febribus grauetur, quæ nisi subleuetur, morbum non ferat, non expellat, non concoquat: propter quod multi visi sunt, quibus phlebothomia facta, statim lenticularum expulsio facta fuit, quum prius nulla appareret: contra alij magnopere à phlebothomijs cauent, ꝙ experientia constet partem maximam eorum, quibus detractus fuisset sanguis, paulopost aut obijsse, aut in deterius lapsos, vt annis 1505, & 1528 manifeste visum fuit. Qua in re mihi ita dicendum videtur, ꝙ aut contagio extrinsecus concepta est, aut intrinsecus primo in nobis facta, & hęc rursus vel in initio est, vel iam valde sparsa: si igitur extrinsecus venit contagio siue in initio sit, siue nō, nunquam sanguis est per phlebothomiā mouēdus, ea de causa, quod contages introrsum trahitur, & versus cor, tam ea, quę circa summa est, q̄ ea, quæ in venis pulmonis, nisi adeo magna plenitudo videatur, vt ferri non possit, tum enim licet phlebotomia vti, sed & hoc circa initia: propter quod superioribus annis, in quibus contages extrinsecus in nos venerat, maior pars eorum, quibus secta fuit vena, periere. Si vero contages in nobis primo oborta fuerit, securius quidem possumus detrahere sanguinem, sed & tunc ab initijs, & quum plenitudo videtur: in vniuersum enim hoc constare debet, quum iam sparsa cōtagio

eſt,& ſeminaria late iam diffunduntur,nihil venæ incisionẽ iuuare,quin C
imo longe nocere magis,quoniam omnis agitatio , quæ in ſanguine fit,
putrefactionem valde adauget,ꝙ ſeminaria magis miſceri accidat,& ſin
ceras partes cum infectis,non aliter, q̃ ſi in craterem aquæ ſalis aut fellis
modico iniecto,ſi quieſcat aqua,& non agitetur,minus ſalſa,& amara ꝑ
manet,ſi vero agitetur,ſtatim tota contaminatur permiſtis minimis in-
uicem:quare non ſolum ſuperioribus annis,ſed ſemper, & in alijs quoq;
peſtilentijs viſum eſt magnam phlebotomatorum partem rem male egiſ
ſe,ꝙ in anguſto ſit tempus,in quo venæ ſectio conuenit,in amplo autem
in quo non conuenit:quare bene perpendere opus eſt,quãdo, & quomo
do ſeces.Quòd ſi ſecanda ſit vena , ſatius etiamnum exiſtimo ſecandam
eſſe eam,quæ in talis eſt,aut hæmorrhoidas aperiendas:hæ enim,& ſi nõ
omnes venas,quæ ad cor poſſunt deferre contagem,diuertũt, at quarun
dam tamen curſum ab eo reuocant,& contagem amouent: ſed certe cõ-
uenientius agunt,qui per cucurbitulas multas comminuere ſanguinem
volunt:nihil ergo te moueat ad ſecandam venam,ꝙ morbus ſit magnus,
maior enim fiet,ſi ſecueris,maior quoq; & ebullitio,& corruptio in ſan-
guine,tranſpiratio autem minor.Quòd autem expulſio lenticularum in
quibuſdam viſa fuerit facta phlebotomia,non potentiam maiorem vir-
tuti additam monſtrat,ſed Symptoma maius:ſicut enim commota aqua
calida,euaporatio fit maior,ita & hic commoto & agitato ſanguine eua D
poratio excitatur maior,quæ valde ſtimulans virtutem,expulſionẽ irre-
gularem facit,non qualem natura per ſe,quaſi criſim faciens, deligere ſo
let:cuius ſignum eſt,ꝙ ſtatim delitere conſueuere expulſiones illæ, quas
ſymptomaticas vocant:quare nec ijs apparentibus multa ſpes nos tenere
debet.De ea vero euacuatione,quæ per medicamenta purgatoria fit, ſi-
militer nec plane conuenit inter medicos,quibuſdam parcentibus medi
camẽtis,quòd videant ijs aſſumptis ægros quaſi à ſummo ad imum con-
cidere,alijs vero vel crebro exhibentibus,& alijs placidiora quidem,aliis
acerbiora propinantibus:de quo rurſus penè idem dicendum , quod de
phlebotomia,nam & pharmaca introrſum trahunt contagem,&ſangui
nem maxime agitant,& permiſcent,propter quod multi viſi ſunt, quaſi
de omni virtute decidiſſe.Igitur,niſi magna appareat plenitudo,bonum
eſt pharmacis abſtinere,quòd ſi affuerit,apta autẽ,vt euacuari poſſit, ma-
xime circa initia,(multæ enim materiæ non ſunt crudæ etiam per initia)
tum ſolutiuis vti potes:placidiora vero ipſe amem magis, quàm acria : ꝙ
ſi non ſufficiant ea craſsiores humores educere, danda quidem & acria
ſuadeo,ſed quantitatis minoris:porrò nec diſpliceat euacuatio illa , quæ
per vrinam fit,& quæ per ſudorem:auxilia præterea illa,quæ ſupra dicta

ſunt

A ſunt valere ad materiam,quæ corrumpi incipit,prętermittenda nõ ſunt,
ac imprimis quæ exiccant,quorum quæ ſimul calida ſunt,tum exhibean
tur,quum craſsiores,& ſegniores humores ſunt,quæ vero frigida,vbi te
nuiores & acriores ſunt:tum nec diſpliceant,quę imputreſcibilia ipſa exi
ſtentia,intermiſta prohibent putrefactionem:quorum multa etiam ſpiri
tualem antipathiam habent, & partim repellunt, partim confortant,
vt odorata.

Materiam vero,quæ iam corrupta eſt,non intra debes relinquere,ſed
ſecernere, & extra pellere, quantum potes:facit id quidem ſæpe natura
modo per maculas quaſdã,modo per puſtulas,modo per abſceſſus alios,
vt plurimum autem per alui deiectionem: verum, quum ſegnis natura
eſt,tu eius officium aſſume,& euacua interdum clyſteribus,interdum le
nientibus,interdum purgatorijs pharmacis:verum caue,ne ſtimulũ mul
tum adhibeas,quoniam quæ corrupta ſunt, non poſcunt irritamentum
magnum,lubrica ipſa exiſtentia,atque etiam valde irritantia.Sũt qui per
Aloem aut diebus ſingulis ,aut alternis leuiter purgẽt,alii per alia: cuius
rei certa methodus eſſe non poteſt,ſed diſcreto medico opus eſt.

De curatione febrium,quæ Lenticulæ vocantur. *Cap. 6.*

B NVnc de particularibus magis agamus,ac primũ de curatione earũ
febrium pertractemus,quæ,ꝙ non vere peſtilentes ſunt,malignæ
tantum dicuntur,quales illæ fuere,quæ annis 1505, & 1528 tam Large
apparuere,quas alij Lenticulas, alij puncticula vel peticulas appellauere:
de quibus diligentiſsime agẽdum videtur,qm̃ ſæpe per epidemias reuer
tuntur,ſæpe ſine ijs enaſcuntur,ac nunc ẽt per Italiam viſuntur, certis au
tem regionibus maxime familiares.Referemus aũt in primis, quo pacto
medici eas curabant,quum primum in eas perinde,ac ignotas incidere:
inter quos tanta diſcordia orta fuit,vt penè ludibrio haberentur: nam vt
à victu ordiamur,alij liberaliter & large nutriri ægros iubebant, ꝙ dice-
rent virtutem plurimum diſſolui,ita præcipere Hippocratem,ita princi-
pem Auic.alij tenuiſsimum victum dabant,exiſtimantes ægritudinem à
plenitudine multa dependere:alij extremorũ dubii mediocritatem tene
bant,vti ſecurã magis:meracum non nulli propinabant, non nulli aquã
aut ſimplicem,aut vino granatorum permiſtã.Sed nec minus circa phle
botomias controuerſia oriebatur,alijs protinus,& large ſanguinẽ hauriẽ
tibus,aliis nunq̃ volẽtibus ſecare venã,ꝙ vidiſſent maiorem partẽ eorũ,
quibus ſecta fuiſſet,vitã finire,inter quos alij putãtes media quadã via in
cedere,hæmorrhoidas aperiebant.Porrò & circa euacuationes eadẽ diſ-
ſenſio agebatur,alij enim acribus medicamẽtis vtebantur,alij aut nullis,

aut leuioribus,nec deerant,qui dicerent eam febrem ſudoribus eſſe finiē C
dam:qua in re & Empirici quoq; & Chymiſtæ ſuas partes habuere, qui
ſublimatis quibuſdam liquoribus ad eam rem efficaciter vterentur,à qui
bus plurimi mortui ſunt,multi ad Orciportas deducti,quidam omnino
ſaluati:maior medicorũ pars more empiricorũ à venenis ſimilitudinē ac
cipientes,ijs vtebant̃,quæ ad venena ſolent apponi,quare & per bolũ ar-
menium,& terram lemniã,& eiuſmodi medicabantur:contra alij iſthęc
negabant eſſe adhibenda,ꝙ obſtruerēt venas,& foramina,ꝙ expulſiões
impedirent,ſed communibus digerentibus agebant:non nulli exiſtimã-
tes morbum in aduſtione conſiſtere ea dabant,quæ aduſtioni aduerſan-
tur:inter quas controuerſias magna mortalium pars,& nobilitas vrbium
perijt.Nos,quæ partim longa experientia,partim ratione comprobaui-
mus,in medium adducemus, ſi tanta in re præſtari mortalibus aliquod
beneficium poſsit:quod certe fiet,ſi,quæ circa contagiones contemplati
fuimus,non aſpernabuntur.In primis igitur ante oculos ea ſunt habēda,
quæ ſupra de analogia eius febris,& cauſis dicta ſunt:quoniam ergo eius
analogiam diximus nec ad ſpiritus per ſe eſſe,neq; ad acres humores,ſed
ad mediam quandam materiam,qualis eſt ſanguis,in qua diſſoluatur q
dem virtus,ſed non vehementer,& cito,incipientes quidem à victu me-
lius egiſſe illos exiſtimamus,qui mediocri victu vtebantur , ſic enim &
æger non grauabatur,& conſeruabatur virtus:quare & nos hac diæta æ D
gros ſemper nutriuimus,interdum quidem ſubtrahentes magis,interdũ
& apponentes:neque enim hæ febres ſemper in eodem ſunt, ſed aliæ ad
acutas magis accedũt,aliæ ad tardiores,prout & ſanguis modo bilioſior
eſt,modo pituitoſior. Potus autem,ſi fieri poteſt,non è vino detur , qm̃
euaporatio multa in his febribus accidit,& delirium facillime conſequi-
tur,quod peſsima res eſt,non ſolum ꝙ circa nobiliſsimum membrũ ver
ſetur malum,ſed ob id,ꝙ parêre nolint ægri:ſit ergo aqua vel ſimplex de
cocta,vel aceto miſta,qui potus ante alios mihi idoneus videtur:ꝙ ſi ſto-
machus forte non ferat,nihil prohibet cinnamomi paululum admiſceri:
ſunt,qui miſcent ſyrupum acetoſum,aliqui qui citri ſuccum:ſunt etiam,
qui magis ament aquas,quæ Sublimatæ vocãtur,vel Cichorij,vel Oxali
dis,vel Cicerbitæ,vel Boraginis, & id genus: ꝙ ſi vinum concedēdũ ſit,
eligatur,quod pauciferum vocatur,à Gręcis ὀλιγόφορος,ſapore acerbum.

Aer vero,ſi quid vitij continere videbitur tibi,aut permutetur,aut be
ne perfletur,aut per irrorationes & ſuffitus emendetur,tum reliquũ diæ
ticum regimen recte diſpenſetur,vt par eſt.

Quod vero ad medicinalia attinet, quærendum in primis de phlebo-
tomia videtur,vtrum conueniat in his febribus,an non,& quãdo,& qui
bus.

A bus è venis,quoniam certe res cecidit annis superioribus , vt maior pars
phlebotomatorum perierit:causam ego arbitror inde fuisse,ꝙ febres illæ
tum maxime ex aere contigêre(vt dictum est)quare , extrinsecus quum
venisset contagio,circa summa in corporibus præcipue vigebat, & in ve
nis remotioribus:facta igitur phlebotomia introrsum statim trahebatur
in spiritualia:adde & illud,ꝙ febribus his lenibus,& placidis apparenti-
bus non fiebat venæ sectio circa initia,sed tum maxime , quum semina-
ria iam dispersa erant,& radices vndiq; egerant:quare secta vena sanguis
plurimum quidem agitabatur,& cõmiscebatur,parum autem de semi-
narijs,&de corrupta materia secum educebatur:vnde in discrimen pone
batur magis æger,q̃ iuuaretur. Si igitur & nunc quoque,aut futuris tem
poribus extrinsecus videris accessisse contagionem,non affueris autẽ cir
ca principia,præsertim si nec adesse magnam plenitudinem animaduer-
teris , tum satius erit venæ parcere:at vero,si corruptio in aliquo primo
enata fuerit,si vocatus fueris ad principia ; tum secure venam incide , &
sanguinem multum extrahe,si reliqua cõsentiunt:ꝙ si post tertium diẽ ,
aut quartum:solũ accesseris,tum maturius consule.si tamẽ hominem san
guinis multi præcipue & fibrosi præ manibus tibi Fors dederit,etiã aude
sanguinem haurire,nisi natura tentauerit expulsionem aliquam:cæterũ;
quum valde sparsa contagio est,sectioni parce,sed cucurbitulas appone,
B nisi valde magna sit plenitudo,ea enim quum est,melius aut per pharma
ca tolletur , aut per apertionem hæmorrhoidum,aut incisionem saphe-
næ. De pharmacis vero purgatorijs eadem animaduersio habenda est,
nam & ipsa à circunferentia introrsum trahunt,& sanguinem valde ex-
agitant,& non multum de seminarijs educunt:si tamẽ plenitudo humo
rum visa fuerit,nisi ex ijs fuerint,qui contumaces sunt euacuationibus ,
si potes,à principijs euacua,alioqui aut nihil moue,aut solum, quantum
sufficiat educere,quæ iam corrupta est materia:sint autem solutiua aut
Aloe,aut Casia siliqua,aut Manna,aut Syrupus rosatus solutiuus:exper-
tum autem est pharmacum illud multum valere,quod per Agaricũ fit ,
& Syrupum rosatum solutiuum: vehementiora vero mihi non placeãt.

Quòd vero ad sudorem attinet , non paruo teneri errore illos existi-
mo,qui indiscrete volunt finire has febres per sudorem : nam , si obstru-
ctio forte adsit,si plenitudo,si cruditas,nõ solum nihil proderis per indu
centia sudorem,sed magnopere lædas:multum præterea refert , quibus
sudorem ꝓuoces,sublimatorum enim multa,præsertim,Chymistica,ca
lidissima sunt,et febrem ardentissimam reddunt,ac virtutes exoluunt :
tum autem non damnem inuitandum esse sudorem,quum maculæ ap-
parent quidem,sed ægre natura expellit,reliquis consentientibus: quare

nec male videntur facere,qui decocto Fœniculi,& Lacæ,& Caricarum C
vtuntur:vtilius autem fiet,ſi ea addantur, quæ ſimul & contagioni obſi
ſtunt,qualis eſt Scordium herba,& Trifolium odoratum,& quæ Luiula
vocatur,forte quæ & Oxys apud Plin.& vocata Gallica,& ſimilia : pla-
cent quoq;,&,quæ per vrinam multam materiã educunt,nam multas ex
his febribus vidimus per eiuſmodi criſim finitas. His ergo conſideratis
ſcito reliquam curationem in eo conſiſtere,quod putrefactioni,& conta
gioni omnibus ingenijs aduerſatur,tam per ea,quæ cõia & alijs febribus
remedia ſunt,q̃ per propria contagioſis:quoniam autem,quæ ꝓpria ſunt,
omnia quidem potentia ſunt ſicca,& ſiccorum alia calida,alia frigida,&
rurſus alia etiã ſtyptica,& craſſæ ſubſtantiæ,quærat fortaſſe aliquis, vtrũ
calida conueniant in his febribus,ſimiliter & vtrum ſtyptica , & q̃ ſunt
craſſæ ſubſtantiæ:qua de re Aloiſius Mondella,medicus Brixienſis,vir
doctus & diligens nõ nulla ad nos ſcripſit,ac præcipue ſuper Smaragdo,
quem aliqui medici veluti arcanum quoddã,& venerãdum antidotum
habent:bene igitur erit de hiſce dubijs(vt promiſimus) nõ nulla dicere ,
quod maxime ad hoc febris genus pertinere videtur.Primũ igitur, quan
tum ad calida attinet,quoniam multę harum febrium in ſanguine pitui
toſo conſiſtunt,& materia in eo genere craſsiori , ſi quis per calida in ijs
agat,nihil(vt opinor)nocebit,aut ſi frigidis calida tamẽ permiſceat, præ
ſertim aromatica,& quæ excellenter aduerſantur putrefactioni : ſi vero D
bilioſior fuerit ſanguis,conuenientiora erunt frigida , ſiue pulueres fue-
rint,ſiue decocta,ſiue alia:atq; in his ſi etiam ſtyptica adhibeas,nihil offi-
cies,niſi valde multa obſtructio fuerit viſa,quod rarius in eo ſanguine ac
cidit:quare nec dubita per hęc naturam,& macularum expulſionem im
pedire,ſi ſanguis ſubtilis ſit,nam potius ebullitionem temperabis (vt in
Variolis dictum eſt,)ab his vero magis cauendum tibi ſit,quum craſsior
eſt ſanguis,& obſtructionibus paratior.Cæterum illud notandum eſt,ꝙ
ſtypticorum quædam craſsiſsimæ ſubſtantiæ ſunt, & ſumme aſtringen-
tia,vt pontica,& auſtera vocata,quales immaturi Fructus, & Sorba , &
Corna:atque hæc quidem magis cauẽda ſunt:propter quod nec vinum
laudem,quod ex Oxyacantha fit,nec quod è Cornis:alia vero ſimplici-
ter acerba ſunt,qualis eſt aqua vino Granatorum admiſta,aut aceto, aut
Syrupo acetoſo,vel ſucco Citrij,& Aurantij mali,& Limonis , & ſimi-
lium:atque hæc ſecure cõcedi poſſunt,nihil enim quum nocere poſſunt,
tum vel maxime iuuabunt,ꝙ & ſicca potentia ſint,& frigida. Quantum
vero ad pulueres ſpectat,in vniuerſum dicatur,quòd eorum, quæ terun-
tur,alia propter duritiem,& ſiccitatem ſemper adeo ita cõſtant,vt, quan
quam multa opera ea teras,nunq̃ tamen apta ſint in farinam minui, hoc

A eſt in tam tenues partes, quin ſemper actu talia non percipiantur, qualia
ſunt Ferri, & Aeris ſegmenta, & Marmoris, & Vitri, & multorum lapi-
dum: alia vero ſunt, quæ quàm optime in farinam vertuntur, vt Margari
tæ, & Corallia, & Gemmarum multæ, ſimiliter & Sphragis, & Bolus ar
menius, & plures aliæ terræ: rurſus quædam tritorum cum liquidis nun-
quam ita miſceri poſſunt, vt in vnum coeant, quædam vero ita coeunt,
& coaleſcunt, vt actu eſſe per ſe nunq̃ ſenſu vllo diſcernantur. Qui igitur
pulueres in farinam teri non poſſunt, nec bene cum liquidis coaleſcere,
hi adhiberi in hac febre non debēt, quoniam aut in ſtomacho, aut in in-
teſtinis reſidebunt, aut, quo oportebat, non diſtribuentur: quare indige-
ſti nocebunt non parum: qui vero in farinam bene conteri poſſunt, & be
ne cum liquidis coaleſcere, hi non modo cauendi non ſunt, ſed maxime
affectandi, quoniam antipathiam tum materialem, tum ſpiritualem ad-
uerſus contagiones habent, tum vero & intermiſti humoribus alia etiam
num ratione prohibent putrefactionem illorum, propter ſubtilitatē au-
tem, & tenuitatem, ad quam redacti ſunt, neque obſtruere poſſunt, neq;
expulſionem vllam impedire: eiuſmodi autem ſunt & Sphragis lemnia,
& Bolus armenius, & Margaritæ, & Corallia, & Hyacinthi, & Sapphiri,
& Tormentilla, & Biſtorta vocata, & cornu Cerui, & Monocerotis, &
Scordium, & id genus multa. De Smaragdo autem ſpecialiter dicendo
B ego quidem ab antiquis nullam talem attributam illi prærogatiuam in-
uenio, qualem recentiores quidam medici attribuunt: quoniam autē de
rerum virtutibus loqui poſſumus aut per experientiam factam, aut per
rationem, ego quidem ſuper hac re experientiam ſufficientem fieri ſatis
difficile arbitror: nam & ſi aliqui aſſumpto Smaragdo ter & quater viſi
ſint euaſiſſe, infida tamen eſt, ad vniuerſale ſi illatio fiat, quoniam incer-
tum eſt, per accidens'ne contigerit, an per ſe, niſi ratio ad cōmunem na-
turam fiat: poteſt autem ratio certe fieri, ꝙ Smaragdus valere ad eiuſmo
di febres debeat, ꝙ frigidus ſit, & ſiccus, quemadmodum & de alijs di-
ctum eſt, habere autem prærogatiuam ſuper alia tanquam ſacrum quod-
dam antidotum ratio nulla afferri poteſt, quoniam, an agat & per ſpiri-
tualem antipathiam, nec ratione, nec experientia cognitum eſt: regium
tamen ſit medicamentum, ꝙ magno prætio venit. Quærat autem quis
& de Guaiaco ligno, et de radice Cinarum, de qua in Gallico morbo di-
cemus, vtrum conueniant in hac febre, quoniam vtrunque et exiccat val
de, et ſudorem mouet, et putrefactioni reſiſtit: ad quod dicimus nullam
nos habere de ijs circa has febres experientiam, verum, quantum per ra-
tionem poſſumus exiſtimare, credendum eſt vtrunque valere ea in re
plurimum, et Guaiacum quidem, quia ex ſubtiliſsimis partibus conſtat

calidis.

calidis ac ſiccis,propter quas et valde exiccat,& ſudorem ciet: eſt etiam C
& reſinoſa ea arbor,quare mire & ad contagiones valet: decoqui autem in aqua debet permiſto etiam aceto,ne febrem augeat, qua de cauſa con uenientior etiam erit,vbi pituitoſior ſit ſanguis. Radix vero Cinarum ſiccißima quidem eſt,reſinoſa autem non eſt,nec calida,quantum ſenſu percipi poteſt,quare & dubium eſt,quomodo ſudoris adeo prouocatiuã ſit:fortaſſe igitur eorum eſt,quæ potentia talia quidem ſunt,ſed remote, hoc eſt,quorum calidæ partes tarde actu fiunt,propter quod & ipſa ſudorem mouet,quum ſeparata miſtione actu tandem fiunt igneæ, et ſub tilißimæ partes,vel forte,et ſi particulæ,ex quibus conſtat, per ſe calidæ non ſunt, propter ſiccitatem tamen, et tenuitatem accenduntur calore noſtro,et ita ſudorem mouent:& ipſa igitur conuenire his febribus poteſt,quoniam et valde exiccet,et ſudorẽ faciat,et foramina cutis aperiat.

Ex Syrupis autem valent Acetoſus,& Oximel,& de Fumoterræ, de Epithymo,de Citro,de Acetoſa,de Lupulis,de Cichorea, de Pimpinella,quæ ad Oenantes genus referri poteſt,&appellari Oenantilla,tum & qui de Bizantijs dicitur,& de Eupatorio,de Thymo,& eiuſmodi: aquæ vero ſunt Boraginis,Meliſſæ,Cichorij,Cicerbitæ,Scabioſæ, Cardi bene dicti,Calendulæ,Luiulæ,Trifolij,Gallicæ acetoſæ ca.v.Lupulorum,Eu patorij,Chamædryos,Pentaphylli,Lapathi,Maioranæ,Calamẽthi,Pulegij.Decoctio optima,quæ habet Agrimoniæ,Cichoreæ,Cicerbitæ, cap. D
v.recentium Trichomanis,Scordij,Dictamni cretici.añ.M.i. Tormentillæ,Biſtortæ,añ.vnc.5.ligni Aloes,Caſiæ ligneæ,Squinanti,Calami, Gummi añ.drach.ij.radicum Cãnarum drach.iij.infundantur omnia per diẽ in aquæ puræ lib.x.mox fiat decoctio ad ſufficientiã, cuius decocti colati vnc.v.cum ſyrupo de citro vnc.j.exhibe in aurora.Puluis optimus, terræ Lemniæ,Boli armenij,Tormentillæ,Scordij,cornu Monocerotis, vel Cerui añ. de quo drach.i.accipiat cum aquæ roſaceæ vnc.ij.aceti vnc.i. Expertum quoque eſt,ſucci Luiulæ vnc.iij.aliud vilius quidem,ſed non minus valens, Tormentillæ Biſtortæ. añ. drach.5.detur cum aqua Cardi benedicti.

Interea vide, ſi quid natura mouet,& per quam viam: ſi quidẽ enim erit ſanguis,qui erumpat è naribus,ſiue multus,ſiue paucus,neque iuuato,neque retineto,niſi virtus cadat:ſi vero multa,& corrupta per aluum materia exiuerit,neque hanc comprimito,niſi virtus collabens poſcat: at vero,ſi lenticulæ expellantur,eas quidem iuuare oportet, ſi natura pigra eſt,ijs,quæ ad cutim mouent,et contagioni ſimul contraria ſunt, quale eſt Dictãnum,et Coſtum,et radix Perſonacię, et Cãnarum radix,& eiuſ modi. Solent & accidentia quædam concomitari has febres, inter quæ eſt

A est delirium, quod, tametsi rarissime phrenesim sequitur, diuertendum est tamen propter dictam causam. Atq; hæc quidem satis iam sint de punctic ularibus febribus: nunc ad vere pestilentes pertranseamus.

De curatione vere pestilentum febrium. Cap. 7.

LOnge maior solicitudo, & cura esse debet, tum publica, tum priuata circa eas febres, quæ proprie pestilentes dicuntur, si medici & alij ad eas secure adire auderent: qua de causa multi ægrorum miserabiliter pereunt ab omnibus destituti. Quoniam igitur contagio hæc sæpe ab aere originem trahit, sæpe ab vno ad alium transit, sæpe concipitur fomite, non nunquam & in nobis primo oritur, in primis non prætermittenda videtur ea curatio, quæ præseruat: procurandum enim in primis est ab ea non capi, quando, vbi quis captus est, vt plurimum etiam perit. Ergo si aeris vitio pestilentia contigerit, quod raro quidem fit, tum nullum est salutarius remedium, quàm (vt in prouerbio est) fuga, & inquisitio salubrioris aeris: quod si fieri non potest, neque enim semper & vrbes, & suppellectiles, & domus, & chari relinqui possunt, at saltem aerem tempera per ea, quæ dicta sunt.

Proderit & latos stipularum incendere campos:
Et nemora intacta, & sanctos exurere lucos.

B Illud quoque peruide, num ex alia regione deferatur ad tuam contagio: cui contra fenestras occlude, & partes domus auersas habitato: tum fomes omnis tibi cauendus erit, ligna, vestes, & omnia, quæ pestilentes tractauere: qua de causa sapientissime agunt illæ Respub. quæ cõsuetudine, & legibus prouident, vt suppellex omnis domus affectæ comburatur, hęredibus è publico satisfiat. Vidimus anno 1511, quum per Germanos Verona teneretur, exorta peste, qua hominum ferè x millia periere, ex vna ueste pellicea non pauciores, q̃ quinque & viginti Teutones obijsse: vno defuncto alius induebat eam vestem, & hoc alius, & alius, donec monefacti è tot defunctis vestem combussere. Nec minus cauendum est ab aere, in quo æger degit: quare adaperta sint ostia, & fenestræ, præcipue quę in Boream spectant. Circa ægrum sint flores, & fructus odorati, & frigidi, Rosa, Ligustrum, Nymphea, Viola, Citria, Limones, poma Apia, Volema, Cydonia, Persica: fiant & suffitus ex aqua Rosata, Camphora, & caryophyllis. Melius autem est, si potes, ægrum nullum visere, conuentus hominum fugere, domi manere, quæ munda sit, quæ probe perfletur: tũ non incalescas multum, ne cutis foramina ad hauriendam cõtagem aperias: quo vero, & qui inspiratur aer, syncerior ingrediatur, tu quidem semper ore versato aut iuniperi grana, aut Gentianæ radicem, vel Galãgæ,

vel Casiam ligneam, vel Macerem, aut semen Citri: nares quoq; tangito C spongiola, aceto, & aqua rosata infusa. Indumenta mūdissima vestito, & non è lana, si potes, sed è serico, quæ etiam sæpius mutato: nec laudē, qui inedia quęrunt siccum corpus facere, quoniam venas inaniunt, & auidas attrahendi reddunt: neq; tamen crapulam volo, sed victum, qui parcus sit, non alienus à consueto, omnes enim mutationes insolitæ cum in omnibus, tum maxime in hoc morbo damnari ab Hippocrate consueuere. Nec displicet, vt aut Theriaca, aut Mitridato, aut terra Lēnia, vel Bolo armenio cum aceto vtaris. Vtile quoq; est, & iam expertū Diascordion antidotum, quod cōposuimus non solum conseruationis, sed & curationis gratia. Laudo etiam, vt pilulæ illæ, quæ cōes vocantur, duæ aut tres ante cenam singulis tribus diebus capiantur: per hęc igitur procurandum est, ne æger fias. Quòd si quis iam factus est æger, & cōtagem concepit, hoc pacto regendus erit: in primis, si febris ex ijs est, quæ paucis horis perdere hominem solent, qualis & ea est, quæ in Britannia sudor appellatur, nullus victus exhibeatur: medicamentum autem vllum vtrum sit afferēdū, habet dubitationem, & an in Britannia recte faciant nullum aliud auxilium adhibendo, nisi situm, & decubitum, per quem sudent: verum meo quidem iudicio, & in Britannia, & alijs locis, vbi q̃ acutissime pestis concepta fuerit, bene agetur, si statim ad ea recurratur, quæ per vtranque antipathiam diximus obsistere cōtagionibus feris, quale est Sphragidis drac. D j. cornu Monocerotis scrup. j. aceti vnc. ʒ. aquæ rosatæ vnc. j. Porrò in Britannia, si sudor forte detineatur, aut quia æger non assuetus sit sudare, vt pote densæ carnis, aut alia de causa impeditus, mihi non displiceat illa adhibere, quæ diximus sudorem mouere consueuisse, & simul obsistere cōtagioni. In alijs vero febribus, quæ eam acuitatem non habent, acutæ tamen respectu earum, quæ malignæ tantum dicuntur, hæc adhibeatur curatio: victus in primis sit liberalior, q̃ in puncticulis vocatis, quo virtus custodiatur, quę in vere pestilentibus vehementer dissoluitur, q, earum analogia vel ad spiritus est, vel ad acutiores humores, & putrefactio cita, & amplior: vinum tamen non propinetur, tametsi aliqui sunt, qui præbent, etiam meracissimū, non recte autem, quoniam febrem in furorem vertunt, quum præsertim per alia refici virtus sine eo periculo possit: bibant ergo vel Oxycratum, vel aquam cum vino granatorum, aut cū succo Limonum permistam: carnes, si assæ sint, & aqua rosata sæpius inter coquēdum irroratæ, placeant mihi magis, nec non, quæ à mulieribus gelatinæ vocātur: fercula vero sint è Lactucis, & Endiuia, & Boragine, & Cerasis acerbis, & Oriza, & Panico cum pauco aceto, aut omphacio: nec acetaria denegentur è Cichorio, Cicerbita, Oxalide, Boragine, Melissophyl

lo,

A lo,Condrilla ea,quam Crencanum rustici appellant, nec non è floribus
Citri,& Buglossæ,& Boraginis,& eiusmodi.Phlebotomia mihi nulla sit
in his febribus,quoniam rarisime in nobis primo fiunt, sed extrinsecus
veniunt,aut è fomite,aut etiam ex aere,aut ex vno in alium,verum, quo
cunq; modo accidat,sectio venę parum prodesse potest,ꝙ seminaria non
possunt educi,multum autem obesse,ꝙ & contagio introrsum trahatur,
& sanguis non mediocriter agitetur: propter quod non in Lenticulis
solum sed & in uere pestilentibus febribus experientia constat maximã
partem eorum,quibus secta fuit vena,perijsse:satius ergo erit & in his ꝑ
cucurbitulas sanguinem imminuere.De pharmacis quoq;,quæ solutiua
dicuntur,eadem dicenda sunt,quæ supra diximus in Lenticulis: nam &
in his febribus controuersia est inter medicos,alijs per acerrima iubenti
bus esse euacundum,aliis per placidisima,quod & nos ex nostris princi-
pijs rectius factum arbitramur,tum ꝙ materia pauco indiget stimulo, vt
pote plus nimio corrupta,tum ꝙ per acria agitatio multa in humoribus
fiat,& euacuatio pauca seminariorum: quare ad materiam, quæ in dies
corrumpitur,& euacuatione indiget,si vel per clysteres,vel per leue ali
quod pharmacũ corpus expurges,sat esse poterit tibi, quales sunt vel Cõ-
munes vocatæ pilulæ,vel Casia siliqua,vel etiam Rhabarbarum, vel Sy-
rupus rosatus solutiuus,quem ego in hac labe omnibus alijs præfero: qui
B bus pro ætate,& tempore,& morbo,& alijs vti poteris vel quotidie, vel
tertia,aut quarta quaq; die,vt expedientius tibi videbitur. His ergo rite
perspectis extinctioni contagionis intende studium omne,& curam om
nem conuerte:quare nec cõia digerentia curato, sed syrupos (vt medici
vocant)longos conficito,ægrum coge,vt inde die noctuq; bibat: non so
lum autem,quæ in lenticulis dicta sunt,remedia hic etiam adhiberi pos-
sunt,sed & si aliqua valentiora sunt,eligẽda erunt tibi,ea præsertim, quę
omni antipathia iuuant.Aquæ igitur sint Oxalidis, Luiulæ, Cicerbitæ,
Cichorij,Nympheæ,herbę Gallicę,Trifolij odorati,Lichenis,quibus sy
rupi sui addantur. Valentisimũ est &hoc,quod habet succi Limonis lib.
ij.Aceti vnc.iiij.Boli armenij vnc.i.quæ simul commista per diem mace
rari sines,mox per elambicum in aquã vertes,cuius vnc.iij exhibere po-
teris vel solas,vel cum syrupo aliquo:ꝙ si ardentem febrem videris, æta-
tem autem iuuenilem,& robustam,consuetam potui aquæ, cæteris con-
sentientibus non displiceat mihi aquæ frigidæ potus cum syrupo aceto-
so,vel succo Citri.Pulueres porrò ne eos prætermittas, qui maxime per
spiritualem antipathiam valent,quiq; imputrescibiles ipsi existentes pro
hibent putrefactionẽ in vicinos humores ferri. Quòd si aut Carbũculus
aliquam in partem irruperit, aut Bubo circa pubem,aut post aures Paro-

tis insederit, primum quidem caue, ne aliquod horum represseris, sed po C
tius euoca, quãtum potes: si ergo Carbunculus fuerit, qui in orbem vrat, & corrumpat membrum, tum protinus nulla interposita mora, aut candenti ferro totum inure, & seminaria interfice, aut caustico aliquo age, quale vel Aegyptiacum vnguentum, vel fermentum cum succo Scyllæ, & Sublimato vocato, quod expeditissimum est: mox, vbi crusta ceciderit, butyro super imposito vlcus mundifica, sed diu adapertum tene: si vero Bubo pestifer fuerit, sed immaturus, scarifica tamen, & cucurbitula aliqua magna sanguinem infectum extrahe, mox matura, sed permiscẽdo, quæ euocant, & frangunt seminaria: conueniet farina seminis Lini, & Fœnogręci, & Althea, & Narcissi, aut Lilij radix, & Galbanũ, & Opoponacum, et Nitrum, & Sulfur, et Cedria, & Styrax liquida, è quibus emplastrum fiat: ad idem valet et Diachylon, et Diachalciteos, aut et Bubonium contusum, vel solum, vel decoctum cum Cępe adiũcto Galbano, Styrace liquida, et axungia: est autem (vt arbitror) Bubonium, quod Gręci ἀστέρα vocant, VIRGILIVS Amellum appellauit: copiosissimus autem est in agro nostro in vicinis Benaco collibus: surculi multi ab vna radice quasi sylua quædam tolluntur, quos vestiunt folia subaspera, angusta, digito longa, virentia: flores circa summa multi, aspectu pulchri spectantur, medio lutei, ceu chamæmeli, circum vero purpurei, in orbẽ stellæ modo dispositis folijs: herba tota mire ad Bubones valet, vnde et Bu- D
bonium appellatum fuit. Vbi igitur abscessus aliquantisper maturuerit, tum ne expectato exactam maturationem, sed aperi aut ferro ignito, aut caustico aliquo, mox absterge, verum non leuibus, et communibus abstersiuis, sed ijs, in quibus est exiccatio maior, qualis est Iris, et Aristolochia, & Peucedanum, et Helleborus, et Terebinthina, & farina Lupinorum, et id genus: ad Parotidas autem eisdem ferè & concoquentibus, & euocantibus est vtendum. Si igitur per hæc fracta aliquantulum ægritudo videbitur spem aliquam polliceri, per eadem remedia repetita curationem absolue, sin autem contumax adhuc, & nihil parens remedijs apparebit, ego (quod in medium afferam) non aliud maius remedium excogitare scio, quàm hoc, quod habet, succi Luiulæ vnc. ij. succi Citri vnc. j. Diascordij nostri. drach. j. specierum cordialium è gemmis scru. ij. aceti vnc. j. omnia bene misceto, & totum haurito, quod si nihil iuuabit, scito morbum esse maiorem, q̃ humana remedia. Sũt, qui in Smaragdo maxime confidant, qui in Bolo armenio, qui in Scordio, qui in Dictamno nostra. Habet autem Diascordion nostrum, Cinnamomi, Casiæ ligneæ añ. vnc. 5. Scordii vnc. j. Dictamni cretici, Tormentillę, Bistortę añ. vnc. 5. Galbani, Gummi añ. vnc. 5. Opij drach. j. 5. Styracis drach. iiij. 5. Acetosę drach.

A drach.i.s.Gentianæ vnc.s.Boli armenij vnc.i.s.Terræ sigillatæ.vnc.s.Piperis longi,Zinziberis añ.drach.ii.Mellis albi despumati libr.ii.s.Vini aromatici lib.s.Zucchari rosati lib.i.m̃.

De curatione Phthisis,quatenus contagiosa est. *Cap. 8.*

NVunc de Phthisi prosequamur,non quatenus aut à catarrhis, aut ab alijs dependet causis,sed quatenus è contagione concepta est, et ab ea per se pendet,multum enim interest,vtro modo sit facta:nã quæ in contagione per se consistit,eo,qui accipit,nihil male prius affecto,sed sano concipi potest:quare et catarrhus,et alia,si superueniant,accidentia quodammodo sunt,et per se curationem primariam nõ poscunt:ad quæ si communia remedia adhibeas,caput uras,sinapismis exicces, sputum facile reddas,frustra omnia tentabis,nisi contagem, quatenus contagio est,interimere studeas.Ergo in ea phthisi, quæ vel à conuersatione cum phthisico,vel à fomite aliquo contracta est, et illa in primis cõsideranda sunt,quę in vniuersum diximus esse in contagionibus animaduertenda, seminaria scilicet,materiam,quæ in corruptionem tendit, et eam, quæ iam corrupta est.Si igitur circa initia curationem aggrediaris, tum ad sola seminaria attende,quæ si extingui quidem possent per vrẽtia,nihil pręsentaneum magis afferri remedium posset,verum quum hoc locum nõ
B habeat sine maiori periculo,potes tamen per aliqua, quæ proxima sint vrentibus,curationem moliri:quod video et antiquorum non nullos ausos fuisse,iubentes Sandaracæ nidorem per anhelitum in pulmones trahi:quum autem Sandaracam dico,non eã intelligi volo, quę Vernix vulgo vocatur,sed quæ Auripigmentũ à nobis dicitur:porrò nec per Auripigmentum velim à te accipi priorẽ illam speciem,quæ citrina est, sed alterã, quæ est ruffa,& propriæ Sãdaraca vocatur.huius ergo suffitu si vtaris,non parum proderis tantę contagi:proderit autem et Ari,vel alterius Dracunculi radix in eclegmate,vel decocto aliquo oblata:similiter & Iris,et Scordium,& Dictãnum creticum iuuabunt, et Diascordion, et Theriaca,et similia.Quòd si morbus vltra principia iam progressus vel catarrhũ mouerit,vel aliter in loco materiam collegerit,tum simul & ad seminaria,et ad materiã potes animaduertere, ac catarrhum quidem iis omnibus ingenijs regere,quæ medici docent,diuertendo,sistendo,exiccando,euacuando:collecta vero materia si crassa,si viscosa est, digeri, et præparari debet,vt per conuenientes regiones expelli posit:sed id semper ante oculos habe,vt contagionem,et putrefactionem prohibeas, et seminariis obsistas:quare hoc in casu resinæ maxime mihi placent, quæ omnes intentiones cõplectuntur,ante alias Terebinthina, mox Laricina,

na,& Abietina,tum vero & Myrrha,& Styrax,& reliqua : possunt autē C
vel per se administrari,vel admista alicui ex prædictis pulueribus, qualis est Bolus armenius,& Sphragis,& Scordium:euitentur autem aspera,& styptica,quæ spuitionem impediunt:propter quod nec malum erit semper admiscere aliquod lenientium,vt mel, vel saccharū . Decocta quoq; valde mihi laudentur,quoniam maxime penetrant:optimum ergo erit Scordium,& Aristolochia,& Dictamnum,& Pulegium,& Gūmi, quæ cum saccharo ebulliāt in aqua pura cum pauco aceto:de quo decocto sat erunt vnc.v.sunt,qui radice Cinarum vtantur ad omnem phthisim, ꝙ valde exiccet,& per sudorem euocet,quod & nobis admodum placet: si vero materia acrimoniꝯ cuiusdam particeps sit,ea debes afferre,que exiccent quidem,sed minus calefaciāt:optimum,et suaue est Sacchari rosati vnc.ij.Boli armenij drac.i,Syrupi de pomis q.s.misce,& vtere omni hora:ꝙ si materia iam corrupta apparebit,quod è sputo cognosces, si flauescit,aut liuet,et fœtet,expediens tunc erit euacuare,non solum per sputi vias,sed & per solutiua pharmaca,quæ pro re eligantur:si uero labes iam & in pulmonem transit,qui aut vlcus contraxerit,aut eò peruenerit, vt iam flaccescat,tum scito ægrū esse in magno discrimine, quod vbi apud domesticos præfatus fueris, hæc postremo remedia potes experiri.Primū est decoctum hoc,quod habet Xiridis cap.v.Tussilaginis,Dracunculi radicum,incisorū omnium manipulum.i.lapidis Hæmatitæ, Sphragidos, D
Boli armenij ań.vnc.5. Symphiti , Altheæ , singulorum vnc.i.Aluminis drach.ij.ligni Guaiaci lib.5.infundantur per diem omnia in libris viij.aquæ puræ,& fiat decoctum tertia parte consumpta,de quo vnc.v. sumātur in aurora cum iuleb violato.Aliud est antiquorum remedium,quod Plinius dicit valere phthisicis deploratis:foliorum et radicum Consiligi nis,quantum sat est,fiat decoctio,& decocto vtere bis vel ter in die vnc. j:5.est autem Consiligo,quantum conijci potest,eadem,quam idem Plinius alio nomine herbam ignorans,Enneaphyllon appellat, herbarij nostri Caprariam,quidam & Pulmonariam,non eam quidem,quæ è genere Buglosi est,sed aliam Pulmonariam,ita vocatam , ꝙ pulmonum vitijs valet,præsertim suum & caprarum,quare nec ab re ab herbarijs Capraria vocatur.Enneaphyllon autem etiam vocata fuit, ꝙ folia nouem habeat,diuisa Hellebori modo,alia longiora,alia breuiora, quales digiti sunt in manibus,sunt autem oblonga,per ambitum serrata, angustiora, quàm Hellebori,atre uirentia cum leuore,flores, quales Hellebori , è folijs albicantibus quatuor constantes,ac veluti calathum cōflantes, in quibus semina quatuor iuxta posita,quasi racemus,suspensa sunt: quare genus quoddam Hellebori videri potest:hanc & Ruellius significare vide

tur,

A tur,quum describere vult Pulmonariam à veterinariis vocatam: est autē vrentis uirtutis,qua coniectura,quum & folia nouem sortita sit,eandem esse putamus,quæ à Plinio Enneaphyllon dicitur. Tertium remedium habet Axungiæ vnc.iiii.Butyri vnc.ii.Terebinthinæ vnc.i.Styracis liquidæ vnc.5.Iridis,Thuris,Aristolochiæ,Enulæ, singulorum drach.ii.Argenti viui vnc.i.fiat vngnentum, è quo brachia interna tota,et dorsum inunge:seminaria contagionis absumet,et materiam corruptam per sputum multam educet,verum caue ne hectica febris adsit. Hæc ergo ea sunt, quæ mihi notanda uisa sunt in phthisi per contagionem accepta, quæ curatio etiam ad omnem Phthisim accommoda esse poterit, quæ ad id iam venerit,vt contagionem inferre apta sit,quocunque modo cōtigerit ab initiis.

De curatione Rabidorum. *Cap. 9.*

MOrbi quidam sunt,quibus nisi ilico (vbi apparuere) succursum fuerit,sera pręterea sit medela omnis,quales Carbūculi,quos Anthracas Gręci uocant,et Cancrenæ,et præcipue Rabies,de qua nunc agitur: qua de causa omnibus vulgo esse notos hos morbos oporteret, et nota quoque remedia ea, quæ statim sunt adhibenda: quod in Rabie Sacerdotes melius instituêre, quàm medici, ad quos statim deducuntur,
B qui demorsi sunt, quos curant tum religione,tum medicorum officio, et instrumentis utentes,urunt enim et ipsi locum.Ergo circa Rabiem illud primo publicum sit ilico, si fieri potest, locum demorsum urēdum esse: rectius autem fiet,si prius scarificato uulnere superponatur cucurbitula magna, quo extrahatur virus, mox uratur ita profunde,ut putare posis ustionem ad seminaria ipsa peruenisse, illa animaduersione habita, quòd liberius fieri potest, ubi caro multa est, parcius, ubi nerui multi, et uenæ:ferro id candenti, aut argento, aut auro fiat: quòd si cui nimis impium uideatur, potes urentibus medicamentis conficere: vbi locum inusseris, curato, vti decidat crustra per Brassicæ folium butyro illitum: interea tamen superpone unguenta, quæ simul euocent, et exiccent,si quid forte seminariorum circa locum relictum fuerit: hęc circa initia factitanda sunt. Verum illud non ignorandum est principia cius morbi valde ambigua esse, & latentia:in quibusdam enim vsq; ad dies duos protenditur principium,in alijs quoque ad quatuor, in nonnullis et amplius, prout et morbus in aliis magis, in aliis minus acutus est: quare expedit morbum nosse,ne te principium fallat, et quantum protenditur, in ipso enim si debita adhibeantur remedia, totus interficietur morbus:si vero iam principium præteriisse putes, et contagem iam

altius

altius radices egisse, vrendus quidem non est locus, quoniam agitabitur C venenum magis introrsum:consulo tamen, vt scarifices, et supra ponas emplastra,quæ euocent,et exiccent,quin et vesicas etiam inducant,quale est,quod habet Galbani,Serapini,Opoponacis,singulorum vnc.ʒ. Euphorbii drac.i.Iridis,Xiridis,Aristolochiæ,Gentianæ, singulorũ drach. i.Nitri,Sulfuris,singulorum scrup.ii.Ceræ quod sufficit. Quoniam autẽ seminaria omnia contagionum materiam sibi analogam inficiũt,et corrumpunt,existimandum est per processus morbi,partem materiæ parari ad corruptionem,partem corruptam esse:quare et per ea, quæ prohibẽt putrefactionem,procedere necesse est,et per ea,quæ euacuant:quæ vero omnium conuenientissima sunt ad euacuandum,sunt Hieræ, tum Archigenis,tum quæ Diacolocynthidos vocatur,atq; itẽ Helleborus, quo præstantius nihil est in hac labe,si in sero lactis exhibeatur: valet et Epithymum,et in vniuersum,quæ melancholicum humorem purgant.Cõtagem autem prohibent,quæ probe exiccant,inter quæ antipathia quadam peculiari laudãt omnes cinerem fluuialium Cãcrorum vstorũ:laudant pariter et Gentianæ radicem,siue per se sumatur,siue cum prędicto puluere in vino albo:quidam et Thus admiscent:quo medicamento vtẽdum est omni tempore morbi:cõmendant et Alyssum herbã,quę nomẽ etiam sortita est,ꝙ sine rabie hominem faciat,Arabes Alguascen appellant:in qua non parua ambiguitas est inter medicos,primum quidẽ vtrũ D eadem sit Dioscoridi et Plinio Alyssum,deinde et quæ nã apud illos sit: Plinius siquidem folia Alysso dicit in orbem esse circa caulem, qualia in Rubia cernuntur,Dioscorides autem dicit rotunda esse. Aliqui Plin. Alyssum esse putant Rubiæ genus syluestre,quod medium est inter satiuã Rubiam,et Aparinen,quod certe nec folia rotunda habet,nec traditis à Dioscoride conuenit,qui de Rubia agens utrunque genus prosequitur, mox de Alysso seorsum tractat:propter quod alii eam pro Alysso ostendunt,quę Lilialis ab Herbariis vocatur,non quæ apud Ruellium est Lilialis,sed aliã,cui flos est albus:verum et huic folia rotunda non sunt,sed oblonga in acutum desinentia:sunt,qui putent esse eã,quæ Asperula uocatur,minor paulo,ꝗ̃ Aparine,foliis in orbem positis rotundioribus. Porrò difficultatem etiãnum auxere Paulus,et Aetius,qui de Alysso agẽtes concordes uolunt Alyssum esse Syderitem Heracleã.Galenus quoq; libro.ii. de Antidotis eam describens,non aliam significare videtur, ꝗ̃ Syderitem illam, quæ Heraclea vocatur à nobis, vulgo Sclarea, in quã non parum fallitur iudicio nostro Ruellius,putans Sclareã nostram non esse Syderitem heracleam,sed Horminũ:de quo plura in aliis diximus: quare nomen Alysi apud posteriores Græcos aliter videtur acceptum,

quàm

A quàm apud Dioscoridem, qui de Heraclea seorsum, & de Alysso pertractat: porrò nec folia rotunda Syderitis habet, nec semen in latitudinem se pandens, sed rotundum: nisi quis dicat Dioscoridem voluisse quãdam Heracleæ speciem significare, plures enim sunt eius Syderitis species, vna hortensis odorata, quæ herba Sancti Ioannis apud nos dicitur, maior reliquis caule, & folijs: alia est pratensis, quæ proprie Sclarea dicitur, folijs asperis, oblongis ad Saluiam accedentibus, caule quadrãgulo, verticillis in orbem per interualla circa caulem dispositis, in quibus flores purpurei sunt, subcœrulizantes, falcati ad aquilini rostri effigiem, quales & in satiua spectantur: alia est nemoralis, floribus exalbidis, subpallentibus, cæterum verticillis, & folijs prædictis similis: est postremo & montana Syderitis, in totum pratensi similis, nisi quòd folia rotunda gerit, & verticilla minora, in quibus flore abiecto semina sunt in inuolucro bina ceu scutula: mulieres hanc & in hortis serunt, ac Betonicam falso nomine appellant: hanc ergo fortasse opinandum est Dioscoridi primum, mox Galeno & aliis fuisse Alysson, quæ et Syderitis quædam est, non ea tamẽ, quæ simpliciter Heraclea intelligitur à Dioscoride, quã Pratensem diximus: quicquid igitur de Alysso sit, non errabunt iudicio nostro, & qui minorem Rubiam vel contusam, vel ex aceto potam exhibebunt in Rabie, qñ & contra serpentes valet: nec illi pariter, qui Syderitem, quoniam & illa
B mire desiccat. Laudat Aetius expertum senis cuiusdam Oxylapathum, quo tam introrsum, quàm extrorsum vtebatur: non est autem Oxylapathum, quæ acetosa vocatur (oxalis enim ea est) sed illud, quod & folia, & semen acuta inter Lapatha habet.

De curatione Syphilidis, seu Gallici morbi. Cap. 10.

NVnc ad eas contagiones transeamus, quæ extima magis occupãt, incipientes à Syphilide morbo nouo: in cuius curatione nec plane medici consensere, præsertim quum primum in lucem venisset: nam, sicuti in illius cognitione confusi plurimum extitere, ac discordes, ita & in curatione non eadem arbitrati sunt: qui enim adustionem putabant illius causam, per ea etiam medicabantur, quæ aduersantur adustioni, non solum nihil iuuantes, sed mirum in modum malum augẽtes: qui vero existimabant esse idem cum Elephantia, per vinum viperatũ & viperæ carnes curandum præcipiebant: alii quietem iniungebant: alii & balnea frustra experti sunt: alii doloribus solis intenti reliquam curationem negligebant, donec Empirici à similitudine quadam eius morbi cum scabie fera permoti, ausi sunt primi per caustica morbum curare: multi mox lar-

gius de tota curatione ſcripſere,inter quos & nos carminibus non nulla primum luſimus,quum iuniores eſſemus,ac ciuitate peſtilentia graui vexata rus ſeceſsiſſemus,vbi ad eam rem ocij multum nobis dabatur. C

Quoniam vero Poetica,vt ſupra diximus,nec omnia admittit, nec ꝑſequitur,neceſſariumq; nobis fuit plura tum relinqui,nunc quidẽ, ſi rurſus ea curatio pertractetur,& non poetice,ſed medice, magis operæprecium fiet,præſertim ꝙ nec ea de re recte agi poſſe videtur, niſi contagionum natura bene perſpecta fuerit.

Qui igitur recte curare hunc morbum volet,ad hæc in primis aduertat,neceſſe eſt:primum quidem,vtrum recens ſit ægritudo,an inueterata,& quouſque proceſsit,& ad quæ membra,ſi neruoſa iam occupauit,ſi oſſa corrupit:tum & ſi benignior eſt,an fera,& ſi multæ materiæ eſt, an paucæ,& an tenacis,an tractabilis magis:tota'ne extrorſum ſit, an & introrſum,& ſi vlcera multa ſunt,& an plus dolorum,quàm puſtularum, vel contra,ſimiliter & gummoſitatum,&,vt vno verbo dicam, omnes differentiæ eius morbi ante oculos habendæ ſunt,maxime autem analogia:nam,tam & ſi ad phlegma craſſum,& ſordidum per ſe ſit, non vna tamen eſt phlegmatis eius ratio,vt dictum eſt: præterea et alia vniuerſalia conſiderãda ſunt,ætates,ſexus,anni tempora,complexiones, & id genus, neque enim omnibus omnia conueniunt. His ergo bene perſpectis ſcito eam labem, quum iam oſsibus inſedit, extra ſpem eſſe, niſi forte ea oſſa vri poſsint:quare aut eam curationem reijce,aut malum reditum prænuntia:ea etiamnum difficilior eſt,quæ eſt inueterata, & quæ à multa,& tenaci materia pendet,quæq; multas gũmoſitates habet,& melancholicum hominem tenet.Quare difficilioribus difficiliora etiam remedia ſunt adhibenda:particulatim autem proſequendo, aer primo ne impurus ſit, non auſtrinus,verumtamen ne,vt auſtrinum fugias, valde borealem & frigidum eligito. Ocia porrò omnia,omnis ignauia, & deſidia tibi fugienda eſt,tibi omni ſtudio,omni conatu exercendum, laborãdum,ſudandum:hoc dico,hoc hortor,hoc iubeo:curre,ſalta,venare, pilam,luctam,gladiatoriam exerce:per hæc materiam ſegnem liquefacies, attenuabis,& expelles,ac cum ea & ſeminaria contagionis:ſed ita hæc facito,ne,quum remittes,protinus frigeas,& ocium ducas,ſed paulatim à fatigatione ad quietem te transferto, pannisq; obſepito, calido in loco morator,quin & in ipſo exercitio(ſi fieri poteſt)locum frigidum non deſidero. Ad hæc conſuetæ corporis expurgationes procurandæ, quæ per nares,quæ per cutim,quæ per palatũ,quæ per aluum,& ſi quæ aliæ ſunt, vt hæmorrhoides,& menſes,& reliquæ:nihil vero ſuperfluum exeat,preſertim eorum,quæ per Venerem diſſoluuntur:vigiliæ vti nimiæ eſſe nolunt, D

A lunt,ita nec nimius sit somnus,non interdiu factus,non statim à cibo: curæ nullæ,nullæ sollicitudines adsint,nulla studia animum occupent, nulla demum asidua mentis intentio. Cibaria vero magna cura paranda sunt,atque eligenda,atq; in primis neque tenuem diætam,neque crapulam volo:in vniuersum autem vitanda sunt putrescibilia,dura concoctu, quæ viscosa,quæ mali alimenti sunt,tum quæ exurunt, quod in sanguine dulce est:quare & lac,& oua,& fructus,& leguminum omne genus, & pastaica omnia,& Suillæ,& Taurinæ carnes,& Pisces,& id genus omnia fugienda: Piscium tamen(quoniam sæpe ijs vti necesse est)minus mali erunt Gobij,Menæ,Passeres,Scari,Percæ,Merulæ,Turdi,Aselli,Auratæ,Phycides,& è fluuijs,& lacubus vocati Temali,& Strigili,& Lucij,& Cauacini,& Barbuli,et Sardellæ,et Carpii:è carnibus quadrupedũ quidem posthabitis pedibus,capitibus,iocinoribus,et intestinis,conuenient Hædi,Vituli,Hinuli,Lepusculi,tum Pulli gallinacei, Phasiani, Perdicũ genus vtrunq;,hoc est, quæ Quaternices vocãtur vulgo à nobis, & quæ dicuntur Perdices,item et Turdi,& Merulæ,Attagenes,Hortulani, Galeritæ,Ficedulæ,et auiculæ nemorales,et reliqua,quæ nota esse possunt.

Vinum ne generosum sit,sed tenue magis,album:quòd et si aqua mulsa vti quis volet,non male faciet.

B Quoniam autem(vt diximus)analogia eius morbi ad phlegma sordidum,& crassum per se est,ad hoc quidem præcipue dirigẽda intẽtio est, in quo et seminaria contagionis continentur,et pars iam inficitur, pars infecta,et corrupta est:quare et ad hęc tria,sicut et in aliis, animaduertere necesse est. Ac ad seminaria quidem expeditissima esse potest curatio, si ad prima morbi initia accesseris,quę interdum cognosci possunt, interdum nõ:nam suspicio quidem multa,& iudicium verisimile esse potest, quum quis se permistum nouit cum infecta,certissimum vero, quum iã & caries quędam circa pudenda obrepit:confestim igitur ea pars lauanda est per aquam rosaceã,mox rursus lauanda,& fouenda decocto ex Alumine et Aerugine æris, aut inungendum circa pubem totam vnguentum,quod ad eum morbum confici solet,de quo post dicemus: tum & per os aliquid eorum sumendum est,quæ contagioni obsistũt, qualis est Theriaca,aut Mitridatum,forte enim per hęc ita seminaria morbi absumes,& interimes,quòd non vltra procedet. Si vero morbus iam non circa principia fuerit,sed altius radices egisse cognosces,et iam aut dolores, aut pustulas,aut alia indicia adesse,tum non sola seminaria respicere debes,sed simul & materiã,quę partim inficitur,& periclitatur, partim corrupta est:seminaria tamen nunquam volunt posthaberi, sed semper aut ĩterimi(si potest)aut frangi,aut educi:materia,q̃ corrupta est, educi vult,

quæ vero inficitur, restitui, aut et educi, si multa est: quoniam autem crassa est, et sordida, in multo lentore consistens, nec restitui, nec educi pōt, nisi subtilietur, et abstergatur, quinimo nisi colliquetur ita, vt ab ea sordities omnis abstergi possit, et aut exiccari, aut in sudorem abire. Verum quia permista sunt omnia, tum seminaria, tum materia propter lentorē, amplius et simul sunt pustulæ, et dolores, et sæpe gummositates, videndum est, siquod vnum ingenium, et remedium est, quod omnia exequatur, et omnibus valeat, an plura requirantur, & quę ea sint: nam sunt qui tentent per purgationes solas omnia absoluere, alii per inunctiones, alii per suffitus, alii per ea, quæ in sudorem conuertunt materiam, alii per ea, quæ obsistunt contagioni, alii vero modo vno, modo alio auxilio ad diuersa vtuntur: quare de his omnibus diligenter quærendum videtur. Primum autem ab euacuatione ordiamur, quam vnam sufficere ad totam curationem aliqui opinati sunt, quod certe & nos in quibusdā fœliciter cessisse vidimus, in quibusdam autem non suffecisse: supponamus autem cum in omnibus, tum maxime in hoc morbo prius digerendam, præparandamque esse materiam, quæ educenda mox est, oportere autem calida esse, quæ huic malo conueniant, attenuatiua, et, ut dicunt, incisoria, quoniam materia lenta est, et sordida, ac segnis: optima igitur erunt Oxymel, & Mel rosatum, et syrupus de Prasio, de Hyssopo, de Betonica, de Calamētho, de Epithymo, de Lupulis, et consimiles, quibus aquæ addantur Iridis, Enulæ, Epithymi, Agrimoniæ cap. v. Fœniculi, Apii, Pulegii, Origani, Pimpinellæ, Cardi b̄n̄dicti, Cicerbitæ, Chamædryos: aut fiat decoctū ex eisdem, et Scordio, et Dictāno cretico, et Thymo & Betonica, & Schinātho, et Verbena, et Syderite heraclea, et Amomo, et Agalocho, et eiusmodi. Potes eodem tempore digere etiam materiam per inūctionem hanc, vel consimilem: succi Rutæ, succi Enulę añ. vnc. i. Theriacę vnc. ii. Thuris. drach. ii. Piperis drac. i. Axungiæ, medullæ Vituli, Butyri recentis, singulorum vnc. i. olei Chamęmelini, irini, quod sufficit: ex hoc inungatur dorsum, brachia, et crura: concoquet materiam, & dolores leniet. Ergo digesta materia euacuanda est: è simplicibus vero, quæ præcipue valeāt, sunt Colocynthis, & Hermodactyli, et Helleborus, et Agaricus, & Aloe, quibus admiscenda sunt, quæ simul liquefaciant, et dissoluant, qualia Serapinum & Galbanum, & Bdelium, & Opopanacū, et Hammoniacum, & Myrrha, et Laser, & eiusmodi: ex compositis autē consuetis sunt Aggregatiuæ pilulæ, et de Hermodactylis, et Arthreticæ, et Indę, et de lapide Lazuli, et Benedicta, & eiusmodi, tum et electariū Indum, &, Hamec, et de Benedicta, et Theodericum, et Hiera diacolocynthidos, & Hieræ à Scribonio descriptæ, & alia multa. Facta igitur prima

C

D

A ma euacuatione recte illi mihi videntur facere, qui et rursus concoquãt, ac rursus purgent, vidimus enim, qui factis exacte purgationibus probe fuerint restituti: aliqui secundos syrupos faciunt, simul etiam solutiuos, addentes ipsis aut Senam, aut Agaricum, aut Hermodactylos, aut Hellebori scobem vel diebus singulis, vel alternis, quod etiam laudem.

Si igitur vna hæc curatio sufficere videatur, reliquis parcemus, sin autem non sufficere, vt profecto perplurimum accidit, vbi aut inueteratus sit morbus, aut materia crassior, & tenacior, tũ alia tentare remedia oportet: quare et reliqua examinemus. Sunt, qui statim ad inunctiones se illas transferunt, quæ è causticis fiunt, quod & primis temporibus maxime factitabant: sed certe satius ego existimo illa prius experiri, quæ et minus acerba sunt, et nullius periculi, quod quidam fœlici satis successu sæpe facere, post purgationes aromatica quædam exhibentes, quæ tum exiccãt, et abstergunt, tum subtiliant, et confortant: talia sunt Calamus aromaticus, Macer, Agalochum, Casia, Zedoaria, Zingiber, Schinanthum, Iris, et alia, quorum decoctum mire videtur conferre. Aliqui solo ligno Iuniperi multos sanauere, alij Cupresso, alij Citro sola, quorum scobe nõ alio vtuntur modo, q̃ quo & Guaiaco: de quo iam dicendum, quando inter alia maxĩe in vsu est. Defertur ad nos ea arbor ex Hispana vocata insula noui orbis, et adiacentibus, vbi et morbus maxime familiaris est: opti-
B ma autem, quæ ex ea insula, quæ Beata vocatur.

Delatæ differentiæ sunt multæ non negligendæ, nam primis temporibus trunci magni, crassiq́; afferebantur, & antiquissimi, quibus albi parum, nigri multum inerat, nunc rami fere portantur recenter cæsi, in quibus albi multum, nigri parum spectatur: hi amariores longe sunt, et styptici magis, antiqui acuti magis, q̃ amari, vel styptici, magis etiam resinosi: abijciebatur primis temporibus summus cortex, nunc maxime is assumitur, maiore etiam pretio, q̃ reliquum lignum.

Videtur autem hæc arbor omnia aptissime pręstare posse, quæ in hoc expetuntur morbo: nam, quoniam è subtilissimis constat partibus, & ijs calidis circa tertium gradum, et siccis, tum et resinosa est, potest quidem plurimum exiccare modis omnibus, hoc est per caliditatem, per siccitatẽ per se, et per imbibitionem: potest et sudorem prouocare, tum et subtiliare, & liquare materiam, et abstergere, ac demum, ꝙ simul resinosa sit, putrefactioni, & contagioni non parum obsistere: videtur autẽ et vim quãdam medicatam habere, propter quod et aluum mouere solet: cæterum illud notandum est, ꝙ antiquum lignum, ꝙ acutum magis sit, etiam dissoluit, eliquat, & subtiliat magis, q̃ recens: quare, vbi crassior sit materia, & gummositates multæ, id magis est eligendum: recens vero exiccat quidem

dem magis ea ſiccitate, quæ per qualitatem exiccare poteſt, minus vero C
per eam, quę fit à caliditate: quare ſimpliciter exiccat minus, quoniam, quę à qualitate ipſa ſicca fit actio, ſatis pauca eſt comparatione illius, quæ à caliditate fit, confortat autem magis, propter ſtypticitatem: quare, vbi delicatior eſſet complexio, & deſideraretur confortatio membrorũ, materia autem ſubtilior eſſet, eligendum, quod recens venit.

Cortice quoq; indiſcrete multi vtuntur, putantes exiccare magis, qm̃ ſiccior videtur, ſed certe ſiccior & hic eſt ea ſiccitate, quę à qualitate ſicca fit, & ab imbibitione, non autem ea, quę à caliditate: quare & minus colliquat, & ſubtiliat minus, & diſſoluit, & ſudorem minus mouet: quocirca & de ipſo idem dicatur, quod de recenti dictum eſt. E ligno præterea antiquo decoctio fiebat multo limpidior, & multo acutior, quòd ꝑpter denſitatem eius ligni minus de ſcobe admiſceretur, plus autem acrimoniæ, quòd calidius eſt, è recenti autem, & è cortice plus admiſcetur ſcobium, quare turbidior fit aqua, & amara magis, minus autem acris, quòd tale ſit id lignum, & cortex: minus etiam ex hoc de ſpuma colligitur, q̃ ex antiquo, quoniam in antiquo plus eſt de nigra ſubſtantia, vbi & plus reſinæ ineſt: quare ſępe miratus ſum, cur tanta mutatio eius ligni ſit facta, & quomodo cortex, qui abijci ſolebat, nunc in tantum pręcium venerit, niſi quòd natura medicorum eſt noua ſemper inducere, per quę & plus authoritatis, et plus lucri acquiritur: eadẽ innouandi cupiditas aquã, D
in quo coquebatur, mutauit in vinum, quod rurſus indiſcrete à multis non ſine magno periculo vſurpatur, vidimus enim multos è potu vini illius male affectos in inſanabilem ęgritudinem decidiſſe: quare qui complexiones calidas & ſiccas habent, habitudines extenuatas, materiam morbi aduſtiorem, ij cauere ab eo potu debent, ſecurius vero ij accipient, qui craſsi ſunt, et humidi, & quibus materia morbi ſegnior eſt, & multi lentoris, & in locis remotis, in ijs enim non inutile erit addere, quod exportet virtutem ligni, et quod ſubtiliet etiam, & amabile membris ſit: qua de cauſa multi & mel addunt, multi vinum non in ipſa decoctione, ſed poſt admiſcent, quoniam ſimul decoctum auſteriſsimum, & ingratiſsimum facit potum.

Pręparatur autem lignum hoc pacto: Lima oportet ſcobes ex eo facere, non contuſione, non inciſione: lib. j pulueris in libris xij aquę infunditur per horas xxiiij, in olla librarum xvi capaci, dein coquit̃ lẽto igne, collecta diligenter ſpuma, & ſeruata ad vſus, quos dicemus, donec ad dimidium conſumatur: decoctum hoc primum colatur, & ſeruatur: tum fit & ſecundum decoctum relictis ſcobibus inijciendo totidem aquæ libras, ſed hoc ſi decoquatur ad quartę conſumptionẽ, ſat erit: vti eo oportet

A tet loco vini, priore autem vtimur vt medicamine: sunt qui in primo decocto simul aut Senam, aut Hermodactylos, aut similia concoquant: alij non hæc addunt, nisi singulis quinque, aut sex diebus. Ergo primi decocti dantur in aurora vnc. vij, aut viij, ægro in loco calido, qui nec transpiret, constituto, qui è lectulo ante horas tres non exurgat, expectans sudorem: horis ab hoc potu quinque prandium exhibeatur: à prādio horis vj, rursus eiusdem decocti vnc. v dentur, si æger ferre potest, ac post horas iiij cœnet. Primis temporibus æger per mensem integrum nunquam cubiculo exibat, nunc data est licentia maior: eo etiam tempore tantum cibi exhibebatur, quo vix seruaretur vita, quod erat panis vnc. iij, vel ad summum iiij, carnis pullinæ vnc. ij, passularum vnc. i: vino prorsus abstinebant, loco cuius vtebantur secundario decocto, aut simplici, aut cum melle facto, nunc omnia licentius aguntur, nam et domo exire sinunt, et largius alunt, verum, qui patientius cuncta ferunt, & securius, & incolumius curantur: Aliqui panem biscoctum dari iubent, quo scilicet, vt arbitror, exiccent magis: sed certe exiccatio hæc non ea videtur mihi, quam quærimus, quærimus enim non eam, quæ ex alimento fit, quatenus alimentum est, sed magis illam, quę circa humores fit, vt à medicamento: biscoctus autem panis quatenus alimentum membra exiccat, quod non quærimus, quatenus autem medicamentum (quando & ipse siccus est)
B & qualitate, & imbibitione potest certe exiccare, sed ad humores nō trāsit hæc exiccatio, nisi prius exiccetur sanguis ab alimento factus, quare et superstitiosum semper existimaui hunc vsum, & affectatum, & parum vtilem. Spuma vero, quam collegisti, illinēda sunt vlcera, si qua sunt, nec nō & callositates omnes, & loca quæ dolent. Porrò satis esse solebāt huic potui dies triginta, nunc plures requiruntur, siue ꝙ materia crasior & terrestrior facta sit, q̃ primis temporibus, siue ꝙ non vtamur ligno antiquo, & licentia ægrorum sit maior, qua de causa in maiori parte non semel sed bis dari hunc potum necesse est.

Si vero in vino facere decoctum placet, prius bene consule & temperaturam ægri, & habitudinem bene spectato, item & ętatem, & anni tēpus. Potest idem decoctum fieri in aquis sublimatis Endiuiæ, & Cichoreæ, & Lupulorum, & Boraginis, & similium, quod iuuantissimum nōnunq̃ vidimus: atq; ita se habet, quæ per Guaiacum curatio fit: quo si careas, vtere vel suprascriptis, Iunipero, Citro, Cupresso, vel & Teda, & Terebintho, & Cedro, & Ebeno, vel Calamo aromatico cum radice Gētianæ. Nunc ad eos veniamus, qui per sudorem curant: viæ eorum multiplices, alij per ea sublimata curant, quæ Elexir vocat, omnia acutissima, & ignea, periculosa quidem, & euitanda: alii per ea faciunt, q̃ simpliciter sudorifica.

ſudorifica dicuntur, quibus et aromatica admiſcent, ſic enim et putrefactioni reſiſtunt, et materiam liquant, et in ſudorem vertunt. Præſtantiſsimum inuentum eſt radix Cynarum: ea (vt perhibẽt) è regione Sinarum deferť à negociatoribus ijs, qui ad Calicut, et Taprobanen, & vltra nauigant: qua incolæ vtũtur ad ægritudines multas, præcipue autem ad morbum Gallicum: ſudorem plus, q̃ credi poſsit, prouocat, et exiccat, quare nec mirum eſt, ſi huic morbo valet: modus vtendi hic eſt. Radices ꝑ tranſuerſum incidantur in aſſulas tenues rotundas, atque harum vnc. j in libr. xij aquæ ponuntur in vaſe teſtaceo, capaci libr. xvi, ac igne lento ad conſumptionem tertiæ partis coquuntur, decocti lib. i datur in aurora bibẽda, reliquum ſeruatur loco vini potandum: eiuſmodi decoctum diebus ſingulis fit: duas vel tres horas morari in lectulo oportet, ac ſudare, mox ſurgendum, ſi videbitur, verũ aperto aeri exponi non conuenit, niſi poſt dies ſeptem. Dantur autem toti curationi dies quinq; et viginti fere, ita vt vnciis quinque et viginti tota curatio expleatur: interea omnis venus cauẽda, acerba omnia, et concoctu difficilia vitanda. Si vero careas ea radice, vti potes loco eius radice Cannarum noſtratium, cui Calamum aromaticum addas: potes et radicem Perſonaciæ decoquere, quæ mire ſudorem ciet, cui ſi Irim adiũgas, vel Xirim, et Acorum, et Calamum aromaticum, et Schinanthum, vtiliter facies: ac decocto vtendum erit per dies plures. Poteſt et aliud decoctum fieri, quod intentiones omnes complebit. Gentianæ, radicum Bulalapathi, ſeu Biſtortæ, Coſti, Ariſtolochię, Iridis, Caſiæ ligneæ, Scordij, Dictamni cretici, quod ſufficit: de vnoquoque infunde, decoque, vt prædicta. Hæc ergo ſunt, quæ factis debitis purgationibus, ſi non recedit morbus, experiri potes, vti blandiora, et ſecura magis. C D

Nunc et acerba proſequamur, quibus primis temporibus ſtatim vtebantur, ab Empiricis primum inuenta: alterum fuit inũctio, alterum ſuffitus: quæ quanuis Empirice inuenta fuerint, et à ſimilitudine (vt diximus) ad Scabiem, habent tamen idoneam rationem, nam ex ijs conſtãt, quæ ſeminaria exurunt, et totam materiam exiccant, et abſtergunt, et liquant, et in ſudorem vertunt: materia eorum è cauſticis potentia eſt, aut è propinquis cauſticis, quibus adduntur conuenientiſsima quæq;. Quæ ergo in vnctionem ueniunt, alia ſunt cauſtica potentia, non quidẽ quale Chalcãthum, et Arſenicum vocatum, et Sublimatum: ſed quale Argentum viuum, quæ materia ferè eſt huius medicamenti: eſt autem potentia cauſticum, ꝙ ex ſubtiliſsimis, atque igneis partibus conſtat, quod Sublimatum oſtendit: vbi igitur particulæ illæ intra corpus actu factæ ſunt, ſiue quòd per ſe ſint natæ plurimum calefacere, ſimul, ac vnitæ ſunt, & ſeparatæ

A paratę ab alijs,siue ꝙ minima omnia Argenti viui sint apta plurimum in calescere à calore nostro, & ob densitatem materiæ mox etiam exurere,tum quidem & exiccatio,& exustio circa seminaria contingit:adduntur &,quæ intro portent virtutes causticorum,& simul emolliant materiam,quo aptior sit liquari,vt pinguia:adduntur &,quæ subtiliant,& abstergunt,& liquant,ac postremo,quæ contagionibus modis omnibus aduersantur:tale est,quo sæpe vsi sumus,quod habet Axungiæ porcinæ lib. 5,Butyri recentis vnc.iij,Terebinthinæ,Styracis liquidæ,singulorũ vnc. ij,Thuris,Myrrhę,Masticis,singulorum vnc.5.Iridis,Aristolochiæ,Gentianæ,singulorum drach.iij,Hellebori drac.ij,Sulfuris vnc.5.Nitri drac. j,succi Enulę,succi Opij,singulorum vnc.j,Olei laurini,rosati,q.s.Aceti vnc.i,Argenti viui pars omnium octaua,misce & fiat vnguẽtum in mortario ferreo.Possunt & leniores compositiones fieri,& diuersæ formari, prout & intentiones,& casus diuersi sunt:quare & illud notandum erit, quòd,vbi plus gummositatum videbitur, plus pinguedinum apponendum erit in vnguento,vbi minus gummositatum,plus autem pustularũ, & vlcerum,plus puluerum apponatur:in delicatioribus vero minus argenti addendum erit:vbi vero complexio calidior fuerit,imponẽda,quę temperent,vt Butyri plus,& plus Olei rosacei,minus vero exiccãtium. Prius autem,q̃ linias,exactissimæ purgationes procurandæ sunt, & phle
B botomia etiam,si expedit:qui vero inungẽdus erit,loco calido ponatur, inungaturq; totus præter caput,pectus,& sub alis,tum stuppa multa calida fasciãdus:sunt,qui & sacculos ex hordeo calefactos inter coxas,& sub alia ac pedibus ponant,quo penetret vnguentũ magis,& sudent melius: aliqui bis in die inungunt,quod graue nimium est,satis erit, si semel inũgas:quidam & statim à prandio vngunt,quod,& si ad sudorem eliciendum accommodatum videtur,ad totam tamen nutricationem ineptum est,quare melius inungere per horas quinque ante prandium:eo tempore nihil prohibet & meracum etiam vinum concedi album.Possunt inũctioni dies x dari,à quibus si exulcerari os incipiet, & sputum multum emitti,id compescendum non est,sed sinendum,donec videatur os male affici,tum foue aut Lacte,aut aqua Hordei,& Diamoro, vel Melle rosato:mox etiam,vbi vlcerum sanatio quærenda sit,è stypticis, & alumine os ablue,& gargarissa.Dicendum autem &,quæ iuuamenta ex hoc linimento consequantur,& quæ nocumenta:iuuamenta erunt,ꝙ dolores miro quodam modo tollentur, gummositates dissoluentur, aut in ipsa vnctione,aut post,vlcera sanabuntur,& pustulæ omnes recedent, verũ non sine suis incommodis & malis,quorum primum est fœditas vnguẽti illius,mox grauius est,ꝙ os & palatum exulcerantur,ac sordities tãta p

os concitatur per dies xv,& amplius,vt nihil fœdius,nihil intolerabilius C
videatur:cibus nullus mandi potest,etiam vix sorberi datur, dentes luxã
tur,somnus adimitur,& breuiter per id tempus nihil grauius sentiri potest:multi præterea sublato morbo tremuli remansere, multis reuixit labes. Inuenere idem Empirici & suffitum:ægrum collocant in matella, pannis optime circuntegunt,vt ne etiam os extet,tum Cynabarim cum Thure mistum vrunt,quo suffitu incalescit æger mirum in modum, ac sudat:acerbissimum vero est medicamentum, quo ego nunquam ausus sum vti ad corpus totum,ad certas autem partes,vt crura,et brachia, quũ vel sphaceli adsunt,vel feræ gummositates,vel dolores, vel vlcera male morigerata,etiam præstantissimum arbitror:cæterum ab eo abstinendũ suadeo,nec Empiricis credendum, quibus nihil temerarium est magis, quando & per os etiam ausi sunt Argentum viuum, & quod Præcipitatum vocant,confectis ex ijs pilulis exhibere,quasi eadem vis sit Argenti viui extra appositi, & deuorati. Vtuntur autem Cynabari, quoniam & in ipso potentia est viuum Argentum.

Quærat autem fortasse aliquis vtrum balnea conueniant huic morbo,qualia Aponēsia,& Porretana,aut etiam nostra,nam & exiccare possunt,& abstergere, & subtiliare, & sudorem inducere:ad quod dicimus experientia constare nihil aut parum ea prodesse:causam ipse arbitror,ꝙ debiliora sunt,quàm vt possint materiam tam crassam, & tam lentam li D
quare:leuiores quidem cutis infectiones,qualis est Scabies,& Impetigo, & quæ ab hepatis adustione contingunt,& salso phlegmate, vel nostra Calderiana tollere valenter possunt,maiora vero non possunt: propter eandem causam & pulueres,qui supra laudati sunt contra contagiones, frigidi existentes,vt Bolus armenius,& Sphragis,& Gēmæ, nihil ad hũc morbum valēt,sed solum qui calidi sunt,vt Thus,& Mastix, & Myrrha, & Scordium,& Dictamnum,et alij,quocunque modo fuerint administrati. Sunt autem cum hoc morbo accidentia quædam cõiuncta,ad quæ particulatim interdum oportet adhibere remedia,inter quæ est dolor capitis,interdum totum occupans,interdum partem,materia multa distēta,& coacta supra caluariam sub Pericraneo vocato, qui sæpe nullis remedijs leuari solēt:ad quos ego nihil iuuantius inueni, q̃ inungere inter na brachia,præsertim qua venæ cephalicę protenduntur,hoc linimento. Succi Inulæ,succi Bryoniæ,Styracis liquidæ,Terebinthinæ,singulorum vnc.i,Gummi Eleni vnc.s.pinguedinis Vrsi,Anseris, Butyri,singulorũ vnc.i.s.Thuris,Iridis,singulorum drach.iij,Olei Irini,quod sufficit, Argenti viui octauam partem. Sunt sæpe & gummositates tantæ duritiei, vt nec Guaiaci spuma,nec alijs solitis linimentis auferri queant: quãdoque.

A que protenduntur per longitudinem tibiæ tanto dolore, vt mors præfe-
ratur:quapropter ad valentiſsima remedia recurrere oportet:quidam ſuf
fitus prædictos adhibēt,alij accēſum & candentē Pyritē lapidē ſpargunt
decocto Guaiaci,et aceti,et locum fouent.Confert autem et hoc empla-
ſtrum:Radicis Cucumeris agreſtis,radicis Iridis, ſingulorum, quantum
ſat eſt,coque,dum tenereſcant,tum libram harum accipito,Ammonia-
ci,Serapini,Galbani,ſingulorum vnc.ij,Styracis liquidæ vnc.i.ſ.pingue-
dinis Vrſi, Butyri; ſingulorum vnc.i, Argenti viui quartam omnium
partem miſce,et pro arte emplaſtrum cōfice.Interdum fauces, et guttur
ex prauis deſtillationibus eroduntur,quibus,niſi ſuccurratur, ſæpe gar-
gareo abſumitur, ſæpe vſque ad oſſa tranſit corruptio:factis ergo purga-
tionibus,et,quas potes, diuerſionibus Gargariſſare oportet decoctum,
quod fit ex Liguſtro,et Plantagine,et Cytinis,in quo mox Alumen, et
Fex aceti,et Nitrum diſſoluantur cum Bolo armenio.

Tangere item oportet locum, ſi hæc non conferunt, bombice infuſa
in aqua Aeruginis æris,Sandaracæ,et Aluminis: fit et aqua ad id mirabi
lis:deſtillatur Theriaca in aqua vitæ,et aceto per elambicum, aqua exit
limpidiſsima virtutum multarum,præcipue autem valens, vbi profun-
dius conduci vis medicamenti debet:ſi ergo Bolum armeniū, aut Sphra
gida in eo diſſolueris,ac partes eroſas tetigeris,et ſeminaria eius cōtagio
B nis abſumes,et eroſionem omnem ſanabis.Non nullis et pili cadunt,aut
barbæ,aut ſuperciliorū,aut et capitis,quod deformes,et ridiculos homi-
nes facit:continuo ergo è ſpeciebus Hieræ Diacolocynthidos pilulas cō
fice,et à cibo ſuſcipe,tum Guaiacū cum Melle,et Ladano in vino coque,
et foue locum eo decocto calido.Valet et hoc odoriferum, quod habet
Pomatæ vocatæ vnc.ij,Ladani vnc.ſ.Muſci gra.iij,Aquæ roſatæ, in qua
bullierint gr.vj Sublimati,vnc.j:miſce omnia, et bene incorpora,et line.
Valet et aqua p̄dicta è Theriaca diſtillata.Accidit quandoq;, vt adoleſcē
tuli ſint,qui hoc laborant morbo,vel è matre cōtracto,vel è nutrice,qui
bus prędicta auxilia pręſtari non poſſunt:his caſibus ego conſueui facere
decoctionem Guaiaci,quo pacto monſtrauimus ſupra, mox decoctum
id per elambicum in puriſsimam aquam deſtillari iubeo,ac puero biben
dam do diebus ſingulis vnc.iij,vel iiij:ea et ebibi non ingrata eſt, et non
parum iuuat.Atq; hęc demū ſunt,quæ de Syphilide morbo dicenda mi-
hi viſa ſunt,ad quę ſiquis recte reſpexerit,cōpoſitiones multas, et varias
formare poterit pro ętatibus,et ſexu,et complexionibus,et materia,et rē
liquis,quę,diuerſa quum ſint,diuerſa etiam remedia expoſcunt.

De curatione Elephantiæ. Cap. 11. C

QVi de curatione Elephantiæ scripsere, sicuti materiam solam, in qua consistit, considerarūt, ita de ea ferè sola, quæ in nobis primo fit, curationem tradidere, de ea vero, quæ per contagionem ab alio concepta est, atque ea quoque, quæ primo in nobis fit, quatenus contagionis rationem includit, nihil certe attigere, quod profecto par erat facere: nam in ea quidem, quæ contagione cōtracta est, sano alioquin homine existente, & melancholia non exuberāte, quid per Deos facies per initia? si materiam digeras, si euacues, cur & in ea, quæ in nobis fit, Archigenes psilothris vtebatur, & causticis, vel ijs, quæ causticis propinqua sunt? cur non ita in Cancro operamur, quum ex eadem materia sint? certe non oportebat solum dicere, redundante in venis melācholico humore, & non potente à splene trahi, & digeri, expelli à natura ad cutim, atq; illic eas pustulas facere, sed oportebat & illud enarrare, ꝙ illic putrescit, nec solum hoc, sed ꝙ putrescit sordida quadam, & conclusa putrefactione, per quam & contagionis seminaria includit, atque in hoc à Cancro differt: propter quod alijs Cancer, alijs Elephantia indiget, quanquam remota in materia communicent: quapropter si alicubi audies Galenum dicere eodem modo curare oportere Elephantiam, quo & Cancrum, ꝙ ex eadem materia sint, intelligas oportet quantum ad antecedentem, & remotam materiam spectat. Duplicem igitur scopum in Elephantia esse scito, alterum ad materiam, istam remotam, si qua est, quæ in corpore redundet, alterum ad materiam, quæ circa cutim iam putrescit, & cōtagiosa fit: si igitur prior illa materia redundare tibi videbitur, protinus secare non solum venam basilicam debes, sed & vtranque, si expediens videbitur, consentientibus cæteris: verum per initia hęc fiāt, & quum in aliquo primo oborta est contagio, nam, vbi aut ab alio accepta fuerit, aut in tantum processerit, vt fera iam sit, tum, si secabis venam, contagem introrsum trahes, et hominem in maiori periculo statues: reliquam vero materiam digerere oportebit, & mox euacuare: digeremus autem per ea, quæ incidunt, & subtiliant, & abstergunt, ea commiscētes, quæ leuiter humectent: quare aptissimum erit Serum caprinum, in quo decoquantur Stœchas & Thymum, & Epithymum, & Satureia, & Scordium, et Dictamnum creticum, & Iris, & Seris, & Lichen, & Stratiotis, & eiusmodi, quæ varianda erunt, prout & materia modo minus, modo magis exusta est: syrupi vero erunt, & Oxymel, & qui fit de Epithymo, & de Fumoterrę, & Sapor, & de Pomis, & eiusmodi: euacuare autē oportebat per Hieras, D

qualis

A qualis est Diacolocynthidos,& Ruffi Hiera,& Archigenis, nec non & per Helleborum,et Epithymum,et Senam,et Polypodium,et similia. Materia vero,quę pustulas facit,& ipsa quidem digeri vult, hoc est parari, vt absumi posśit:faciunt autem hoc,quę subtiliant,et leniter molliũt: quoniam vero et lentore quodam,ac sorditie referta est ea materia, tum & seminaria contagionis includit,abstergentibus,& exiccantibus indiget,exiccantibus autem non mediocriter,sed validioribus,& aut potentia causticis,aut propinquis:medicamenta igitur,quæ huic cõtagioni valent,sunt,quale Nitrum & Sulfur,et Helleborus,& Cedria,& Thus, & Iris,& Argentum viuum,& Terebinthina,& Styrax liquida, quibus addantur adipes,è quibus placeant Taurinus,Vulpinus,Vrsinus,& Leoninus.Dubitabit autem aliquis,quomodo tam calida cõueniant,quoniam tam materia, quàm seminaria in adustione quadam consistunt,quare fieri videtur,vt in vtroque adaugeatur adustio:verũtamen videmus & antiquos ex his medicamenta exhibuisse,qui et Nitro,& Alcyonio, & Psilothris,& vtroque Helleboro,& trochiscis Andronis vtebantur:recte igitur fieri existimamus,vt per prædicta contagionem hanc extinguamus, sed conuenientisśime apponentur aliqua,quę tum humectent,tum et aliquantulum refrigerent: placet igitur, vt & Butyrum addatur,et mucilago Psyllij,et Polygonati,et succus Solatri hortensis, et similia, ne plus

B æquo sanguinem exuramus:præcipuam autem et in hoc vim habet Argentum viuum,sicut et in Gallico morbo. Ad hęc autem valet et Viperæ caro,et viperatum vinum,et Crocodilorum terrestrium, et Asellorũ, qui sub vrceis degunt,nec non et Trifolium asphaltite, et Syderitis herba,et Calamus aromaticus,et rasura Eboris:placent et balnea tepida, in quibus si more antiquorum inunctiones prædictæ fiant, non certe præter rationem fiet.

Sunt porrò et alij in contagione constituti morbi,vt Lepra,ita à Græcis vocata,et scabies,et Papulæ,et Areæ,et Ophiases,et Ophthalmiæ quædam,et Dysenteriæ etiam non nullæ,quorum omnium curationi scribendæ parcemus,existimantes è pręd ictis viam vnicuiq; satis patere ad ea recte tractanda: quare,et quantum ad institutum nostrum negocium attinet, hæc dicta sint.

AD EVNDEM ILLVSTRISS. ET REVERENDISSIMVM CARDINALEM *FARNESIVM.*

HAec ego florentes Sophiæ digressus in hortos,
Italiæ decus, o iuuenis Farnesia proles,
Condebam, lectasq; tibi de more sacrabam
Primitias, dum tu magni inter Cæsaris arma,
Gallorumq; acies, Recti Pacisq; sequester
Res miseræ Europæ fractas componis, & omne
Robur, & arma Dei Maumethen vertis in hostem,
Percurrisq; omnem, veluti Sol aureus, orbem.
Fortunate nimis, quem cunctæ applausibus vrbes
Excipiunt, Pacisq; vocant Patremq;, Deumq;,
Inq; caput, sacrosq; sinus, humerosq;, manusq;
Et nigras violas, & candida lilia iactant.
Cui magna Italia, & terrarum maxima Roma
Assurgit, festosq; dies, & sacra nepoti, D
Solennesq; agitat pompas: densi vndiq; circùm
Stant populi, & studio ingenti, & clamore secundo
Farnensum genus omne, alto de sanguine ductum
Aeneadum longa serie, super Aethera tollunt
Patres, atque Duces, & partos mille Triumphos:
Assensu resonat Tybris, & Tyrrhena resultant
Littora, septeni responsant gaudia colles.
O nimium dilecta Deo, prælataq; longe
Progenies, siue Imperijs & Marte regendæ
Sint res Romanæ, seu Religionis habenis.
Atq; equidem è fracto Imperio, Romaq; cadente
Seruatam hanc stirpem fato, statuentibus & Dijs
Crediderim, quo Romanum per sæcula nomen
Staret, & Ara Dei, quæ primum maxima magnis
Auspicijs fundata fuit, sit maxima semper.

Quo

A Quo me Paule rapis, quo tuq; nepos q; vocatis
Laudibus Hæroum insuetum? tu maximus ille es
Vni cui regni triplicis capite alta Tiara
Consurgit, cui summa vni terna illa potestas
Terrarum, Cœliq; data est, vastiq; Profundi,
Illorumq; aperire fores, & claudere posse.
Qui Petri, Christiq; ratem turbante procella
Ventorum varia, & remorum parte reuulsa,
Tepestatem omnem, atq; aduersos discutis Euros,
Nec sanctam sine honore sinis, sine remige certo
Fluctibus in tantis agitari turbine Cymbam,
Macte animo Romano, & macte ingentibus ausis.
At tibi quas Iuuenis fortunatissime dignas
Attribuam laudes, generis spes altera tanti
Inclyte Alexander, puerum quem plurima Virtus,
Canaq; consurgens teneris Prudentia in annis,
Et spondens maiora astris fœlicibus Aether
Ad summos meritum ante annos euexit honores,
Et sacri gestare dedit decora alta Galeri?
En quantum de te sacri sibi Pastor ouilis
B Spondet, auus tuus ille, animo quæ gaudia versat.
Forsitan et proprio non tàm gauisus honore,
Quàm spe sublatus, tanti et virtute Nepotis,
Nescio quid maius præsaga mente volutat:
Scilicet & gnarus Fatorum, & præscius Aeui
Venturi, illa videt fœlicia tempora, quum tu
Sede sua, solioq; Dei, Dijs proximus ipsis
Consideas, quum Pontifici tibi maximus Orbis
Gratetur, supplexq; tuis ferat oscula plantis.
O mihi postremæ tantum dent Numina vitæ,
Ipse etiam vt tum te tremulus, confectus & annis
Aspiciam, sanctosq; pedes prostratus adorem.
O & si possim canere, & tua dicere facta,
Et ventura nouo tecum Secla aurea Mundo.
Nam video sub te victum, longeq; fugatum
Maumethen se Caucaseis includere portis:
At Pacem viridi redimitam tempora oliua

Ire

Ire per Europam magnam, atque inuisere terras;
Quam pia Relligio, & iunctis Concordia dextris,
Et Probitas, & amor Recti comitentur euntem.
Salue magne Tybri, salue & tu maxima rerum
Roma parens, saluete arces, collesq; Latini,
Aurea qui primi longo meministis ab æuo
Sæcula, quum nulli variarent iugera sulci,
Sponte sua sed Terra ferax daret omnia, & ipsæ
Præberent dulci victum de robore glandes,
Et nunc venturis eadem speratis ab annis.



HIERONYMI FRACASTORII

NAVGERIVS SIVE DE POETICA DIALOGVS.

AD IOANNEM BAPTISTAM RHAMNVSIVM.



INTER eas, quæ per honestatem ab hominibus voluptates concipiuntur, ego RHAMNVSI charissime suauissimam semper illam & præcipuam existimaui, quæ ex amicorum consuetudine capi solet. neq; enim video, quid gratius esse posit in vita, quàm cum eo esse, colloqui, tua omnia communicare, quem perinde diligas, ac teipsum. qua de causa & eorum quoq;, qui è vita discessere memoria, factorumq; ac dictorum repetitiones suauissimę esse consueuere. quæ voluptas miro nescio quo affectu intercidere inter te & me solet, quoties esse vnà nobis datur. datur autem non sæpe, quod rerum conditiones & diuersa vitæ ratio nos loco & dulci hac fruitione mutua plurimũ
B seiunxere. siquando tamen conuenire accidit, & suauissima quidem est illa breuis consuetudo nobis, & facere solet, vt memoriæ omnium amicorum nostrorum sæpissime repetantur: præcipue autem ANDREÆ NAVGERII, & IOANNIS BAPTISTÆ, ac RHAMVNDI TVRRIORVM fratrum, quibus cum rarior quædam atq; intima magis amicitia intercessit nobis. nam quæ cum M. ANTONIO TVRRIO eorum fratre fuit, vti vetustior, ita quodammodo insenuisse videtur. quam ob rem superioribus diebus cum tu Veronæ esses, & memoria tam dulcium amicorum in ea nos deduxisset, quæ cum ijs in vita peregimus, incidêre forte fortuna & eorum sermonum recordationes, quos in Baldi recessibus habuere ANDREAS NAVGERIVS & IOANNES BAPTISTA TVRRIVS, alter de Poetica die vna, alter die altera de intellectione. quos sermones cũ ego iam multis annis per Dialogum, sicuti habiti fuerant, collegissem, tu me hortatus es, vt si daretur ocium, eos Dialogos aliquando reuiderem: ac si possem, ita etiam exornarem, vt in lucem emitti possent. quod certe mihi vel maxime desyderãdum fuit, tum vt morem gererem tibi, tum vt tantorum amicorum me-

moriam, quantum possim ab obliuione defenderem. nam quanquam C
illa per se illustris sit, & clara in animis hominum viuat, atque æternum victura sit, æquum tamen & pium videtur, viua etiam & illa facere, quæ ipsi nullis scriptis mandata, sed ore tantum emissa reliquêre. Ergo cum tu mox Verona discesisses, ego vero non multo post meos in Caphios secessissem, animum oculosq; ad eos dialogos appuli, ac diligenter relegi, quos tametsi cognoui non pauco cultu indigere, ac multa exposcere, statui tamen non esse perpetuo concludendos: sed ad te mittēdos, ac tandē, si ita tibi visum fuisset, in commune ędendos: vt quisq; videre posset quę viri illi de nostra hac intellectione, quid esset, et quo pacto fieret, existimauere: quidq; de Poeta ipso atque eius officio ac fine constituêre. quæ omnia tibi in primis arbitror futura esse gratissima, quasi amicos tantos tu vti viuos & loquentes, & tanta de re disceptantes spectes & audias. Ad mirabuntur fortasse aliqui, quod ego grandiori hac ætate iuuenilia hęc & iuuenum narrata referre nunc animum inducam. Verum enim vero nemi nem mirari par esse existimo, quandoquidem, si poetam ipsum planè introspexeris, beneq; fueris contemplatus, dignum profecto existimabis, quem & senes quoq; audire & cognoscere debeant, & cognitum venerari. nam & Democritum quoque audiuimus annis grandem de poetica re volumina duo supra viginti reliquisse. nec Aristoteles minus laudis ex poetices traditione consecutus videtur, quàm è reliqua philosophia. qua D re nec nos quoque pigeat & venerari poetam, & quos de ipso sermones amici nostri habuere, ad te audiendos referre. Forte enim cum per caniculæ dies Veronæ essent Andreas Naugerius, & Ioānes Iacobus Bardulo Mantuanus ciuis, & ipse lingua vtraq; disertissimus, æstasq; videretur q̃ grauissima, decreuimus cū Turrijs fratribus Ioan. Baptista, & Rhamundo in Baldi frigora simul secedere. accessimus aūt sub vesperā, locū Meonem vocant. nox cum aduenisset, dū alij curamus corpora, Bardulo, qui mathematicarum rerum in primisq; oīs Astronomiæ peritissimus erat, nunquam autem aliàs forte tantum cœli nactus fuerat, spectatum sydera omnia sese transtulit: vnde nec nisi post multam noctē diuelli potuit. mane vero cum primum illuxisset dies, idem ille exurgens, nosq; somno excitans vicinam in speculam vocauit, vnde oriētem Auroram Solemq; salutaremus: cuius exortus nusq̃ amplior, nusq̃ purior visus à nobis fuit. occipiebant iā syluę montesq; mugitibus circùm cōpleri: alioq; vbiq; silētium & vasta solitudo: vbi præter raros pastores atque armenta, animatū nihil inspectabatur. hic vbi aliquantisper immoratum est, placuit vicinū ad fontem gressus mouere, quò irriguum pratum leui ascensu ducebat.

Poetam audire & venerari, quō non solum iuuenes, verum senes & probatissimos viros decet.

Ex

A Excauabatur asper tophus in specus varios, qui omnes perpetuis stillis impluebant in terram, vnde corriuatis in vnum aquis nitidissimus fons per virens pratum commurmurans descendebat. circa tophum multę fagi vmbram dabant, quas inter variæ fonti assuetæ volucres circum supraq; cantu placido volitabant. hic vbi circa fontem consedimus, mira res iucundissimã materiam sermonibus nostris præbuit. nã ANDREÆ NAVGERIO & IOANNI BAPTISTÆ TVRRIO valde contraria contigere. Naugerius enim quasi Musa tactus, aut Apollinis œstro cõcitus cum late circumspexisset, carmina primum quædam subcinere cœpit, mox è sinu correpto pugillari Maronis, quem nunquam dimittere cõsueuerat, tanto impetu, sed & tanta harmonia legere cœpit (erat enim vt scis miræ suauitatis in legendo) vt nobis videretur & ille quasi furens effectus, & nos nihil vnquam suauius audisse. qui cum Bucolica ferè dimidia eo furore legisset, postremo exclamans libellum à se proiecit. IOANNES autem BAPTISTA qui toto mane illo ne verbum quidem ꝓtulerat, quasi stupore quodam oppressus, admirabundus, tacens, productis oculis sedebat. quam diuersitatem cum animaduertisset Bardulo, si fas est, inquit, Turri silentium tuum rumpere, equidem optarim magnũ nescio quod problema à te enodari mihi. Cui Turrius, fas quidem est Bardulo, nam & iam inurbanum esse potest silentium meum: sed quod B nam problema ais? & ille. Quod tu, inquit, ac Naugerius, facitis: qui eadem in causa contraria pati mihi videmini. nam quid per Deos est, ꝙ simul ac venimus hæc in loca, tu quidem taciturnus, mœrẽs quasi quidam Bellerophon effectus es. Naugerius autem Musa quadam hilariori contactus, & canens, & quodammodo furens euasit? Cui Turrius, dicam, inquit, nec inane quiddam existimato, quod dicam. hũc certe aerem, quẽ spiramus, manes diuersi incolunt, qui præsertim hasce solitudines, & nemora, & fontes habitant, vbi & Dij degere non ab re à poetis dicuntur. ij manes nostra corpora ingrediuntur, & egrediuntur, ac diuersi diuersimode agitant. nunc vero arbitror Virgilij manes, qui loca hæc incolunt, vexare Naugerium, me autem philosophi alicuius eorum, qui melancholijs capi consueuerunt in vita, aut Democriti, aut alterius tristioris. Cui Bardulo, si licet Turri tuos hosce manes interpretari, illud mihi videris subfigurare, ꝙ Naugerius poeta natura sit, tu autem philosophus. & Turrius nihil quidem prohibet ita interpretari: sed illud recte dicitur Naugerium natura poetam esse, me autem philosophum natura esse nescio. at Bardulo, esto inquit, vt lubet: verũtamen nihilo magis enodatum problema videtur mihi. qui enim fit, ut idem locus alterum poetam, alterũ philosophum faciat? eadem enim sunt quæ animos uestros impellant,

Poetæ, ac Philosophi num natura, vel arte aliqua, seu loco efficiãtur.

cur ergo non idem faciunt in vtroque? Magnam reſpondit Turrius, C
rem poſcis Bardulo, nec cui ita repente & per pauca ſit reſpondendum. nam qui recte dicere hac de re velit, prius ſciat neceſſe eſt, quæ nam Poetæ natura eſt, quidq́; ipſa Poetica, tum & quis philoſophi genius, & quo pacto motus illi fiant, qui animos noſtros impellunt, atque ipſa demum cognitio & intellectio. De philoſophi quidem natura & noſtra hac cognitione ego quidem poſsim non nulla, ſi non pro re, at pro viribus dicere. De Poeta vero & poetica ipſa, ego qui poeta non ſum, recte nihil dicere poſſum. poterit autem Naugerius, cui poetæ natura quàm optime nota atque experta eſt. is ſua ſi tractare velit, ego quo tuo problemati ſatisfaciam, mea ipſe pariter proſequar. mea enim voco quæ iam promiſi. Conuerſus igitur in Naugerium Bardulo, vide, inquit, Naugeri quàm fœlicem diem quàm iucundos ſermones caſus pararit nobis, q̃ mihi in primis optatiſsimos. nam ego quidem magnopere ſemper deſideraui de noſtra hac ĩtellectione quo pacto fiat, audire: tum vero nec minus quid nam poeta ſit, quodq́; eius officium ac finis: quorum vtrunque in pręſenti magnus quidã aut caſus, aut fatum in manus dedit. tu facias rogamus ne tui cauſa tanta occaſio pereat, qui rectiſsime omnium poſsis de natura poetæ diſſerere poeta ille, quem noſcimus. Cui Naugerius, caue, inquit, Bardulo quo pacto hoc mihi poetæ nomen imponas. Si enim furor quidam eſt poetica & inſania quædam, iniuſtum eſt amico id notæ D
inuri. ſi vero potius quid diuinum eſt, equidem neque me ego tanto illo nomine dignor, & paucos noui, qui eo digni ſint. quoniam tamen & ipſe magnopere cupio à Turrio audire, quo pacto fiat intellectio in nobis, ne mea cauſa contingat, quo minus id agatur, non nulla & ipſe de Poetica referam, quæ partim legi, partim audiui, partim & ipſe ſemper exiſtimaui. Sed cogitandum pauliſper fore videtur, ſi omnia ſuo ordine in memoriam ſunt reducenda. quare ſi ita & vobis videtur, negocium hoc ad meridianas horas remittemus. nam & iam altior mihi videtur ſol. Interea & per noctem rem ſuam agitabit Turrius, qui ſequenti mane promiſſa de intellectione proſequetur. Nos opinionem laudauimus ac ſurreximus, quiſque vt ſibi magis placuit in diuerſa deambulantes. nec multo poſt paſtorale cornu inſonuit, quo intelleximus ab ijs vocari, qui iam prãdia parauiſſent. at pueri ſub alta fago propter aquæ labentis riuum menſas parauerant, quò & paſtores quidam conuenerant, qui diuerſa lactis munera comportarant, cum quibus inter prandendum multa de paſtorum vita locuti fuimus. Sublatis menſis cum per horam multa fuiſſent inter nos dicta, non nulla etiam lecta, placuit Naugerio vagari aliquãtiſper ſoli, quo, vt arbitror, commodius meditaretur: noſtrum quiſque diuerſa

exercuit,

A exercuit,donec hora redeundi ad fontem visa est iam aduenisse. Igitur
cum & Naugerius reuersus iam esset,placuit omnibus constitutum ad lo
cum redire.Iussit autem Naugerius vt nobiscum & puer quidam lyricẽ
suus accederet,qui mira quadam & tangendi citharam,& canendi arte
præstabat.Ad fontem igitur cum venissemus,in coronaq; omnes conse-
dissemus,atq; oculos in Naugerium conuertissemus, ille ita exorsus est.

De Poetica hodie ò amici,deque Poetæ officio acturi sumus. Quod
& loco huic & huic coronæ quàm optime conuenire videtur. Ve-
rum non recte quidem videmur rem tantam prosequi posse, nisi &
poetarum more à Deorum inuocatione ĩceperimus.alioqui & Dijs om-
nibus montis huius iniuriam fieri video,& ipsi etiam Poetæ.quapropter
Dij Deæq; omnes,qui syluas,qui montes,qui fontes colitis, quos primi
poetæ cognouere,& venerati reliquis mortalibus monstrauere, in pri-
mis autem Dij fontis huius, tuq; Apollo nomie & Pan horum pastorũ
Deus,nec non et tu Balde syluarum,fontium ac nympharum pater ade-
ste omnes,audite atque adfauete.quæ cum dixisset ad nos conuersus ita
secutus est. Quoniam igitur ipsum poetã quęrimus,operæprecium fo
re arbitror,si prius de Poetæ fine disseruerimus,qua in re & comitem in-
quisitionis huius aliquem è vobis velim ac teipsum Bardulo,qui mihi re
spondeas,quæ videbuntur tibi,siquando ego te ipse fuero percunctatus.
B sic enim & minore labore & minore tædio rem peragemus.Annuit Bar
dulo.& Naugerius,Principium igitur,inquit,ab ijs sumendum,quę dici
de Poetæ fine consueuere,vt videamus si qua & nobis conducant. Qua-
propter dic mihi Bardulo quem'nam tu aut audiuisti,aut tute ipse putas
esse Poetæ finem? Delectare,inquit ille,audiui esse finem Poetæ, quod
& nos etiam fortasse possumus existimare.quid enim mõstret aliud Mu
sica illa carminum adeo quæsita,quid omnia fabulamentis inuoluta,om
nia miranda tanto studio affectata? Comœdiæ porro & Tragœdiæ,Sce-
næq; & Histriones non aliud videntur mihi,q̃ aurium & populi oblecta-
menta,quod & poetarum comites monstrant Musę,Nymphę,Sileni,&
ipse etiam Bacchus:instrumenta vero Citharæ & Lyrę.quamobrem om
nis Poetarũ finis in oblectatione constitutus videtur.quod & origo quo
que ipsius Poeticæ planè demonstrat,quam ita primum fuisse enatã Ari
stoteles tradit.cum enim natura insitum sit nobis imitari,tum & natura
insitum canere,& musica quadam agi,primum quidem cęptum est can-
tu quædam imitari rudi quidem atque agresti.mox cum id delectaret ad
hibita maiori cura studioq;,tandem & ars facta est,& poetica enatã.
Ita quidem,inquit tum Naugerius,& ego de poetarum fine audiui. ve-
rum enim vero istac de re accuratissime ratio habenda est. Si enim nul-
lum

Quis proprius finis poetarũ ac poeticę artis sit: num delectare, an alijs per imitationẽ quoq̃uo ꝓdesse, vel ad admirationem de oĩbus apposite dicere, vel aliud qp piam tale.

Poetarum finis q̃uo in delectatione consistere videat.

Poetarũ origo.

Poetarũ finis nõ in sola delectatione cõsistit.

lum aliud inſtitutum poetæ fuerit, quàm ſeſe atque alios oblectare, equi- C
dem vereor ne leuis quidam ac ridiculus homo poeta hodie nobis eua-
dat, qualem & Ennium accepimus ab externis nationibus habitum fuiſ
ſe, cum à P. Scipione carmina quędam recitare iuſſus eſſet. ſimilis autem
& fortaſſe poeta erit ſeni cuidam vicino meo, qui nunc ſubit in mentem
mihi. agrum ſenex hic diu conductitium tandem ſibi proprium compa
rauerat, arbuſto, oleis, ficisq; ſeuerat, roſeta circumpoſuerat, vt certe dele
ctare magnopere locus poſſet. cum autem ſibi domus in ſummo eſſet col
le, vnde ſic ſubiacentem agellum ſpectare continenter poſſet, obſtabat
quidem antiquiſsima ſylua & montis interpoſita pars. ille etſi magni la-
boris exiſtimabat ſyluam & rupem de medio tollere, in extremam tamē
dementiam tandem venit ſylųę rupisq; auertendę. igitur nulla interpoſi
ta mora antiquiſsimas quercus cędere, plauſtris truncos abducere, noctu
etiã ſurgere, familiam ſomni ĩcrepare, nullis laboribus parcere: omnibus
vero tandem ridentibus, & rogantibus, quo tantum laborem ſtrueret,
vt oblectaretur, reſpondebat, horis omnibus agrum videndo, quem tàm
pulchrum excoluiſſet. Igitur & poetæ non minorem rupem ſyluamq;
cędere videntur mihi, die noctuq; ſtudijs inuigilare, ſemper pallere, diſci
plinas omnes diſquirere, à republica atque omni actione abſtinere: inter
rogati vero, quo tanta moliantur, ſi non aliud reſponderint, quàm vt ſeſe
atque alios canendo oblectent, equidem inſanire illos dicam, non minus D
quàm ſenem illum vicinum meum. quod quidem longe alienum eſt ab
ea opinione, quam paulo ante de poetis habebam, cum Maronis Bucoli-
ca tanta admiratione perlegerem. Abſit autem ò Bardulo & vos alij, vt
tam prauam de poeta exiſtimationem habeamus, qui tanta arte, tanto in

Poetę maximis laudibꝰ digni ſunt.

genio, tot diſciplinis præditus eſt, quem Plato diuinum vocat: quem grę-
ci bonarum omnium artium inuentores, mox & Romani eadem, qua et
imperatores, corona ornari dignum arbitrati ſunt: cuius poſtremo voce
oracula ipſa reddi Dij maximi voluere. quam ob cauſam alius à nobis ò
Bardulo & multo dignior finis, quàm qui dicitur, eſt perquirendus poe
tæ. videtur, inquit tum Bardulo, ſed quiſnam alius erit? nunquid forte

Poetæ finis num alijs ꝓdeſſe ſit, & quomodo.

prodeſſe, quod video à multis dici, vt delectare & prodeſſe poetæ velint?
Et ille, quærendum quidem & hoc, nã ſiue coniunctum cum alio, ſiue ſe-
paratum ponatur, non ſatis mihi videtur facere ꝓ fine poetæ. quam ob rē
quando aiunt ſtudere poetas, vt proſint, potes'ne dicere quænam illa po
tiſsimum ſint, per quæ poetæ prodeſſe ſolent? quid ni, inquit ille, in ꝓm
ptu enim ferè omnia ſunt. nam quæ per Iouem ſunt, quæ poetæ non do-
ceãt? illi hiſtoriarum copias, locorum deſcriptiones, regionum naturas,
vitæ inſtituta tradunt, multa de imperatore, de milite, de patrefamilias,

A de republica ſcribũt,de re ruſtica,de nautica,de artibus ac de ijs alijs circa quæ verſamur,de ſyderibus inſuper, ac naturæ rebus, plantisq;, atq; animalibus,de Deo,de inferis,de vaticinio,de ritu,de antiquitate, atque vt ſummatim dicamus, de ijs omnibus doctrinam videtur facere,vnde quilibet peritiſsimus fieri poſsit:propter quod & Homerus omnem græciã erudiuiſſe primus dicitur. Tum Naugerius, pulchre inquit,dicis Bardulo,omnibus ferè de rebus poetam doctrinã facere, mire multifariãq; prodeſſe. at illud per Deos mihi dicito,quando poetas hiſtorias docere, loca deſcribere dictum eſt,eſt'ne facultas aliqua,quæ hiſtorias & ſcribere doceat, & ſcribat? tum aliqua,quæ terrarũ ſitus,gentium differentias declaret? aliqua certe, reſpondit Bardulo. Et ille. alia'ne à poetica? B. alia certe vtriuſque. N. Quæ'nam. B. Huius quidẽ geographia, illius vero hiſtorica. N. Cuius igitur per ſe magis officium eſt hiſtorias ſcribere,terrarum loca deſignare, poetæ'ne an eius,qui Hiſtoricus,quiq; geographus dicitur? B. Horum certe magis vt mihi videtur, nã & ab his accipere poetam puto,illos vero per ſe complecti & ex proprio inſtituto. Recte dicis,inquit tum Naugerius,ſed & illud dic rurſus mihi: eſt'ne facultas aliqua,quæ de vitæ inſtitutione conſideret: & aliqua,quæ de republica:aliqua,quæ de re ruſtica? B. omnino. N. Aliæ'ne & hæ à poetica? B. Aliæ prorſus. N. Cuius igitur ĩtereſt vitæ præcepta tra-

Facultates quaſdam eſſe, quarum aliqua Hiſtorias, aliq̃ Terrarũ ſitus, & gentium declarant, à poetica arte diſtĩctas ſicut & aliæ artes.

B dere,de republica ſcribere,de ruſtica,earum'ne,an poetæ? B. Earum ita me dius fidius nam de ijs ſi poeta ſcripſerit,accepiſſe quidem ab ipſis dicam. Ergo,inquit tum Naugerius,ne ſingula proſequamur,itidem cẽſendum eſt & de alijs omnibus,quæ ſupra cõmemoraſti: ſingularum.n. rerum,quę in ſcientiam cadunt,propriæ artes & diſciplinæ ſunt conſtitutæ:hæc quidem de ſeipſo bene regendo,illa de bene regenda domo, alia de republica,de iure ciuili,de ſyderibus,de natura,de Deo, de inferis, de vaticinio,& alijs demum omnibus,quæ longum & ſuperuacuum eſt recenſere.quorum omnium cum propriæ artes & ſcientiæ cuiuſq; ſint conſtitutæ,accipere quidem ab ijs poeta cenſendus eſt,neq; aliter vti, quàm qui mutuo quicquam acceperit,ac bono cõmodoq; alieno ipſe etiã vſui eſſe nitatur.dixerit fortaſſe poeta

Iam clarus occultum Andromedes pater
Oſtendit ignem:iam Procyon furit,
Et ſtella veſani Leonis.

 & illud

Seu Libra,ſeu me Scorpius aſpicit
Formidoloſus, pars violentior
Natalis horæ,ſeu tyrannus

Hesperiæ Capricornus vndæ. C

Alijs ꝓdesse nō ē poetarum proprius finis.

Sed certe, non quatenus Poeta hæc dixit, sed accipiens ab Astronomo. quam ob rem, quando prodesse conductitium quodammodo Poetę est, non propriæ facultatis, separandum quidem videtur à primario Poetæ fine & instituto per se. præsertim ꝙ per hoc nihil poetæ proprium assignatur. siquidem & alij omnes qui scribunt & delectare & prodesse docendo volunt, nescio, & an vobis itidem videatur. Videtur certe, respondit Bardulo. verum si prodesse à primario Poetæ fine seiunxerimus, nihil uideo superesse præter delectationem. sic autem, vt prius dicebatur, in indigna & ludicra re labemur, nisi forte dixerit quispiam Poetam alio modo prodesse, ac alij consueuerunt. alij siquidem docendo fortasse ꝓsunt, Poetæ vero repræsentando. nam tametsi nō doceat Poeta, qualis quis esse debeat aut imperator, aut miles, aut paterfamilias, aut temperatus, & intēperatus, & eiusmodi, repræsentat tamen imperatorem, militem, patrem familias, temperatum, intemperatum, pium, misericordem, crudelem, timidum, magnanimum, insolentem, superbum, segnem, iracūdum, prudentem, imprudentem, & eius generis alia. scis enim Poeticam à Platone & Aristotele imitatoriam artem vocari, nihil autem refert, siue imitari, siue repræsentare dicamus. Qua de causa sunt, qui putent finem poetæ esse prodesse per imitationem. Probe dicis, respondit tum Naugerius. verum de imitatione hac siue repræsentatiōe Poetica accurate arbitror esse considerandum: atque illud in primis est inquirendum, vtrum circa omnia, de quibus poeta scribit, repræsentatio & imitatio dicatur: dico autem si Poeta de stellis, de plātis, de animalibus scribat, vtrum & hęc imitatio, quemadmodum illa, quæ personas inducit, an propria quædam sit imitatio Poetæ: puta illa, quæ circa personas est tantum. hæc enim nō ab re sunt inquirenda à nobis. tu vero quid de his putas? Cui Bardulo. Ego, quid putem, nō possum nunc certe dicere. sed quid prohibet si singula ponamus, vt videamus, quæ consequantur? N. Nihil quidem prohibet. B. Ponamus igitur imitationem esse, quodcunque Poeta scribat: & non solum cum personas inducit. N. Ponamus quidem. sed si ita posuerimus, non video, quo pacto poeta ab alijs differat, nequid habeat proprium. nam & alij omnes vtilitatem hanc pręstare volunt docēdo quod scribunt, & repræsentando legentibus, & audientibus. quòd si poeta aliter ipse assequitur, id oportet nos inuestigare quid sit, & in quo consistat. nec solum carmen debemus adducere per quod ab alijs differat, sic enim rursus in puerilia recidemus. quare ponamus alteram partem si placet. B. Placet quidem. ponamus igitur certam esse materiam poetæ propriam, qua differt à reliquis, qui sermone vtuntur, puta illam quæ personas

Poetę ea repræsentādo vitæ humanæ ꝓsunt, q̄ cæteræ artes & facultates docēt

Prodesse p imitationē num proprius poetarū sit finis.

D

A nas inducit, quæ proprie imitatio dicitur, quod video à multis dici. hoc
enim monstrant Tragœdiæ & Comediæ & ipsa etiam ępea, quæ præci-
pue & maxime poeta scribenda assumit: propter quod si qui aliam assum
psere materiam, non poetas vocãdos censent, quemadmodum nec Em
pedoclẽ Aristoteles vocare voluit. N. Recte dicis Bardulo ita esse, qui
existiment: quare tanto accuratius res ista quærenda est. Primum au-
tem statuendum est duo esse, quæ vnusquisq; qui scribit, assumere opor-
tet: alterum est materia, hoc est res, de quibus dicitur: alterum est dicendi
modus. Necesse igitur est qđ poeta proprium habet, & quo ab alijs dif-
fert, aut à materia sola sumi, aut à modo dicẽdi solo, aut ab vtroq; simul.
à sola autem materia sumi, vt ab ea, quæ imitatur personas dici quidem
(nisi fallor) non potest, ita vt eum statim poetam vocemus, qui personas
est imitatus, aut eum non poetam, qui non est imitatus: sic enim & Ba-
uios & Meuios possemus in poetarum censu ponere, quòd personas in-
duxissent, & eum appellare sculptorem, qui marmor aliquod incidisset.
quod si dicas, quanquam poeta non est simul, ac quis personas est imita-
tus, poeta tamen non est vocandus ille, qui hanc non assumpsit materiã,
vt Empedocles, profecto & hoc valde durum videtur. Primum ꝙ Virgi-
lium circa Aeneida poetam esse, circa Georgica vero non esse valde mi-
rum est: deinde nõ ita existimasse ipse etiam Horatius videtur, cum pu
B blicam omnem, & communem materiam dixit propriam poetæ fieri, si
poetico more tractetur: quemadmodum & dolium illud priuati iuris sit
illius artificis, qui exactam rotunditatem dedit, os non patulum, & alia,
quæ communes artifices faciunt. ac demum ego non video, quid plus af-
ferat imitatio personarum, q̃ imitatio aliarum rerum: vt earum, quę sunt
à natura. quapropter, si tu forte audiuisti aliquid maius addi, potes nunc
dicere. B. Equidem & ipse hac de re sæpissime admiratus mecum co-
gitaui, ac siquid tandem dici potest, hoc mihi præ alijs præstare videtur
imitationem personarum, quòd maxime ad prudentiam hominum fa-
cit: si enim Regem introducat poeta orantem, elegantiam omnem, pru-
dentiam oẽm, decorũ omne repræsentabit. itidem faciet & in imperato
re, in milite, in patrefamilias, & breuiter in omnibus alijs: ad id comœdię,
ad id tragœdiæ sunt institutæ, ad id etiam Aepea omnis, qua de causa
non inepte fortasse dicunt qui finẽ poetæ statuunt prodesse per imitatio
nem. Tum Naugerius. Et si quidem concedi potest imitationem per
sonarum plurimum facere ad prudentiam hominum, non tamen illud
concedendum videtur, vt institutum omne poetæ sit propter prudentiã
faciendam, & ob id per se tantum illam imitationem procurare: nam cũ
duæ partes sint in homine, voluntas & intellectus, & voluntatis pruden

In omni arte duo sunt attẽdẽda ꝓ illarũ fine, & instituto dignoscendo, materia & dicendi modus.

Poetarũ oẽ institutum esse imitationem pſonarum pro curatore ad prudẽtiã faciendã, naturaliũ vero rerũ ad cognitionẽ gignendã.

tia ſit finis, intellectus finis cognitio & ĩtellectio, ſi poeta imitetur & na- C
turalia, non tantum perſonas, videbitur quidem omnem finem & omne
inſtitutum adimpleſſe, in imitatione quidem perſonarum prudẽtiam fa-
ciendo, in illa vero, quæ eſt naturalium & ſimilium, faciendo cognitio-
nem: imitabitur enim & in hoc perfectiones, & excellentias rerum. Po
ſtremo dentur tibi omnia, & prodeſſe per imitationem ſit poetę finis ali
quis, nondum tamen expreſſum eſt, quod per ſe & proprium eſt poetæ,
per quod ab alijs differt. nam & alij quoque id præſtant, ſicuti Hiſtori-
cus. cum ergo diuerſa ſit imitatio poetæ, & diuerſa hiſtorici, id aſsignare
oportet, quo differt poeta ab hiſtorico, & ſiqui alij idem faciunt. magis
autem oportebit hoc aſsignare, ſi nulla materia propria poetæ ſit, & om-
ne, quod quocũq; docetur modo, imitatio dicatur. quapropter nullo pa
cto ponere poſſumus à materia ſola ſumi poetæ finem. Nunc venio ad
dicendi modum, qui in poeta longe diuerſus ab alijs eſt: de quo ſimiliter
eſt inquirendum, vtrum ratio poetæ ab ipſo ſolo ſumatur, an & materia
certa requiratur. & certe ab eo ſolo mihi videtur rationem propriã poe-
tæ ſumi debere, materiam vero nullam eſſe determinatam, niſi forte in
vniuerſum, quæ tractata poteſt niteſcere. de principali materia loquor,
non de attributis: omnis enim materia poetæ conuenit, dummodo exor
nari poſsit: modus autem tractandi valde diuerſus eſt ab alijs. atque hoc
quidem eſt, quod quærimus, ac nondum nobis inuentum eſt. quare rur- D
ſus eſt cogitandum Bardulo, ſiquid aliud occurrat pro fine poetæ, quod
nec ſit delectare, aut prodeſſe, ſed maius quid atque præſtantius, quod ta
men non poſsit non delectare & prodeſſe. Cui Bardulo. Ita nimirum
videtur. non tacebo autem & hoc aliud quod ſubit: nam memini audi-
uiſſe Actium Syncerum, qui tum multo iunior Pontano erat, bonum il-
lum ſenem de poetæ officio ſolitum percunctari, illum autem tum mul
ta, tum id ſolitum reſpondere, officium poetæ ac finem eſſe appoſite di-
cere ad admirationem. quod & in eo quoq; dialogo, qui Actius inſcri-
bitur, ſcriptis mandatũ extat. Video, inquit tum Naugerius, ſenſim no-
bis aperiri poetæ finem. veruntamen, vt tenebras omnes de medio tolla-
mus, conſideremus & hęc quę Pontanus dicebat. neque enim adhuc fa-
cere videntur ſatis ad id, quod quærimus. nam non'ne & rhetores & hi-
ſtorici appoſite quoq; dicunt ita, vt & ipſi mirandi etiam videri velint? an
oblitus eorum es, quæ Cicero tàm præclara de oratore ſcribit: cui tantã
dicendi vim, tantam efficaciam attribuit, vt quò velit audientes rapiat, et
impellat, in pietatem, in admirationem, in furorem, in lachrymas demũ
ipſas: quin & ipſummet Ciceronem quis vnquam potuit ſine admiratio
ne perlegere? quod quidem nec minus ſolet hiſtorias legentibus eueni-
re.

Non à ſola materia circa quã, verum etiam à modo dicendi proprius poetarũ finis ſumẽdus eſt.

Nũ poetæ finis, quo à cæteris artificibus ſeiũgitur ſit de oĩbus appoſite dicere ad admirationem: vel potius qđ poeta vniuerſale ipſum contẽpletur, cæteri vero artifices particulare ſeu ſinglare cõſiderent.

A re.quo igitur pacto ò Bardulo in eo, quod est ad admirationẽdicere, seiunctum erit poetę officium ab alijs? si enim solos numeros addas,pueri lia iungemus.oportet igitur aliquid aliud venari, quod officium poetæ ac finem ita proprium ostendat,vt alteri nulli conueniat.Et Bardulo,videtur quidem, inquit, sed quod'nam aliud erit? nunquid illud fortasse, quod Aristoteles paucis verbis inuoluit? quod ego quidem subticui hactenus,ꝙ valde obscurum videretur.differre ille poetam ab alijs scribit, ꝙ alij singulare ipsum,poeta vero vniuersale consideret. Hic Naugerius nouam quandam animi hilaritatem vultu ostendens,vicinus quidem,inquit,est nobis Bardulo poetæ finis.sed quoniã multa locuti sumus, quiescendum paulisper videtur,atq; audiendus lyricen noster,vt recreati aliquantulo magis alacriores redeamus ad hos sermones.significauit igitur puero vt aliquid caneret.qui temperata suauiter cithara post dulcem ac breuem sonum,vocem in istæc soluit.

Huc ades ò Thelayra.quid ah quid grandia farra
Aestiuo sub sole teris: medioq; sub æstu
Nec parcis tibi sæua? ah te ne immitis adurat
Syrius:ah teneras ne rumpat pustula palmas.
Demens ò Thelayra patri concede laborem
Cui Cereris cura est:melior te cura Diones
B Sollicitet.tu dum feruet tritura sub æstu,
Dum crepitat seges & multo sonat area pulsu,
Clam te operis furare,& aquas effinge ferendas.
Hic nitidus fons est:hic plurima populus vmbram
Sufficit,& gelidæ summittit frigora ripę.
Vos auræ:Alpinis placidæ de montibus auræ
Hæc illi portate,aut, si pater obstat eunti,
Saltem æstum lenite,grauem lenite laborem.

Poeta hoc vno ab alijs artificib⁹ diuersus est, quia alij singulare ip̃m .i. apposite dicere q̃tũ cuiq; & f̃m quod cõuenit, Poeta vero vl̃e.i. ideam simplicem pulchritudinibus suis indutam, & de omnib⁹ apposite dicere, non quantũ expedit, sed quantum sibi videtur.

Hæc cũ suauissime cecinisset puer,conuersus in nos Naugerius ita secutus est.video o amici ĩ paucissimis illis tãti philosophi verbis illucescere, ac patefieri nobis poetæ officium,ac finem:alij siquidẽ singulare ipsum considerant,poeta vero vniuersale,quasi alij similes sint illi pictori, qui et vultus & reliqua membra imitatur, qualia prorsus in re sunt,poeta vero illi assimiletur qui nõ hunc,non illum vult imitari,non vti forte sunt, & defectus multos sustinent,sed vniuersalem,& pulcherrimam ideã artificis sui cõtemplatus res facit,quales esse deceret.quippe omnes quibus bene dicendi facultas tributa est,bene quidẽ atque apposite dicunt,quantum cuiq; conuenit:sed inter illos hoc interest, ꝙ præter poetam nullus simpliciter bene atque apposite dicit,sed in genere suo tantum, & quãtũ

attinet ad constitutum sibi finem, hic quidem docendi, ille persuadendi, & siquis alius eiusmodi finis est, poeta vero per se nullo alio mouetur fine nisi simpliciter bene dicendi circa vnumquodque propositũ sibi. vult quidem & ipse & docere & persuadere & de alijs loqui, sed non quantum expedit, & satis est ad explicandam rem: tanq̃ astrictus eo fine. verũ ideam sibi aliam faciens liberam & in vniuersum pulchram, dicendi omnes ornatus, omnes pulchritudines quæret, quæ illi rei attribui possunt. satis forte alteri fuisset de nemore locuturo dicere, aut sicubi nemus est, Virgilio vero non satis, sed ita scripsit. C

Aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus accubat vmbra.

Videte per quas pulchritudines nemus depinxit addens accubat, & nigrum crebris ilicibus, & sacra vmbra. quam ob rem recte Pontanus dicebat finem esse poetæ apposite dicere ad admirationem: sed addendum erat, simpliciter & per vniuersalem bene dicendi ideam, vt intelligeremus id, per quod poeta ab omnibus alijs differt, qui apposite loqui student. ij enim singulare imitantur, hoc est rem nudam vti est, poeta vero non hoc, sed simplicem ideam pulchritudinibus suis vestitam, quod vniuersale Aristoteles vocat. si igitur hæc pro poetæ officio facere videntur satis, nos ad alia transibimus: si vero non satis, sed planius agendum videtur, mihi quidem nullus erit labor rem totam à suo fonte deducere. Cui D Bardulo, gratissimum quidem, inquit, Naugeri & mihi, & alijs feceris, quando & vacat, & res ita postulat, si de tuo isthoc poeta, vt sese ad alios habet, & quo pacto, & qua de causa solus ipse simpliciter bene dicere voluit, planius egeris, & à suo principio. & ille, morem tibi, & alijs, inquit, geram Bardulo, sed oportebit paulo altius ordiri: non ab re tamen nec iniucunde. Illud igitur in primis dic mihi, putas'ne quicunq; sermone vtũtur, bene etiam recteq; vti omnes? B. Minime quidem Naugeri, qui. n. fieri potest, vt omnes recte vtantur? N. Quinam igitur recte vtuntur? B. Qui peritia quadam & arte dicendi vti valent, aut natura artem imitante. N. Artem igitur ais quandam esse circa sermonẽ? B. Aio equidem. N. Hanc igitur bene dicendi artem putas'ne vnam omnibus, an diuersis diuersam, vt philosopho suam, historico suam, rhetori suam, & poetæ suam, & ita de alijs? B. Diuersis quidem diuersam artem puto. N. Diuersæ igitur artes cum sint, censes'ne ita diuersas esse, vt prorsus in nullo conueniant, an in quibusdam quidem conuenire, quibusdam vero differre? B. Conuenire quidem omnes in aliquibus existimo, quæ communia dicuntur: in aliquibus vero differre, quæ cuique ꝓpria sunt. N. Sed & illud dic mihi, interest'ne alicuius speculari, & complecti illa communia?

Cõem quãdam benedicendi artem esse q̃ oẽs modos benedicẽdi contẽplat, aqua velutia Domina, & magistra cæteræ sciẽtiæ, & artes suum benedicẽdi modũ quãtũ sibi sufficit accipiũt

A communia? B. Alicuius certe. N. Tum & alicuius contemplari illa propria? B. Et hoc. N. Cuius igitur interest speculari communia? num eius, qui propria, an magis eius, qui communia considerat? interest ẽt propria cuiusque speculari, an diuersus est, qui communia, & qui propria contẽplatur? quod autem quæro tale est, vtrũ philosophus verbi gratia qui sua vult scribere, ꝓpriam habeat artem bene dicẽdi speculari, & simul etiam communia reliquis, an qui communia contemplatur, consideret etiam, quę philosopho propria sunt: an philosophus sua tantum cõsideret, communia vero alius, nõ ipse? B. Ex his omnibus Naugeri ego quidem existimo eum, qui cõmunia speculatur, speculari etiam quę cuique propria sunt. philosophum autem, qui particularis artifex est, nec suã artem bene dicendi propriam posse considerare, nec cõmunia, nec aliorum propria: suam autem artem bene dicendi nõ posse considerare, quoniam aliud est nosse ea, quæ à natura sunt, aliud bene dicere de ijs: quare communem quandam artem, & disciplinam esse existimo quæ simul & quæ communia sunt omnibus, tradat & quæ cuique propria. Recte existimas, inquit tum Naugerius. est enim veluti domina quædam & magistra cõmunis ars, quæ in vniuersum primo formas omnes, & ideas bene dicendi speculatur & docet: quæ mox vbi diuersos dicendorum fines considerauit, etiam simul & illud docet, quod cuiq; conuenit: à qua

B veluti à fonte quodam quicunq; scribit, accipit quod sibi bene est, & conuenit. B. Videtur. N. Similis autem hæc est Nauifactoriæ arti: quæ enim nauium formas, ligna, compagines spectet, vna quædam communis & magistra est ars, & qui eam nouit, magister & dominus. Rursus vero si magister hic diuersos nauium fines consideret, & ad eos fines naues formare velit idoneas, hanc quidem portandis oneribus aptam, illã vero fugæ, & celeritati nauigationis, aliam vero piscationi: hic iã in multa partitus est, pluresq́, sibi subiectas artes constituit, hanc quidem onerarias facere docta, illam triremes, aliam vero lintres. Eodem pacto & qui in vniuersum bene dicendi ideas nouit, si diuersis finibus permotus sit, plures sub se bene dicendi artes constituit: hunc quidem, qui gesta hominum docere vult, historicum dicendi peritum, illum vero, qui de natura vult scribere, peritum dicendi philosophum, & ita de alijs. vnde fit vt dominus, & dicendi arbiter fiat, & philosophus, & historicus, & alii: hoc est consideret, quæ ad philosophum, & historicum, & alios pertinent, quo dijudicare sciat, quid cuiq; conueniat bene dicturo. B. Ita prorsus se res habet. N. Communem igitur hanc bene dicendi principem artem, & magistram quo appellabimus nomine: & qui eam profitetur, quem dicemus? B. Oratoriã fortasse artem illam appellabimus, & qui eã ꝓfitetur,

Aptissimũ ad poeticæ artis dignitatẽ & munus cognoscendã exẽplum.

oratorem

oratorem vel rhetorem: quando nec aliud nomẽ impositum illi video. C
N. Possumus quidem ita appellare, sed distinguendus erit hic orator dominus atque arbiter bene dicendi ab eo, cui ferè cum populo, & iudicibus res est: nam & ipse Orator & Rhetor appellari vult, plurimum autẽ differunt alter enim seruus est, alter dominus, alter actor, alter praeceptor. & illius qui seruus est, finis est persuadere, eius vero qui dominus, finis est ea docere, per quæ bene dicitur, communia quidem omnibus, & illi actori de quo loquimur. quinimo & idem magister & dominus si sua scribere velit, sibi pariter legem imponit, & sibi seruus fit, & pars bene dicendi non secus, ac alij: neque dominus & patronus est nisi quatenus docet, & speculatur. si igitur oratorem, vel rhetorem volumus hunc appellare, nihil quidem prohibet, dum intelligamus dominum ipsum. Ergo huius oratoris (vt cursim eius munera obeamus) officium est voces in primis per quas dicitur & vocum differentias, & naturas considerare, quæ propriæ, & impropriæ, quæ nouæ, quæ antiquæ, nostrates, peregrinæ, vsitatę, dissuetæ, primæ, deriuatæ, simplices, compositæ, trãsumptæ, lenes, asperę, sonoræ, demissæ, musicæ, ĩmusicæ & id genus alia. ad hæc autem & vocum texturas eiusdem est perpendere, & mutare, & transponere, & differentias considerare, & concinnitates earum inuenire, & musicas, & pedes, & numeros, & demũ figuras omnes: & quo adiecto, aut detracto suauior, & insuauior oratio fiat, grauior, vilior, clarior, D
obscurior. nec minus rerum, de quibus dicitur, differentias & naturas nouisse eũ decet: quæ magnæ, quæ tenues, pulchrę, turpes, lætæ, tristes, piæ, seriæ, ludicræ, facetæ, infacetæ, dictu faciles, difficiles, & reliquas eius generis differentias. ordines præterea dicendorum considerabit, dispositiones, continuationes, pausas, digresiones, & figuras. omnes caracteres præterea animaduertet, qui magni, qui tumidi, qui demisi, qui graues, qui humiles, faciles, difficiles, floridi, sicci, duri, asperi, clari, obscuri, affectati. postremo & eius officij erit dicendarum rerum fines animaduertere, vt disciplinas condere, acta scribere, gratulari, condolere, solari, persuadere, laudare, vituperare, accusare, defendere, affectus animorum mouere, tum & horum omnium loca ponere, vnde vnumquodque eliciatur. Ergo his omnibus ab illo patrono oratore digestis ac constitutis si ad eum accedat historiæ cuiuspiam scriptor petens, quo pacto apposite scripturus sit quantum sufficiat historiæ, quid putas oratorem hũc sic petenti traditurum? num forte ornatus omnes atq; elegantias dicendi, quas ipse in vniuersum est contemplatus, an id tantum, quod pro eo fine sufficiat? B. Quantum quidem pro eo fine est satis. N. Qm̃ igitur finis eius est gesta scribere ad prudẽtiam, quantum quidem ad hoc pertinet, sat illi

Ex duobus oratorũ generibus qs verus orator, & bene dicendi ars sit.

Peritum dicendi quæ scire oppor teat, vt omnibus conuenientem modum tribuat.

Vniuersalis bene dicẽdi artifex q̃tũ singulis artificibus de bene dicendi mõ tribuere debeat.

factum

A factum erit, si propria, si candida, si graui, ac vera oratione vtatur: cui interdum nec sua desit musica. licebit & interdum, vt effingat conciones & non nulla consilia: vt prudentiam maiorem doceat: verum ita licebit, vt grauitatis historiæ, & veritatis nihil detraxerit, reliquas vero pulchritudines illi negabit. Quòd si & philosophus ad eundem oratorem accesserit sua scripturus, & huius quoque res & finem nosse orator ille volet: cui dicet castiori adhuc oratione vtendum, propria autem, & non multis transumptis, non multis epithetis referta. At si & actor etiam ille, qui rhetor vocari vult, nostrum hunc consulat oratorem, audiet neque sibi ornatus omnes concedi: vtendum autem eleganti quidem oratione, sed non affectata, propria vero atq; efficaci: dispositiones vero & figuras docebit, & argumentationum genera, quibus vti conueniat: loca ostendet vnde animi affectus moueantur, reliqua illi negabit. Vide igitur Bardulo omnes hi coerciti, & astricti sunt fine: nec simpliciter pulchrũ sermonẽ considerant, sed pulchrum in genere suo tantum, quod singulare ab Aristotele appellatur. at vero si aliquis alius sit, qui oratorem hunc nostrum bene dicendi arbitrum, & patronum adeat; dicatq; se loqui de rebus velle, de quibus & alij; sed ita vt nulla gratia, nullus decor, & ornatus sermoni desit, quæ putas oratorem hunc sic petenti daturum? B. Veneres certe omnes, vt vno verbo dicam. N. Hunc autem ita donatum, quo nomine appellabimus? B. Nescio equidem, nisi poetam intelligas. N. Poeta certe hic est, cuius officium erit ac finis nulla eorũ prætermittere, quæ simpliciter pulchrum ac perfectum sermonem faciant: sed video te (nisi è facie fortasse fallor) habere aliquid qđ dubites. B. Non falleris profecto: nam qđ dicis affectare poetam sermonem simpliciter pulchrum, dubitationem quandã mihi ingerit. cum. n. in sermone duo sint (vt dixisti) materia siue res de qbus dicitur, & dicendi modus, si in vtroq; poeta simpliciter pulcher esse vult, in angusto valde erit poetica res. nam primum res ipsæ, q̃ simpliciter pulchrę sunt, paucę admodũ sunt, Dij scilicet, & heroes, & horum actiões, deinde & dicẽdi modus, qui simpliciter & in omnibus pulcher sit, valde rarus erit, & ferè vnus: quare neq; comœdia, neq; tragœdia pars poeticę erunt, neq; ęgloga, & magna lyricorũ pars. tum neq; illud eueniet, qđ supra dicebas, vt materia omnis quantũcunq; publica, propria & poetica fieri posit. N. Recte quidẽ & opportune addubitas, Bardulo. verum ipse cum simpliciter pulchrum sermonẽ dico, ita accipi volo, vt pulchrum illud concordet tñ & conueniat cum re, de qua dicitur & cũ alijs adiectis, & non tantum scđm se pulchrum sit. sicut. n. vestis aurea, q̃q̃ per se pulcherrima sit, apposita tñ rustico nõ modo decorem, & ornatũ non afferet, sed risum concitabit magis: ita & si rebus comicis

Verus poeta is sol⁹ orator est, qui cunctis artificibus, & scriptorib⁹ bene dicendi modum tribuit, cũ sit eius munus circa sermonẽ versari.

Poeta affectare pulchrum sermonẽ q̃uo dicatur.

poeticæ artis partes duę ſunt, & quomõ illas exequaẽ.

micis maieſtatẽ heroicam addas,oĩa facies indecora.hac ergo cõcinitate, C
& cõuenientia ſi omnia ſcribas,& comœdia,& lyrica,& alia,partes erũt
poeticę ſi ſimpliciter pulchra in eo genere elegeris.quippe in omni gene
re ſunt quædam pulchra,quædam pulchriora, quædã pulcherrima, quæ
conueniant.qui ergo pulcherrimis vſus fuerit in eo genere, poeta erit,ta
metſi pulcherrima illa non ſint pulcherrima rebus omnibus, & generi-
bus omnibus comparata. ſic enim verũ dicis in anguſto fore res poeticas
genus enim illud abſolute pulcherrimum ferè vnũ eſt,vt forte heroicũ,
per illud tamen non ſemper ſcribere poeta vult,nec cõuenit, ſed ſatis eſt
illi,ſi ſimpliciter pulchris in quolibet genere vtatur.quare ęquiuocatio il
lius verbi ſimpliciter te decipiebat: interdum enim ſignificat, quod vni-
uerſaliter abſolute tale eſt,interdum quod tale in ſuo genere.ſi igitur ſa-
tisfaciunt hæc tibi,reuertamur iam ad id,vbi reliquimus poetam cũ ora-
tore illo patrono dicendi loquentem. B. Reuertamur quidem,quãdo
ſatisfaciunt omnia. N. Verum igitur dicebas Bardulo,oratorem illum
noſtrum veneres omnes ſermonis poetę dare.primũ igitur hic voces mo
dulari cœpit, muſicas ſeligere, immuſicas omnes reijcere aut abſcõdere
quantum potuit, tranſumptas maxime amare,& proprias:ad magnas ſo
no,& ad lenes animaduertere: & in ſumma ad reliquas earum pulchri-
tudines. tum voluit & pedes cõſiderare & numeros, tum verſus facere,
& videre, quid cuique ideæ conueniret:ad res vero ſpectans non niſi pul D

poetæ his tẽporibus pauci ſunt.

chras,& magnas,quantum dabatur,eligere voluit,ijs nõ niſi pulchra, &
miranda attribuere, quæ ſi deeſſent,voluit etiam fingere per trãſumpta,
per digresſiones, per cõparationes perquirere. reliqua porrò quæ ad ex-
cellentiam ſermonis faciunt,nulla pręrtermittere.diſpoſitiones,cõtinua-
tiones,figuras & alia ornamenta,quæ præſentis diei nõ ſunt:quas omnes
vocum rerumq; pulchritudines poſtquã ſimul coniunxit & per illas lo-
cutus eſt, miram quãdam ſenſit,& pene diuinã harmoniam ſubeſſe, cui
par nulla eſſet alia,tum & ſeipſum quodãmodo extra ſe rapi animaduer
tit,nec ſeſe continere poſſe, ſed ebacchari non aliter, ac ſolent in Bacchi

Furor poeticus.

& Cibeles ſacris,vbi calamo ſtrepit phrix,vbi tympana reboãt.Hinc ille
ò amici platonicus apud Ionem furor, quẽ Socrates cœlitus miſſum pu-
tat.non eſt autem Deus vllus cauſa furoris huius, ſed ipſa muſica ingen-
tis cuiuſdam atque exultantis admirationis plena,quæ pulſum numeris,
velut ęſtro impotente cõcitum, nec ſeſe capientem animum quatit: atq;
id facit, quod & ecſtaticis ſolet præ admiratione cõtingere. quem ob fu

poetæ, deorum Filij dicti ſunt.

rorem diuinos,quaſi Deo tactos,& vates poetas dixere, & qui de primis
rerum inuẽtoribus tractauere,omnem poetarum originem in Deos re-
tulere,Linumq; & Orpheum,& antiquiores illos poetas Deorum filios
prodidere.

A prodidere. quippe cum iure diuini dici poetæ mereantur: qui ſoli eam dicendi diuinitatem inuenere, qua & Dij per oracula ad homines loqui dignati ſunt. Hæc cum dixiſſet Naugerius, pauliſper ſermonem cõtinuit quaſi cogitabundus: mox rupto ſilentio ita rurſus ſecutus eſt. hic ergo finis ô Bardulo atque officium poetæ conſtituendus eſt, appoſite ſimpliciter dicere ex conuenientibus in vnoquoque. ex quo & illud manifeſtũ eſt neminem eorum, quibus bene dicẽdi facultas eſt, ęquari poetæ poſſe. ſiquidem alij omnes bene quidem atque appoſite fortaſſe dicunt, verum non ſimpliciter, ſed in aliquo tantum, & quãtum pro nudo fine eſt ſatis, poeta vero ſimpliciter ſolus. qua de cauſa quicũque dici poeta volet, qua uis ſibi propoſita re ſciat ornatus omnes, pulchritudines omnes quæ ad eam quocunque modo attinent, ſibi eſſe cognitas oportere: alioqui maximas & pulcherrimas deligere nunquam poterit: quod neceſſarium eſt poetæ, quando neque ille poeta eſt, qui mediocribus vſus fuerit: hac de cauſa ſolis poetis effingere conceſſum eſt. ſi enim rebus pulchra defuerint, & magna, aut eædem res maiores, & venuſtiores ſint euaſuræ adiectis quibuſdam, adijcienda certe ea ſunt, vt tandem pro poetæ fine dicatur. hãc ob cauſam & animata poetæ plurima faciunt: numen rebus pluribus addidere, ſyluis & fontibus venerationem: Deos humanis immiſcent, qm̃ hęc tum magnitudinem, tũ admirationẽ afferre ſermoni ſolẽt.

Poeticæ artis proprius finis.

Quis dicendi peritus poetis æquari poſsit.

Solis poetis effingere cõceſſum eſt.

B Sed nos longiori fortaſſe oratione aures veſtras detinuimus, qui parati forte expectabatis percũctari aut adiungere pulchriora. Cui Bardulo (in quem ille finem faciens videbatur conuerſus) equidem, inquit, Naugeri cum magnopere gratulatus poetæ ſum, qui paulo ante quaſi deſipere videbatur mihi: tum tuæ orationi nihil addendum puto. cuncta tamẽ bene perorata cenſebo, ſi hoc in filo vnum hunc nodum explicatum mihi reddideris. eſto enim poetam mire, appoſite, muſiciſsime dicere, atq; hoc eſſe officium illius, cuius tamen vtilitatis, aut vſus per Deos id nam eſt Naugeri? dictum eſt enim in primis (ſi recte memini) poetam non ex propoſito ſed conductitio quodam munere prodeſſe: igitur quanq̃ pulcherrimus, & diuinus etiam ſit poetarum ſermo, dum tñ ad nihil vtilis ꝑ ſe ſit, niſi eo fortaſſe ꝙ delectat, rurſus in puerilia relabi videmur. quem admodum igitur & nauifactoriæ artis tuus ille magiſter, vbi naues omnes conſtituiſſet, quæ ad finem aliquem atque vſum confici poſſent, onerarias, triremes, & lintres, ſi poſtremo ingentem quandam & formoſiſsimam nauim ſtruere velit ad nihil autem vtilem, operam quidem & dies perderet: ita à tuo illo oratore dicendi domino conſtitutis alijs artibus, quæ bene dicendo eſſe vſui poſſunt, ſi poſtremo poeta exiliat, fruſtra quidem pallere, ſeſe à republica abdicare, diſciplinas omnes diſquirere,

De poeticæ artis ſuper oẽs alias artes, & ſcĩas vtilitate, & excellẽtia. nũ itẽ quæcunq; effingendo ſcribunt poetæ vera aliquo pacto ſint, quos ẽt poetas à repub. excludebat Plato.

Poeticã artem quã maxime vtilẽ eſſe.

videbitur mihi:si tandem eò res cadat, vt pulcherrimum quidem, & diuinum etiam (si ita vocare libet) cantum edat, vtilem autẽ ad nihil. nam eum quidem, qui rei rusticæ perdiscendæ desiderio mouetur, nõn aditurum puto aut Hesiodum aut Maronem, sed aut Magonem magis Carthaginensem, aut Varronẽ. nec similiter qui vitæ erudimenta sectatur, ad Homerũ confugiturũ, sed ad academiam magis & Stoicos. ad Theophrastum uero & Aristotelem, non ad Empedoclem & Lucretium, qui rerũ naturas nosse voluerit. quare ipso sciendi desiderio ab omnibus poetam relictum iri video, ad voluptatem solam perlegendũ, quo pacto saturi solent iubere secundas mensas accedere. Hic subridens Naugerius num tibi, inquit, Bardulo philosophia magna quędam & diuina scientia videtur? B. Videtur quidem. N. Quisnam igitur, si hominum commoda & vtilitates spectes, vsui magis venire uidetur tibi, philosophus'ne an faber lignarius & architectus? B. Hi certe magis. N. At tu quisnã fieri malles, faber'ne & architectus, an philosophus? B. Philosophus certe magis. N. Eadem ergo & de poeta ò Bardulo dicenda sunt, quę de philosopho. nam profectò si ad usus ciuitatum, & necessaria spectemus, longe inutilior erit poeta, quàm multi alij, sicuti & philosophus. disciplinarum enim & artium quædam utiles uocantur, quædam uenerabiles, quę & liberales dicũtur, quòd liberis & ingenuis hominibus dignę sunt. Verum enim uero ò amice Bardulo, & uos alij, quãquam ita sit de poeta, ut uulgari illâ utilitate quàm plurimis cedat, si tamen ostenderimus inter omnes, qui dicendo utiles esse solent, poetam omnium vtilissimum esse, & maxime prodesse, quatenus quisque scribit, quid dicetis? B Mira promittis Naugeri: sed cur dictum est, quatenus quisque scribit? N Idcirco quidem ò Bardulo adiectum est, quia duo cum sint in sermone, cognitio & peritia rerũ, de quibus dicitur, & dicendi modus; ego quidem nunc nõ comparo poetam alijs circa peritiam rerum, de quibus dicitur: sed comparo genus dicendi solum, ac dico genus dicendi utilissimum omnium esse, & maxime prodesse: quin & plura docere, & pulchriora, & meliora. B. Age igitur Naugeri singula aggredere: ac rem ut promittis ostende. N. Enitar quidem, ac me etiam ita facturum spero. duo igitur prædicta cum circa sermonem uersentur, primum de modo ipso dicendi loquamur, mox de rebus dicemus. ac certe si verum est, quod diximus, poetã circa simpliciter pulchrum uersari sermonẽ, hinc primum apparere potest, cuius utilitatis sit poetarum sermo, quatenus sermo est. in ipso enim est nosse excellentias omnes, pulchritudines omnes in omni orationis parte. quoniam autem qui rectum & pulchrum noscit, simul & quod obliquum & turpe est, noscat necesse est, immo iudicare.

C

Poetæ ac philosophi esse omnes vellent, & si humanæ vitæ inutiles prorsus esse videant.

D

Poeta inter oẽs qui ĩ dicẽdo vtiles esse consuerunt, vtilissimus est ac maxime ꝓdesse quatenus quisque scribit.

Maxima ẽ smõis poetici vtilitas.

A dicare posse omnes alios sermones, quantum à summo distent. si igitur magnum quiddã atq; optabile est sermo, per quem à cæteris animalibus homo differt, & inter homines alter ab altero; magnam certe utilitatem consecutus est qui excellẽtias, elegantias, & pulchritudines sermonis nouit. adde ꝙ qui poeta est, paruo negocio omne aliud dicendi genus assequi potest: non ita alij, quod poetæ est. nunc ad res ueniamus. in quibus dictũ est sicut in modo dicendi, ita & in ijs poetam pulchritudinẽ, & excellentiam nullã, quæ attribui rebus possit, prętermittere.

Poetæ, quã vtilitatẽ ex rebus, circa quas versãtur, hominibus afferãt.

si igitur ea imitetur, quę ad uoluntatẽ attinent, & prudentiã ac virtutes alias facere possunt, incõparabilis profectò utilitas est, quã præstat hęc imitatio, & reprę sentatio: exempla enim, & ea quę in re uidemus, multo prudentiores, & longe practicos magis nos faciunt, q̃ quæ docemur. nihil autẽ refert siue Imperatorem sic & sic consulere pro victoria videamus, siue inducatur à poeta. atq; ita de alijs dicatur. qm̃ igitur maxima in vno quoque & pulcherrima sectatur, hinc fit, vt plura in ijs quę ad prudentiã, & alias virtutes pertinent, demonstret genus dicendi poetarũ. propter eandẽ causam & si ea imitetur, quæ ad intellectum attinent, plura quoq; docet: qm̃ pulchritudinem nullam omittit quę attribui rebus possit: cum alij omnes in angusto valde versentur, vtpote qui non omnes, sed quasdã solũ pulchritudines sectentur: cuius signũ esse potest, ꝙ qui Troianum excidium nu-

B da & restricta oratione scripsere, breui uolumine totã historiam cõplexi sunt: Homerus autem Iliadem conflauit: & Varro Catoque paucissimis chartis præcepta rei rusticæ explicuere, Maro vero Georgica condidit. quare longe plura sunt quę docent poetę, q̃ quiuis alius propter dictam à nobis causam.

Poeta, quo ad dicẽdi genus oẽs in docendo excedit, & plura docet.

B. At vide Naugeri quo pacto plura dicas à poeta doceri. plura. n. fortasse dicis ea ẽt accipiendo, quæ extra rem sunt: quam video fabulam à quibusdam dici: quantũ vero ad propriam cognitionem eius rei, quæ docetur, nescio quõ plura à poeta tradãtur: præsertim cum supra dictum sit multa à poeta ex intento reijci: qđ & in Virgilio & alijs est videre: qui paucissima quidem quantũ ad rem ipsam attinet, prosequũtur, multa alia adijcientes ad ornatum: sicuti & pictores faciũt: qui vbi quod primo intendunt, pinxere, aut hominem, aut equũ, aut aliud, tum lacus & montes, & viridaria circumpingunt, & addunt ad ornamentum.

Quæcunq; poetæ exornationis cã extra rẽ circa quodcunque dicere videntur, ad perfectiorẽ rei notitiã ducunt.

N. Negare quidẽ nõ debemus multa à poeta reijci ex intẽto, ea scilicet quę aut turpia sunt, aut tractata (vt diximus) nitescere non possunt: verũ si ijs quæ reijciuntur ea cõparentur, quę addunt ab ipso, longe plura hęc sunt. quare plura omnino poeta docet, q̃ quis alius. Quòd vero addita illa sint extra rem, cõsiderare oportet Bardulo quid tu intelligas extra rem esse. si .n. extra rem intelligas ea, quę extra singulare & nudã rem superaddunt,

profecto sic ēt sat erit plebeio sermone vti ad explicandas res: reliquæ.n. elegantiæ necessariæ non sunt. similiter & domibus si colūnæ addantur, si peristilia & alia, extra rem erunt: sufficit enim pro fine domus, quæ ab imbribus & frigoribus nos defendat, simplex domus. at uero si res ipsas consideremus tales, quales esse deceret, & quantum ad perfectionem spectat, illa quidem addita non solum extra rem nō erunt, sed essentialia & necessaria. an debemus putare nobilium uestes extra rem esse, cum sufficiāt rusticanæ? non'ne uides sicut in ijs, quæ à natura sunt, sua est perfectio & decor, ita & in ijs esse, quæ ab arte sunt? quam perfectionē & decorem soli magni artifices norunt: quæ si à rebus auferas, profecto animā quodā modo propriā ijs abstulisti. quare quæ & pictores & poetæ rebus addunt ad perfectionē, non extra rem sunt, si rem consideres non nudam (ut plebei artifices, aut qui sine aliquo coerciti & astricti sunt, faciunt) sed perfectam & animatam: qualem cōsiderant summi artifices, præcipue autem ex omnibus poeta, qui admirandus in omnibus esse uult. si ergo illa rebus attributa perfectionem & nobilitatem rerū ostendunt, non'ne utilitas magna quidē & exoptanda à cunctis censeri debet? quapropter ut ad rem nostram reuertamur, manifestum esse potest, quod primum promisi mōstrare, plura à poeta doceri, q̃ à quouis alio, qui scribūt. sequitur, ut iā & illud monstremus, pulchriora esse, q̃ à poeta docentur. qđ quidem arbitror à te sine multa difficultate cōcedendū. siquidem dictum est alios sermonē s̄m aliquid tantum & in parte pulchrū affectare, poetam vero simpliciter pulchrum: dico aūt pulchrum & quantum ad res, & quantū ad dicendi modū. siquid tñ & in hoc dubitas audacter proferto. B. Equidē non satis scio Naugeri, an ita facile tibi concedā pulchriora esse, quę poeta imitatur & sumit: qñ illa quæ tu pulchra vocas, pręcipue illa sunt, q̃ à poetis superadduntur, quę & fabulę dicuntur. oīa quidem partim efficta, partim ēt falsa, & supra veritatē. nā ꝙ multa effingant poetę, q̃ nullo pacto sūt, tute ēt dixisti. ꝙ vero & aperte falsa, & impudenter quidē assumant, manifestū esse potest in ijs quę de Aenea, & Didone Virg. scribit: quos constat multo tpe discretos fuisse. quæ oīa cum falsa sint, ego quidē non video, qūo pulchra esse possunt. falsum.n. omne turpe est, cum ex ijs constet, quę non sunt: quare & nulla vtilitas esse videtur in addiscēdo falsa. Ignosces tñ mihi Naugeri, si peruicacior aliquantisper sim in tuū poetam. N. Dānat nimirum peruicaciā. Socrates inter amicos, eādem tñ tolerat, cum gratia veritatis inquirendę cōmittitur: quare nō venia Bardulo, sed cōmendatione magis dignus es, qui tàm nauiter ꝓ inquirenda veritate contēdas. Duo aūt videris obijcere in poetas Bardulo, alterum ꝙ multa effingāt, alterum ꝙ & aperte falsa assumant. vtrunq; aūt cum ex ijs

Plura & vtiliora doceāt poetę q̃ quiuis alius artifex.

constet,

A cõſtet,ꝗ non ſunt,pulchrum eſſe non põt.primùm aũt de ijs,quę effingũtur dicamus:in quo illud in primis ſciendũ eſt,neq; oĩa effingi decere,neque ab oĩbus.In vniuerſum aũt nihil effingendum eſt aut aſſumendum ab eo,qui poeta dici meretur,quod aperte à veritate alienũ ſit:queadmodum video à nõ nullis fieri,qui & flumina ſiccari amantiũ incendijs ſcribunt,naues ſuſpirijs pelli,& ſimilia.oĩa vero quę effingi licet,aut alia per apparentiã ſunt,aut ſignificatione,&alegorijs talia,aut ẜm opiniones hominum vel oĩum,vel multorum:alia talia ſunt ſcđm vniuerſale ipſum, & ideã ſimpliciter pulchram, non ſcđm ſingulare.per apparentiã quidẽ ſunt,vt illud,Ter cœlũ illiſum,& rorantia vidimus aſtra:ſignificatione vero & alegorijs, vt fabulę,præſertim antiquę,quarũ aliæ myſteria quędam ſacrificiorũ & religionum ſignificant,quædã naturas reconditas rerum,quas non ab oĩbus intelligi voluere:aliæ notant hiſtorias quaſdã regum & eorũ vitia,aut virtutes.transformari vero figuras antiqua opinio fuit,lucos eſſe ſanctos,tutelã fluminum & fontium eſſe Deos quoſdam, quoſdã habere noſtri curã,vt Lares &Penates,Panes,& Satyros fuiſſe,et Syluanos nõ pręter opinionem mortaliũ fuit:Deos cũ hominibus cõuerſari,cũ ijs loqui,quoſdam & cũ mulieribus coire receptum fuit:eadẽ exiſtimatio de oraculis,de auſpicijs habita.atq; hęc fere & ſimilia ſunt,quę à poetis finguntur.quæ vero adduntur ſupra ſingulare,oĩa à natura rei tra-

B huntur aut per tranſumptionẽ,aut per epitheta,aut per alia,quę ad ſimplicẽ naturã attinẽt, attributa à cauſis, ab effectibus,& eiuſmodi alijs cõueniẽtijs.Falſum igitur nullũ horũ dici debet: falſum.n.eſt, quod nullo modo eſt.hæc aũt aliquo modo ſunt,aut per apparentiã, aut per ſignificationem,aut ſcđm opiniones hominum,aut ſcđm vniuerſale·quare nec mendaces poetas dicere æquum eſt,quippe qui,vt nomẽ quoq; indicat,ꝑfectores ſunt magis. De ijs vero, ꝗ aperte falſa dicebas,ut de Didone & Aenea,ſcire debes à poeta nunꝗ̃ aſſumi apte & vulgo falſa:ſed ſiqua forte aſſumuntur,oĩa eiuſmodi ſunt,vt non facile cõfutari poſsint: ſed ſunt aut longa tꝑis intercapedine oblita,aut valde obſcura,aut valde externa & longinqua.ea vero,quę & uiuentes & ꝓpinqui poſſunt apte redarguere,& falſa iudicare,nemo quidẽ qui vere poeta ſit,vnꝗ̃ aſſumet: mendacium.n.oẽ turpe eſt,& admirationem amittit. quare ne deinceps dicito falſa à poeta aſſumi.iamq; qñ & plura,& pulchriora monſtrauimus docere poetam,quod poſtremo ſupereſt oſtendamus,meliora ẽt eſſe,quæ ſcribit:meliora aũt voco,quę cum perfectiora ſint, sũt ẽt nobis chara magis, & grata.Quòd aũt perfectiora ſint,demonſtratione nõ indiget:qñ monſtratum eſt poetam circa ſimpliciter pulchra & maxima verſari:chariora vero nobis,& accepta magis eſſe hoc vno exẽplo doceri poteſt.ſi.n.philo-

Quæ effingunt a poetis a veritate aliena,ꝑſus eſſe non debent.

Quæ effingunt poetæ multipliciter vera ſunt.

Didonis, & Aeneæ Fabulę an veræ ſint.

Grata etchara magis tradunt nobis poetæ,ꝗ cæteri artifices.

ſophus

ſophus quiſpiã nos erudiens ſimplici oratione doceat mẽtẽ quandã eſſe C
per omnia diffuſam, adamabo quidem rem iſthanc, vtpote rem magnã edoctus. at vero ſi idẽ ille poetico modo eãdẽ mihi rẽ referat, & declaret.

Principio cœlum ac terras camposq́; liquentes
Lucentemq́; globum lunæ titaniaq́; aſtra
Spiritus intus alit: totamq́; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Si inq̃ eandem rẽ hoc pacto referat mihi, non adamabo ſolũ, ſed admirabor: & diuinũ neſcio quid in aĩum mihi ĩmiſſum exiſtimabo. quam ob rẽ ò amici ſi poeta plura docet, ſi pulchriora, ſi chara magis, non eſt arbitrãdum ita eſſe, vt paulo ante aiebas Bardulo, muſicũ quidẽ & diuinum cãtum edere, vtilem aũt ad nihil: qñ incredibilis & incõparabilis eſt ea vtilitas, quã poetæ afferunt, ſi recte intelligãtur. quinimo & hoc aliud addã Bardulo qđ Dijs teſtibus ſyluæ huius affirmo, ſancioq́;, nulli ſi forẽt poetæ, non habere mundi pulchritudines, qui eas noſſent: qđ quibuſdam nationibus accidit, vbi poetæ non ſunt, neq; ẽt elegantiæ vrbanitates've vllæ, nec pulchrum quicq̃. Dico autẽ poetã nunc non ſolũ, qui ſcribit, & numeros condit, ſed & illum, qui natura poeta eſt, tametſi nihil ſcribat. eſt aũt ille natura poeta, qui aptus eſt veris rerum pulchritudinibus capi moueriq́;, et (ſiqñ loqui accidit) per illas loqui, & ſcribere poteſt. pulchritudinum vero aliæ veræ ſunt, alię apparent. poeta aũt eſt, qui veris moue- D
tur. ſunt & artificum omniũ alij poetæ natura, alij non: poetæ quidẽ, qui ad ideã proprij artificij reſpicientes nullã pulchritudinẽ prætermittere volunt. ad propoſitũ ergo reuertẽdo ſi nauifactor ille Bardulo magiſter & dñs, quẽ ſupra dicebas, vbi ingẽtẽ illam & pulcherrimã nauim cõſtruxiſſet, ac talẽ pariter conſtituiſſet, vt ſimul ẽt valde vtilis foret, nõ'ne prę ter pulchritudinẽ admiranda quoq; videretur, & magnopere deſideranda, ꝙ adeo vtilis foret? B. Oĩno. N. Ergo & poetã ꝙ primum de omnibus rebus ſcribat, deinde non tñ ipſas, ſed & oẽs earum pulchritudines ꝓſequatur & doceat, doceat aũt tam diuino, tam admirãdo dicendi modo quis non veneretur, & veluti Deũ quendam exiſtimet? adibit autem illũ & qui res ruſticas noſſe volet, & qui res naturæ, et qui vitæ erudimẽta, & alij, ſi de his poeta ſcripſerit: verũ non illi adibunt qui nudas & quodã modo rudes nouiſſe res volent, ſed qui perfectas, & pulchritudinibus ſuis ornatas quaſi viuẽtes ſpectare ſtuduerint: quare nõ ita eſt Bardulo vt ſupra aiebas, poetam tanq̃ bellarium quoddã ad voluptatẽ ſolam vocari: nec ſuperfluum quiddã molitum putare debes Virgil. ꝙ de eadẽ re ſcripſerit, de qua & Cato, & Varro, & alij prius cõmentaria ediderant. non enim propter hoc abſtinuiſſe poetam decuit: ſed & ſibi ſcribendum fuit,

Verus poeta quis eſſe dicatur. nũ ille qui natura, an qui dignum aliquid poetice tradit.

A poetis omnes accipiunt, quid dignum aliquid pfectiſſimo modo cognoſcere cupiunt.

ne

A ne earũ rerũ pulchritudines, quæ tot relictæ ab alijs fuerant, perpetuó in tenebris iacerent. Videbatur his dictis Naugerius intermissionẽ orationi facturus: cũ Bardulo magnifice, inquit, Naugeri pro poeta nauatum est: & certe bene peracta mihi uideretur dies, si vmbræ pauxillũ nescio quid, quod adhuc reliquũ est, de animo mihi leuaueris. Quidnam illud est, respondit Naugerius. & ille, dicã, inquit. nã per Deos quid causę est, quid iniuriæ, si diuinus, si admirandus, si & adeo vtilis poeta est, cur tamen Plato & iustus quidẽ & poetarũ etiam amicus sua à rep. poetam arcet, neq; vllo cõmercio sibi coniungi sinit? Cui subridens Naugerius inquit, bñ abs te factum Bardulo nunc est, qui hæc in mediũ induxeris: nunquam enim hodie contentus recessisset poeta à nobis, nisi postremo expurgatus & hac macula abijsset. non sum nescius Platonem nolle ad magnam illam & admirabilem rempublicam suam poetam accedere, sed iubere, vt ad alias ciuitates se transferat. quã rem cum mecũ ipse cõsidero, tria potissimũ mihi illa uidẽtur, quę obijcit in poetas Plato. Primũ quidẽ ꝙ, cũ sit imitator poeta, illas ignoret res, de quibus dicit. et si enim magnifice loqui potest, & omnia miranda facere, res tamen nescit: qm̃ imitationis natura est, vt illa nesciat quæ imitatur. quippe tres sunt ideæ rerũ, vna in eo, qui fines noscit, & res ordinat ad finem: vt musicus: qui citharam ordinat, & finem noscit cur talẽ ordinet: alia idea est in eo, qui fa-

Quos poetas a repnb. excludebat Plato.

B cere quidẽ res scit, finem autem non noscit: vt faber lignarius. tertia in eo est, qui imitatur, qui nec facere quidẽ scit, nec finẽ nouit, vt poeta, & pictor. Secundũ uero quod Plato obijcit, illud est, ꝙ imitatio semper in peiora prolabitur. vnde & tertiũ enascitur, ꝙ poetę sæpissime indecẽtia scribãt, & secus Dijs & heroibus tribuãt, ac par est. Iustũ igitur ò amici vr̃, vt de his rationẽ diligenter habeamus, qm̃ & ipse Plato poetarum amicos rogat, vt ipsos defendant. nos quidem poetę non sumus, sed poetarũ amici. quare nostrũ esse ducimus amicorũ partes tueri. In primis igitur cum Plato dicit nescire poetas res, de quibus scribunt tam magnifice, si quidẽ dicit nescire, quatenus poetæ sunt & periti dicendi, verũ profectò dicit: si vero oĩno nescire dicit, verũ quidẽ nõ astruit. diximus enim oportere nõ solũ poetã, sed quicunq; rem ullã docent, illã nouisse. nihil autẽ refert an nesciat quatenus dicẽdi peritus: nã neq; philosophus ipse quatenus dicẽdi peritus, scit res naturæ, sed quatenus res illas edoctus: nec qui historias eloquẽter scribit quatenus eloquẽs scit ea quæ scribit, sed quatenus ea doctus. igit̃ & poeta si de re rustica aut de natura scribat, quatenus q̃dẽ poeta et dicẽdi peritus res illas nescit, scit autẽ quatenus ea edoctus. scire aũt necesse est, si q̃dẽ docere vult: nec scire tm̃ necesse ẽ, sed exactissime scire: alioqui pulchritudines & perfectiones earũ rerũ nunq̃ deligere poterit.

Poetę num sciãt ea, circa quę versantur.

poeta quo dicendi peritus nescit ea de quib⁹ scribit.

quòd

quòd si & ipsum Platonē, dum dialogizat, & tàm eloquenter loquitur, C
percunctemur,an & ipse sciat quę scribat:atq; equidē se scire arbitror rñ-
surum.si vero rursus percunctemur, vtrũ sciat quatenus orator tantus, &
eloquentiæ peritus: minime quidē puto dicturum, sed quatenus philoso
phus : oportere aũt docentem illa scire,& à philosopho didicisse.ita ergo
& nos de poeta dicemus,nescire quidem,quatenus poeta est & imitator,
oportere aũt scire quę scribit & à philosopho didicisse,aut alio.scit igitur
inquantũ philosophus:bene scribit,inquantũ poeta.ac per hæc satisfactũ
Platoni puto:qm̃ partim verum dicit,nescire poetā quę scribit,quatenus
poeta est,partim non verũ,si omnino nescire puat:scit.n.inquantum phi
losophi res edoctus,aut gesta hominum,aut alia quæ docet. Quòd autē

Nũ imitatio in peiora ꝓlabat.

imitationis natura semper in peiora ꝓlabatur,hoc quidē dicimus accide
re non artis vitio,sed eorũ,qui arte abutuntur.nā certe verum est à mul-
tis poetarũ turpia multa & indecentia scribi:quos iure non solũ à repub.
sua arcendos Plato censet,sed ab oībus arceri æquum est.si igitur Plato-
ni auferendus vr̃ Achilles eiulans in littore maris, pugnis se cædens, &
barbam euellens:si & Iuppiter præ impatientia expectādi sibi tractans vi
rilia:& nos quidē auferendos clamabimus. at Aeneā spem vultu simulā
tem,corde aũt altum dolorem prementē neq; ipse,vt opinor, Plato neq;
nos auferendũ dicemus.In vniuersum autem si oēs comicos,omnes tra-
gicos excludi à sua repub.volet Plato,& nos bn̄factum dicemus in ea re- D
pub. in qua fortasse neq; philosophos curabit esse contēplationi & ocio
nimis deditos.hos aũt mittemus ad eas resp.quas Aristot.instituerit.

Epilog' omnium dictorum.

Hęc sunt ò amici,quæ de poeta ipso & poetæ officio ac fine dicenda no
bis vobis visa sunt ꝓ concesso nobis tpe: quorũ oīm si per breuē defini
tionem volumus epilogũ facere,omnesq; fines eius cōprehendere,tam
illum gratia cuius mouetur,q̃ quo exequitur eũ finem,& quo ab alijs oī-
bus differt,dicemus poetę finē esse delectare,& ꝓdesse imitando in vno
quoq; maxima et pulcherrima per genus dicendi simpliciter pulchrum
ex conuenientibus. verum ex his vniuersalem quandam fortasse ideam
poetæ videre datur,ipsum autem exacte introspicere non cōceditur ni-
si et mēbra eius expressa singula demonstrarentur. quapropter ad prædi
cta reliquum esset circa singulas orationis partes ostēdere,quę ipse sibi ꝓ
pria faciat,et quibus ab alijs differat:primo circa voces simplices,tũ circa
earum texturas,et figuras, et musicas: et qũo ipse aliter narret,aliter de-
scribat,aliter cōtinuet,aliter digrediatur,aliter disponat,et loca accipiat,
et dicendorum fines exequatur,et quomodo imitetur,quę reijciat, quæ
recipiat,et alia eius generis multa,quibus vna dies integra non esset satis.
Tempus est diem claudere,et iubere poetam valere.



HIERONYMI FRACASTORII
TVRRIVS SIVE DE INTELLECTIONE DIALOGVS.
AD IOANNEM BAPTISTAM RHAMNVSIVM.
LIBER PRIMVS.



VO cum præcipua ſint RHAMNVSI optime, quibus homo non ſolum cęteris animalibus, ſed inter homines alter alteri longe pręſtat, ſcientia & locutio, locutionis quidem modum pręſtantiſsimum eſſe illũ, quo Poeta loquitur, oſtendit illa diſputatione Naugerius, quam de Poeta & Poetæ fine atq; officio tam fœliciter die vna in Baldi receſsibus habuit. Scientiarum vero maxima quidẽ atq; homine præcipue digna illa mihi videtur, quæ de natura eſt philoſophia. mathematicę enim, tam & ſi certitudinẽ quandam præſtant, & multa etiam docent, circa tamen humilia quædam, & haud magnifacienda verſantur. contra vero antiqua illa Theologia, quę tum diuina, tum prima Philoſophia vocatur, nobilia quidẽ ac ſempiterna ſpeculatur. verum ex ijs tam pauca ſunt, quæ cognoſci à nobis valeãt, tum et de illis tã incerta quoque cognitio eſt, vt penè fateri poſsimus aut nullam, aut certe quàm minimam ad nos de ijs rebus cognitionem perueniſſe. At vero quæ natura cõſtant, & nobilia quidem ſunt, vt pote ſubſtantiæ & corpora, cœlumq; atque animalia, tum & certitudinem non paruam habent, & infinita ferè ſunt, quæ ſciri poſsint: ſiquidem vbiq; natura eſt, quoquo vertamur, quicquid videamus audiamusq;: propter quæ Philoſophia, quæ de hiſce eſt, inter alias maxima & digniſsima cenſeri debet. Ex omnibus vero, quæ natura conſtant, cum ea ſint perfectiſſima, quæ intellectione vigent, propter ipſam intellectionem, merito ea quæ de intellectione eſt cõtemplatio, homine præcipue digna debet exiſtimari. Quoniam igitur à ſermonibus de Poetica à Naugerio habitis Io. Baptiſta Turrius & copioſe & accurate de intellectione diſputauit, quid eſſet, & qũo vnaquæq; in nobis fieret: cumq; iam ad te ſcripſerim ſermones illos, quos prima die de Poetica Naugerius habuit, reliquum eſt, vt & illos ad te tradam, quos deinceps Turrius de intellectione tractauit. quod non minus tibi iucundũ fore arbitror, qui non minus quàm

De intellectione, vt omnem aĩę humanę cognitionẽ interiorẽ cõprehendit, tractare digniſsimum eſſe.

Naturalis & ſcientia ſciẽtiaꝝ omnium homine ipſo digniſsima ẽ.

B

Inter naturalis ſciẽtiæ partes ea, q̃ de intellectione, diſgniſsima ẽ.

Poeticis rebus, omni ſemper Philoſophia fueris delectatus: ea præcipue C quæ circa animam & animæ operationes verſatur. de quarum ampliſſima ſi nunc tu audias ab eo diſputari, cum quo tanta tibi interceſſerat amicitia, equidem neſcio, quid gratius quid'ue optatius à te auſcultari poſſit, aut legi. Igitur cum perfectis ſermonibus de Poetica magna eſſet omnibus expectatio eorum, quos die ſequenti Turrius ſeſe habiturum de Intellectione promiſerat; iamq; peracta nocte cum primum illuxiſſet dies; placuit omnibus conſuetum ad fontẽ reuerti, vbi ora manusq; lauimus. mox Turrio viſum eſt ſecedere ſecretiorem in ſyluam, quæ nec longe aberat, quòd paſtores conſueuiſſent ad eum fontem matutinis horis accedere. ergo ea in ſylua quietiſſimum locum nacti cum in corona conſediſſemus, Turrius, in quem oculos omnes conuerteramus, ita occepit.

Intellectionis cõtẽplatio difficillima eſt.

Heri ò amici Poeta Naugerij animum noſtrum prima quadam purificatione luſtrauit, meum eſſet hodie ſecundam purgationem adhibere, ſi fieri per me poſſet: quod quantum ſucceſſurum ſit nobis, equidem nõ ſatis ſcio: quoniam nec elocutionem illam Naugerij, nec placidã illam materiam adeſſe mihi video. verum quoad attinet ad elocutionem, non valde graue videretur, quando nec res, de qua agimus, eam ſermonis curam expoſcit, ſed ſimplicius tractari vult. materia vero ipſa me terret, quæ cum difficillima ſcitu eſt, tum laborioſiſſima explicatu. videntur enim Dij partem hanc noſtri, quem intellectum dicimus, in abditiſſimo D poſuiſſe: vt vnuſquiſq; noſtrum eo vteretur quotidie: quo autem pacto vteretur, nemo quidem vtiq; ſciret. eſt autem diuina certe & ſacra quædam res hæc, quam attentare nunc nitimur, qua ſola, Dijs ipſis ſimiles videmur fieri, ipſiſq; aſſociari: qua homo deniq; vniuerſi huius, quem mundum dicimus, ſpeciem quandam & ſimilitudinem præ ſe fert: quin vnus quodam modo mundus eſt, in quo res omnes, quæ vbiq; ſunt, cœlum, ſydera, inane, maria, terræ, montes, ſyluæ, animalia & reliqua omnia repoſita ſunt. nam certe mens ex mundo quodam conſtare videtur.

Quę nã cõtemplari ac ſcire de ipſa ĩtellectione oporteat in pręſenti tractatione.

De ipſa autem Mente & Intellectu, quo modo ſit noſtri pars, & cuius naturæ, nihil nunc inquirimus, ſed operationes tantum illius, quatenus in nobis fiunt, proſequemur: quæ ſint, & quot, & quo pacto fiant, quas omnes communi quodam vocabulo intellectionis comprehendimus: per intellectionem intelligentes cognitionem omnem, quæ poſt ſenſus ab anima introrſum fit, quod & nomen quidem ſignificat. mox diſtinguemus, quæ proprie intellectio ſit appellanda, & quis intellectus & mens. porrò de ſenſibus ipſis & eorum cognitione nihil etiam nobis agendum erit, ſed ſupponendum. neq; illud pariter perſcrutabimur, vtrum in corde intellectio fiat, an in cerebro, ſed ſupponentes in cerebro

A aut omnem cognitionem fieri, aut initiari. de intellectione quidem quatenus in cerebro fit, inquisitionem faciemus.

De specierum intelligibiliũ ad intellectionem necessitate, natura, & subiecto.

In primis autem constare inter nos debet cognitionem omnem per rerum simulachra fieri, quæ aliqui spectra vocauere: nos in scholis nostris species rerum appellamus. quo vocabulo tanquam magis familiari, & nos deinceps vtemur. per has enim species cognitionem rerum fieri constare debet, quoniam & sensus per easdem fiunt, & memoria indicationem quandam præbet. quandoquidem rebus ipsis absentibus nihilominus earum recordamur, quòd nõ aliter fieri potest quàm remanente in anima simulachro earum & specie, quæ prius intellectionem fecerat. præterea intelligendo manifestum est mutari animam ab eo, quod prius erat, cum non intelligeret: hanc autem mutationem, non potest res ipsa facere, quæ extra est, & solet obiectum vocari: quoniã per se & proxime non attingit animam: sed neq; anima sese ipsa mutat. necesse igitur est demitti aliquid ab obiecto, quod proxime attingat animam, atq; illam mutet: tale autem non aliud esse potest, quàm simulachrum & species rerũ, quæ extra sunt.

Verum enimuero de natura specierum multa fortasse oporteret determinare, quod & alterius temporis & negotij est. Nunc tantum sufficiat de ijs dicere, quòd à rebus momẽto effluunt, & diffunduntur in orbem, quacunque medium, per quod transeunt est, susceptiuum earum. B tale autem medium videtur esse perspicuum & trãsparens corpus, quod diaphanum vocant: per densa enim & opaca non transeunt. Item & naturam earum esse ea animæ repræsentare & offerre, quorũ sunt species. ac demum contrarias inter se ipsas non esse species, sed in eodem omnes simul consistere posse. & si enim dulce contrarium est amaro, & album nigro, & calidum frigido, horum tamen species contrariæ ipsæ nõ sunt. quod in aere manifestum est, in quo species omnes simul esse, & per ipsum simul transire possunt & solent. Quo autem pacto gignantur species, & quomodo sese diffundant, & propagent, tũ & quomodo reflecti posint, & vtrum eiusdem generis sint cum formis, quarum sunt species, non est in præsenti inquirendum.

Intellectio quid nã sit, num actio, seu pasio.

Videntur autem ad intellectionem concurrere primũ quidem, quod intelligit, hoc autem est anima: deinde quod intelligitur, quod est obiectum: tertium vero id, per quod fit intellectio, hoc est species. Intellectio igitur non est anima, quæ intelligit, non obiectum, quod intelligitur, nõ species, qua fit ĩtellectio, sed si quid est, nõ aliud certe videtur esse, quàm repræsentatio obiecti, quæ animæ interiori fit per receptam obiecti speciem: sicuti & sensatio repręsentatio est obiecti exteriori animę per rece-

ptam obiecti ſpeciem: Natura ſiquidem ſpecierum eſt, vt diximus, ea repræſentare, quorum ſpecies & imagines ſunt, repræſentare autem non lapidi aut arbori & ſimilibus, ſed animæ tantum, quę apta eſt et idonea, cui repræſentetur. C

Intelligere, aīæ potius q̄dā paſsio eſt, quā aliqua actio.

Habet autem dubitationem quandam, vtrum quod dicimus intelligere, ſit actio quædam animæ, an paſſio tantum. ſunt enim qui putent non pati ſolum animam recipiendo ſpeciem, ſed ea recepta explicare ac producere intellectionē ipſam, quæ actio quædam eſt. mihi autem videtur, niſi fallor, tantum pati anima intelligendo, & nihil præterea agere. ſi enim quicquam ageret, oporteret actionē illam in aliquo quidem recipi: recipi autem in alio non poteſt quam in anima ipſa. pateretur igitur anima recipiendo non ſolum ſpeciem, ſed & actionem propriam, quam fecit: quare idem quatenus idem et ageret & pateretur: quę rationes contrariæ ſunt, & in eodem ſecundum idem eſſe non poſſunt. nec certe illud dici poteſt compoſitum eſſe, quod agit & patitur, non autem ſecundum idem, ſed patitur ratione materiæ, agit autem ratione formæ. omnino enim anima principium eſt & agendi & patiendi. idem autem non poteſt per ſe eſſe principium contrariorum: quod enim patitur, patitur quidem quatenus per ſe non habet, quod vero agit, agit quidem quatenus per ſe habet: per ſe autem habere & non habere nihil poteſt. nō eſt igitur neceſſarium in intelligendo animam quicq̄ agere: ſtatim enim vbi recepit ſpeciem, repræſentatio illa fit obiecti, quando & ipſa apta eſt, D cui repræſentetur, & natura ſpeciei eſt ea repræſentare, quorum eſt ſpecies & imago.

Num omniū, quę intelligimus, ſpēs intelligibiles ſint, et q̄uo introrſus ad aīam ipſam ferantur, & in ea p̄maneant. Quo item pacto ea, quæ in ſenſu eſt ſpēs, eadē, vel diuerſa ſit ab ea, q̄ in ītellectu.

Quæcunq; ītelligim⁹, p̄ propriā, vel alienam ſpeciē intelligimus.

Quo medio ex ſenſibus ſpēs ad aīam, q̄ intelligit, introrſum ferantur.

Quoniam autem dictum eſt requiri ſpeciem rerum ad intellectionē, quæretis fortaſſe vtrum omnium, quæ intelliguntur, ſint ſpecies, an non omnium. ſi enim non omnium ſunt ſpecies, quomodo potuere illa intelligi, quæ ſpeciebus carent? Si vero omnia ſpecies habent, & per illas intelligi debent, videbitur quidem & Dei & ſeparatorum aliorū ſpecies eſſe & ſimulachra, item & ipſius etiam intellectus. quare ſi per ſuam ſpeciem ipſe ſe intelligat, ſequetur quidem, quod dictū eſt, idem agere & pati ſecundum idem. Ad quod, vt mihi videtur, dicendum eſt non omniū eſſe proprias ſpecies. nam neq; Dei, neq; vllius abſtractorum à materia ſpecies vlla eſt, fortaſſe autem neq; ſubſtantiæ, quatenus ſubſtātia eſt: potuere autem hæc cognoſci, ſi non per proprias ſpecies, at potuere per alienas. modum in ſequentibus oſtendemus. quare omnia poteſt intellectus cognoſcere & ſe ipſum etiam, ſed alia per proprias ſpecies, alia per alienas.

His igitur ita ſe habentibus nunc eſt videndum, quo pacto quibus vijs ferātur ſpecies ad interiorem animam. De ſenſibus enim minus fortaſſe eſt dubitandum, quorum obiecta ſpecies ſuas per aerem mittunt, qui

perſpicuus,

A perſpicuus,& diaphanus eſt.at poſt ſenſus omnia opaca videtur.quare & dubium eſt,per quod medium à ſenſibus ferantur introrſum ſpecies.Exiſtimandum autem eſt ferri ipſas per vocatos ſpiritus, qui de natura aeris ſunt,quiq; per arterias & neruos diffuſi ſunt ac pene continui,ceu nubes quædam.poſſunt igitur per illos ſeſe introrſum ſpecies inſinuare ceu per aerem,& vſq; ad eam, quæ intelligit, animam ferri. Eſt tamē circa tactū dubitatio quædam, quoniam in ipſo videntur recipi formæ cum materia,vt calor, frigus & alia:ſpecies autem,quæ intellectionem apportant, ſine materia ſunt.at certe & in tactu ſpecies ſine materia recipiuntur, nō quidem à principio & in eadem parte, ſed primum quidem forma cum materia in certa parte, mox ab illa ſpiritualis ſpecies in vicinos ſpiritus propagata ſeſe introrſum fert,& intellectionem facit.

Spēs ſenſus tact⁹ nō recipiūtur in ipſo cū materia, & ſi nō à principio,& in eadem parte.

Quæretis autem fortaſſe & illud, vtrū quæ in ſenſu eſt ſpecies,eadem manens feratur ad intellectum,an alia ſit,quæ in ſenſu eſt,& alterius naturæ:alia quę in intellectu.aliam enim eſſe fortaſſe quis exiſtimabit,quoniam, quæ in intellectu eſt ſpecies, ſeruari diutius poteſt eo etiā abſente, cuius eſt ſpecies:in ſenſu vero ſeruari non niſi tandiu ſolet,quandiu præſens eſt producēs.præterea ſi vniuerſale quicquam ipſum eſt, aliud certe eſt ab ea ſpecie,quæ in ſenſu fuit.in ſenſu enim vniuerſale non eſt.contra vero quod eadem ſit in vtroq; ſpecies,ex his licet coniecturam accipere. B primum quidem,quòd eodem momento idem ſenſui repræſentatur & interiori animæ,ſignum eſt idem eſſe repræſentans: alioquin,ſi duo diuerſa eſſent,vnum poſſet à duobus diuerſis repræſentari, & vnum duas haberet ſpecies, quæ eſſe non poſſunt. ſpecies enim imago obiecti eſt, vnius aūt non poſſunt eſſe duæ imagines,nec duo diuerſa poſſunt vnum referre.præterea ſecundam ſpeciem quid fecit,ſi alia eſt,& diuerſæ naturæ à prima,non enim obiectum potuit illam feciſſe, quippe quod priorē fecit vti ſpeciem,& ſimulachrum ſui. non item anima illam effecit, quæ ſpecies recipit,non autem facit.ſed neq; prior ſpecies ſecūdam illam produxit à ſe diuerſam,quoniam natura ſpecierum eſt ſeſe tantum propagare.cum igitur nihil ſit,à quo fiat ſecunda ſpecies, par eſt exiſtimare eandem eſſe,quæ primo in ſenſu fuit,mox & in intellectu recipitur. de vniuerſali vero in ſequentibus oſtendemus,quomodo eadem quoq; ſit ſpecies,quæ & in ſenſu extitit, modis tantum differens. Quod vero perdurent in intellectu ſpecies,in ſenſu non,iccirco quidem non accidit,quòd diuerſæ naturæ ſint ſpecies,ſed ob id magis,quòd dupliciter durare & cōſiſtere ſpecies poſſunt:vno modo,cum continuatæ coniunctæq; ſunt producenti,vt lumen ſoli:alio modo cum in proprio loco & propria materia ſunt conſtitutæ.non eſt aūt ſenſus proprius locus & materia ſpecierū,

Num ea ſpēs, quæ ī ſenſu eſt, eadē ſit, quæ ad ītellectū fertur,an diuerſa.

Eadē prorſus ſpēs eſt in ſenſu & ī intellectu, rōne tamē diuerſa.

Spēs in ītellectu diuti⁹ manent,qa propria materia,& proprio loco ſunt.

niſi

nisi quodammodo non simpliciter. propter quod non seruare illas potest, nisi paulullum & excellentes amoto producente. at intellectus diutissime etiam potest seruare absente obiecto, quoniam simpliciter finis est specierum, & locus, & materia propria earum: quæ autem sit dispositio illa quæ conseruat, ego non possum nunc dicere. constat autem esse illam, & alios cõseruare melius, alios deterius. quid igitur sit intellectio, & per quæ, & quo modo fiat, ita in vniuersum determinatum sit. nunc de vnaquaq; intellectione agamus, quæ sit, & quo pacto obeatur, á simplicioribus incipientes. C

De prima & simplicissima post externos sẽsus opatione, quæ ipsi⁹ cõis sensus est op⁹, quid sit, & qũo fiat, & quod illius sit obiectũ. Cõis sensus vna quædã aĩæ prima interior facultas est, qua omnia sensibilia diuersa cognoscit, comparat, & distinguit.

Est autem prima & simplicissima interioris animæ cognitio ea, quæ sensibilium rerum fit, quæ vnum numero sunt, vt Callyę, Dionis, & aliorum, quæ singularia dicuntur. hæc enim à sensibus primo cognoscũtur, mox specie eorum ad interiorem animam perlata interior eorundem cognitio fit. in quo illud dubium esse potest, vtrum, quẽadmodum diuersorum genere sensibilium diuersi sunt sensus, ita & in interioribus potentijs oporteat illas diuersas esse quę, sensibilia diuersa diiudicant: puta vna quæ colores, alia quæ sonos, & alia quæ sapores, & ita de alijs: an magis vna potentia esse posit, quæ diuersa & distincta generibus apprehẽdere & dignoscere valeat. at certe vnam esse potẽtiam necesse est quæ omnia quanquam diuersa cognoscat. quoniam si semper diuersæ essent potentiæ illæ, quæ circa diuersa versantur, nunquam quidem daretur posse diuersa distinguere, & comparare, & dicere, hoc album nõ est, hoc dulce, vel hoc sonorum. quemadmodum nec sensus id possunt facere, proptera quod vnus sensus nõ percipit, quę aliorum sunt, nec extrema cognoscit: nos autem videmus interiores potẽtias diiudicare diuersa, & cognoscere diuersa esse. quare necesse est & extrema ab vna cognosci, & iudicium id ab vna fieri. causa autem est, quia interioris animæ potentię, speciem inquantum speciem recipere possunt, eo quòd sensuum omnium perfectiones, vt longe perfectiores includunt, & insuper maiorem & potiorem facultatem adijciunt. inter sensus vero vnus potentiam & virtutem alterius nõ includit propter imperfectionem eorum: propter quod et vnusquisq; certo organo indiguit. quòd igitur circa interiorem animã potentia sit, quæ vna existens posit tamen diuersa genere iudicare & apprehendere, manifestum esse debet: ac talem omnes astruunt & ponunt, quicunq; hac de re scripsere: & ipse etiam Plato ante Aristotelem. Vtrũ autem prima hæc potentia, quæ sensibilia omnia apprehẽdit, eadem etiã sit, quę illa comparat & distinguit, an vna sit quę solum omnia apprehendit, alia vero, quæ distinguit & comparat, dubitationẽ quandam habet: de quo posterius non nulla dicemus. nunc tantum dixisse sufficiat vnam D

Cã ob quã exteriores sẽsus certo organo indigent, interiores non.

primam

A primam eſſe facultatem, quæ ſenſibilia omnia poteſt recipere & cognoſcere: Quam video ab omnibus communem ſenſum vocari. ſenſum quidem, quia ita ſenſibus coniuncta eſt, ita intima, vt ſimul cum ſenſibus actu fiat: quinimmo nec ſenſus ipſi fungi officio ſuo videntur, niſi & hęc communis facultas conſentiat. communem autem vocãt, quia ſenſibus omnibus vt arbiter communis eſt. apprehendit autem hæc ſenſibilia eo pacto eiſdem cõditionibus, quibus illa in ſenſibus primo fuere, ſiue vnũ per ſe fuerint, ſiue per accidens vnum: ſunt autem ferè ſemper vnum per accidens ex pluribus ſimul coniunctis conflatum. nam quoniam ſpecies nata eſt & rem & rei modos offerre, hinc fit, vt cum oculus exempli gratia attigit coloris ſpeciem, ſimul etiam & cõiuncta cum colore recipiat, qui modi dicuntur: hæc autem ſunt numerus, quantitas, figura, locus, ſitus, motus, actiones, diſtãtiæ, ſimilitudines, & aliæ relationes, & alia, quibus res conſiſtunt. ad quos quidem modos valde aduertere neceſſe eſt, quoniam principium non paruum dicendorum hoc erit: quinimmo miraculum fortaſſe videbor vobis dicere, ſi octo aut decem aut paulo plures ſpecies in anima eſſe protulerim, ingentem vero illam cõceptionum multitudinem modos eſſe paucarum illarum ſpecierum varios & tam diuerſos. ſimpliciſsima igitur & prima cognitio, quæ ab anima poſt ſenſus fit, eſt ſingularium & ſenſibilium rerum à ſenſu communi facta. qua B autem in parte fiat, in ſequentibus inquiremus.

Cõis ſenſus cur ſic ẽ appellatus.

Cõia ſenſibilia & per accidẽs quę & qũo ad ſenſum ſpectent.

Quoniam autem facta intellectione omni cõſtat ſeruari ipſam apud animam, & abſentibus etiam obiectis poſſe nos rurſus cogitare circa intellecta, inquirẽdum nunc eſt, quid reſeruetur apud animam & quomodo. vtrum reſeruentur rerum ſpecies & ſimulachra, an alteratio illa, quæ in anima fit, dum intelligit, ſiue actio ſit, ſiue paſsio: ſunt enim qui putẽt non reſeruari ſpecies, eo quòd ſpecierum natura eſt tandiu eſſe & conſiſtere, quandiu producens illas eſt præſens, remoto autem interire. quare alterationem & paſsionem in animo factã ſolum ſeruari. ſed certe ſi ita dicamus, neceſſarium illud videbitur, vt ſemper actu ſit anima, & ſemꝑ idem intelligat. actio enim id eſt, per quod aliquid actu eſt, ſimiliter & paſſio: alteratio autem illa aut actio eſt, aut paſsio. ſi igitur apud animam ſemper eſt, vtiq; actu ſemper erit anima. Præterea motus omnis & alteratio nihil aliud eſt, quàm forma, quę recipitur, quatenus aliquid actu fit, quod in potentia erat. in intellectione autem non recipitur aliud, quàm ſpecies repręſentans, per quam actu fit anima. impoſsibile igitur eſt alterationem hanc à ſpecie ſeparari. quare omnino ſpecies erit, quæ reſeruatur. quomodo autem non ſemper intelligat anima per omnem ſpeciem, paulo poſt dicemus. dictum eſt autem & quomodo abſentibus etiam obiectis

Quid poſt intellectionem remaneat in aĩa, an ſpẽs, ſeu alteratio: & quãtum in ipſa permaneant, ac multiplicẽtur.

Non alteratio, quæ ipſa intellectio eſt, ſed ſpẽs in aĩa ĩpa poſt omnem intellectionẽ tanq̃ ĩ fine & proprio in loco remanentis aliæ magis, alię minus.

obiectis poſsint in intellectu ſeruari ſpecies, certa illic diſpoſitione comparata à natura, quoniam finis eſt intellectus & locus ſpecierum. Sed vos C
quæretis fortaſſe, quo pacto ſituētur ſpecies, quas reſeruari in anima poſt intellectionē dicimus, quo ordine, qua poſitura ſiue in cerebro ipſo, ſiue in ſpiritibus conſeruentur: omnino enim dubium eſt, vtrum ſingulæ in ſingulis ſpiritibus ſint, & omnes eadem in parte, an hæc quidem in his, illæ vero in illis, vt colores in certis, ſoni in alijs, odores in alijs, & ſic de reliquis: amplius & quo modo ſe habeāt ſpecies, quæ eiuſdem generis ſunt, vt niuis & lactis, vtrum vna ex ambabus ſpecies fiat, an duæ remaneant.

Eſſe autem in ſpiritibus ſingulis ſingulas ſpecies inopinabile quidem eſt, & contra ſpecierum naturam. diximus enim diffundere ſeſe ſpecies & propagari vndiq;, & quacunq; medium ſuſceptiuum illarum eſt, & cōtrarias inter ſe nō eſſe. cur igitur qui coloris ſpeciē recepit ſpiritus, non ēt ſoni recipiat, & ſaporis, & aliarū, ſi eſſe ſimul poſſint, & nullam habent contrarietatem inuicem? quā ob rem neq; hæ quidē in his, illæ in illis ſpecies ſunt, ſed omnes ſimul & vna in parte, atq; vno in puncto oēs, quaſi altera alteri ſuperincumbat. Duarum aūt ſpecierū eiuſdem generis opinandum eſt vnam quodam modo fieri ſpeciē, quodam modo nō vnam. vnam quidem, quoniam forma eſt vna, & ſubiectum vnum, non vnam autem, quatenus repræſentatiua eſt & imago, quod accidit propter modos & coniuncta, quæ offert diuerſa exiſtentia, & modo niuem, modo D
lac referentia. quare quatenus imago eſt, non vna eſt ſpecies, ſicut neq; vna res, quæ offertur: vna tamen eſt ſecundum ſe, & ſecūdum eſſe, quod habet vt qualitas, cui accidit habere modos plures. non ſunt autem modi illi in ſpecie niſi, vt dicitur, repræſentatorie. neq; enim pedalis eſt ſpecies, aut bipedalis, quadrata, aut rotunda, ſed res eiuſmodi ſunt: ſpecies autē, quoniam imagines ſunt aliorum, modos quidem illos habent vt imagines tantum, & vt repræſentant. qua de cauſa quodam modo vna eſt ſpecies, quodam modo non vna. reſeruantur ergo & cū eiſdem modis, quibus fecerunt intellectionem. & ſpecierum aliæ diutius reſeruantur, aliæ breuius, & animalium alia melius reſeruant, alia deterius. Diutius illæ reſeruari ſunt aptæ, quæ recentes ſunt, ſeneſcentes enim euaneſcunt. item & permanentiam maiorem ſortitæ ſunt, quæ longius, & ad plura diffundere ſe conſueuere, vt lumen & ſonus: propter quod eorū, quæ vidimus, aut audiuimus, reminiſcimur magis, quàm eorum, quæ guſtauimus, aut olfecimus. illæ etiam num diutiſsime ſeruari ſolent ſpecies, quæ ſæpius repetitæ fuere, tum & quibus applicatio maior facta fuit. qua de cauſa & quæ nos delectant, & noua, & magna, & quæ tum admirationem, tum timorem inducunt, omnia ſolent tenaciter retineri. Solent etiam quæ

reſeruatæ

Nō ſingulę ſpēs ſingulis in ſpiritibus, ſed in vna & eadē prorſus parte tanq̄ in pūcto ſituantur.

Diuerſarū rerū eiuſdē generis vna eſt ſpēs eſſētialiter, plures vero repreſentatiue.

Quæ ſpēs diutius reſeruentur.

A reſeruatæ ſunt ſpecies quandoque quidem debiles,& impotentes fieri,
qńq; etiam interire. Duo modi ſunt quibus debiles reddũtur: alter eſt ſe- Quot modis ſpẽs reddãt debiles itereãt ac reuiuiſcãt.
nium earum.nam & ipſæ conſeneſcunt:alter eſt læſio eius diſpoſitionis
quæ habet conſeruare.quoniam enim illa qualitates ſubiecti conſequi-
tur,inde fit,vt ſæpe impotentes reddantur ſpecies,quod & ſenibus eueni
re conſueuit,& aliquibus propter morbos,quales ferè ſunt peſtilentes fe
bres,è quibus quædã adeo feræ viſæ ſunt, vt ſiqui ab ijs euaſiſſent, adeo
tamen immemores remanſere,vt vix & proprij nominis, & propriæ do
mus recordarentur.conſeneſcũt autem ſpecies,quoniam ſpiritus,in qui-
bus illæ ſedem habent,alij continenter intereunt,alij regenerantur, non
corrumpuntur tamen ſpecies corruptis prioribus ſpiritibus,quoniam in
nouos,& recenter genitos ſeſe propagant,& conſeruant. verum id eue-
nit,vt quanto magis abſunt à primis tanto in dies debiliores reddantur,
ac demum ſenſim adeo impotentes fiant, vt ſeneſcentes quodammodo
in nouos ſpiritus ſeſe propagare non poſsint, nec iam mouere animam.
ſi enim ab A ſpiritu ſpẽs tranſeat in B,& ab hoc in C,& ab illo in D, & à
D in E,validiſsima quidẽ eſt prima ſpecies,quæ eſt in A,valida, item quæ
eſt in B,ſed minus tamẽ,minus quoque quæ in C,& minus quæ in D, &
adhuc minus cæteris quæ in E:quare tandem deuenitur ad tantam tenui
tatem,vt in F,& in G propagari nõ poſsint ſpecies ſenio ſuo cõfectę.vn
B de poſtremo cum intereuntibus ſuis ſubiectis intereunt, niſi aliquæ per
iteratas intellectiones reuiuiſcant,& vires capiãt.ſic enim reiuueneſcũt.
De intellectione igitur quid ſit & quomodo,& per quæ fiat, & quæ ſit
prima & ſimpliciſsima intellectio, & qũo reſeruentur ſituẽturq; ſpecies
& perdurent,& conſeneſcant,& pereant hactenus dictum ſit. nunc de
alijs dicamus quæ ab hac conſequenter fiunt animę operationes,prius ta
men bene commodeq; fieri arbitror,ſi non ea abutamur occaſione,quæ
pueri noſtri muſica præſtari ſolet, vt per eam aliquantiſper recreati ala-
criores redeamus ad hos ſeueriores ſermones. Significauit igitur Nauge
rius puero,vt aliquid caneret,qui temperata ſuauiter cythara, ita dulciſ-
ſime cecinit.

Natalem Thelayra tuum lux craſtina reddet.
Craſtina lux mihi ſancta.tuos age Lucifer ortus
Profer:& Auroram propero dux euehe curru.
Euehe,ſed ſero tardus cede heſpere cœlo,
Longa vt eat fœlixq; dies.lege lychnida Leuce
Et viridem violis intexito amaracon albis.
Serta duo mihi necte:vnum quod poſtibus ipſe
Appendam Thelayra tuis,mea maxima dona

Nota tibi:aſt aliud,quod feſta luce laborum C
Immunes decoret plena ad præſepia tauros.
Tu vulgo Veneriq; palam formoſa uidenda
Comptaq;,ſed clam pulchra tuo,ſed compta Myconi
Incedes,tacitisq; Deam venerabere votis,
Vt mea tu,tuus ipſe vt ſim: Dea maxima votis
Annuet.at tu omnem Thelayra abrumpe pudorem
Tum,cum expectatum difflabit tibia cantum,
Ardentesq; ſono in choreas accendet amantes.
Tum dextram læuamq; manus iungamus amicas,
Inuideantq; omnes,neque enim te doctior uſquam
Vlla ſalit,non ipſa Iole,non nata Lycotæ.
Me vero quales in cœlum tollere ſaltus
Aſpicies Thelayra,modo & te flectere in orbem?
Et modo te contra ſtantem mira arte mouere
Ante retroq; pedes,ſpatio nec cedere ab vno
Ipſa Venus cœlo ridens ſpectabit ab alto.

De ſubnotione, ntellectionis ſecunda opatione,q̃ phãtaſię primũ opus aſcribit̃,qd ſit, & q̃uo fiat, & qđ illius obiectum.

Hæc cum cecinisset puer,riſiſſemusq; omnes,Turrius ita rurſus ſermonem excepit. Nunc ò amici de ſubnotione proſequamur, qui natura ſecundus intellectionis eſt actus,& ante alios poſt ſenſum cõmunem fit. voco autem ſubnotionem nunc eam cognitionem, qua ſub vno quodã apprehenſo multa alia ſimul confuſo quodã ordine ſeſe offerunt: ad quę conſequenter mouetur anima,vnum poſt aliud ceu inſpectura. conſtat enim in animali eſſe motum hunc,qui nõ eſt compoſitio,aut ratiocinatio,in qua veritas,aut falſitas ſit,ſed ſimplex, & ſola repræſentatio vnius ſenſibilis poſt aliud.ſed neq; etiã memoria eſt hęc operatio, tametſi memoriæ aſsimiletur,ſed natura,& tempore,& ratione prior memoria eſt, vt ſtatim oſtendemus.quapropter & de ipſa diligenter quęrendum eſt, quoniam nihil aliud de illa hactenus determinatum video, vt par erat, & oportebat.propter quod & nouo vti vocabulo coacti fuimus, cũ nullum aliud huic operationi impoſitum videremus nomen: vnde ſubnotionem appellauimus.de qua ſiquid ab Ariſtotele traditum eſt, videtur quidem cõmuni Phantaſiæ nomine comprehendiſſe.multas enim operationes habet facultas illa,quæ ab ipſo Phantaſia appellatur, inter quas prima illa videtur,quam nunc ſubnotionem voco. recte enim dicebat phantaſiam neq; veram ex ſe eſſe,neq; falſam,ſed multa veluti in theatro perſpicere:quo modo autẽ ad illa multa, de vno in aliud,feratur anima,ipſe quidem non planè dixit.quod nunc ſi inquiramus,non ab re fieri videt̃.Fit igitur operatio hęc & motus ab anima inferiori ſtatim ſenſibilibus D

Non vnam ſed multas eſſe phantaſiæ opationes, quarũ vna ſubnotio dicitur. Aĩa cognoſcẽs q̃uo de vno ĩ aliud in ipſo phãtaſiæ ope feratur.

A bilibus oblatis,interdum quidem ſenſu adhuc actu exiſtente, interdum poſt.quoniam enim ſenſibilia offerũtur animæ eo pacto, quo ſunt in re, ſunt autem ſemper ferè per accidens vnum (vt dictum eſt) in quo multa coniuncta ſunt,ceu in toto quodam,hinc fit, vt anima prius totum illud apprehendat:in quo & alia coniuncta offeruntur quidem, & ſimul apprehenduntur,ſed veluti de longe,& confuſa. mouetur ergo & ad illa, primo ad vnũ,mox ad aliud,& aliud, ijs ſemp̱ prius oblatis,quæ actu ſunt magis,& valentius mouent. vt viſo quidem nemore hoc primum ceu toto quodam,in quo & hæ pinus,& hæ fagi inerant,non ceſſauit ꝑfecto anima,donec & has pinus,& has fagos nouiſſe voluit.& rurſus hac fago ſpectata ceu toto quodam,in quo & trũcus,& rami,& folia, & baccę continebantur,ad truncum,& ramos,& folia,& baccas ſeſe cõuertit. & ita de alijs,quæ coniuncta ſunt.non fecit autem motionem hanc ſenſus ipſe per ſe,ſed interior anima,quæ ſimul cum ſenſu actu fit,& potentiã maiorem habet.ſignum cuius eſt,quòd idem ſit motus,ſi & per duos ſenſus ſenſibilia offerantur,vt ignis calidus,& rubens: ſtatim enim mouetur anima ad duo illa coniuncta,quod fieri non poteſt à ſenſu, cuius non eſt ſenſibilia alterius ſenſus dijudicare.Sicut autẽ ſubnotio fit ſenſu actu exiſtente,ita & non exiſtẽte idem fit reſeruatis in anima ſpeciebus: vt ſi viſo nemore hoc accidiſſet ſtatim diſcedere.Sed video vos (niſi fal-

Apta nemoris ſimilitudo ad intelligendã ipſam ſubnotionem.

Fit ſubnotio ſẽſu exiſtente in actu,vel non exiſtẽte. Inſtantiæ.

B lor)tacite ſubdubitare,ac poſcere quidnam ſit motus iſte animæ de vno in aliud:qñ dictum eſt non mouere ſe animam intelligendo,ſed pati tantum.deinde ſi præſentes ſunt animę ſpecies omnes,& vno in puncto omnes(vt dictum eſt)cur vna magis mouet,q̃ alia?aut ſi hęc forte magis mouet,quia potentior eſt,& magis actu,cur illa non ſemper mouet? & qũo derelinquitur illa,ſubit autem alia,& mouet,quæ debilior fuerat? ꝑpter hæc igitur quædam ſunt nobis recipienda,& ſupponenda. ac primũ quidem ꝙ,licet ſpecies omnes præſentes animæ ſint,& vno in puncto omnes,non tamen omnes ęqualiter mouent, ſed illæ prius, & fortius, quæ actu ſunt magis.quæ vero ſunt actu magis,dictum eſt ſupra. Deinde & illud recipiendum eſt,ꝙ ad faciẽdam intellectionem non ſufficit præſentia ſpecierum,ſed requiritur & applicatio animæ,& intentio:propter qđ ſæpe nec illa,quæ præ oculis ſunt,videmus,ꝙ intentionem non adhibemus. Ad hæc autem & illud prænotandum eſt, ꝙ ſicuti ad oblatum & habitum bonum lætitia fit,ita ad oblatum quidem,nõ autem habitũ,aut non bene habitum triſtitia innaſcitur: ex triſtitia autem hac conſurgere appetitus ſolet ad proſequendum bonum oblatum,ſed non planè habitum.ex his igitur ratio omnis pendet eorum,quæ vos arbitror dubitare. primum enim,quod mouere ſe animam dicimus,nihil aliud eſt,q̃ appli-

Ad intellectionẽ q̃ neceſſaria ſit aĩæ applicatio,& intentio.

cari ipſam atq; intendi ad vnum aliquid, non mouet autem anima ſeſe, ſed eius inſtrumenta mouentur recepta ſpecie boni. dico autem inſtrumenta animæ ſpiritus ipſos, & neruos ac membranas. omnia enim hæc in intentione animæ mouentur. ſpiritus quippe multi vniuntur, nerui & membranæ tenduntur, vnde & intentio dicta eſt, ac tandem virtus omnis, ac uis animæ ad vnum quoddam applicita, & intenta eſt: quare & hoc ipſum primo, & ante alia apprehendit, et noſcit, tale autem eſt q̄d vt totum offertur. hoc enim maxime actu eſt. nō mouet autem ſemper, quoniam parto illo, & noto, ac lætata anima in ipſo nouus appetitus inſurgit, ad alia quę oblata quidem, vt bona, non autem commode habita, & diſtincte, ſed confuſe, & veluti de longe, & per vmbram triſtitiam pariunt, vnde appetitus innaſcitur ad ea etiam dignoſcenda, quæ in toto illo vti coniuncta offeruntur. quare & ad illa applicatur. prius autem ad id quod inter illa magis actu eſt, mox ad aliud, & aliud, donec aliquid eam diſtrahat, aut labore feſſā deſiſtat. per hunc ergo modum hęc animę operatio conficitur, quam ſubnotionem vocauimus, in qua neq; veritas eſt, neq; falſitas, neq; adhuc memoria eſt. fit autē modo in ſenſibilibus vnius generis, & vnius ſenſus, modo diuerſi, in vniuerſum autem fieri ſubnotio poteſt in ijs omnibus, in quibus plura coniuncta eſſe ſolent, ſiue loco communi cōiuncta ſint, ſiue ſitu, ſiue figura, ſiue ſubiecto, ſiue actione, ſiue ſimilitudine, ſiue aliter. à qua vero potentia fiat, vtrum à ſenſu communi, an alia potentia perfectiori ſi quæratis ego quidem ab alia potentia fieri illi proxima, & perfectiori arbitror, illa ſcilicet quę ab Ariſtotele phantaſia dici videtur. ita autem fortaſſe opinandum eſt, quoniam natura videtur ſemper à minus perfectis procedere ad perfectiora per certos gradus. primum igitur cum feciſſet ſenſus imperfectiſsimos, & non niſi vnius generis capaces, mox perfectiorem potentiam conſtituit, quę ſenſibilia omnium generum poſſet cōprehendere, & non vltra valeret, poſtquam aliam adhuc perfectiorem ordinauit, quæ & ea poſſet quæ communis ſenſus, & præter ea etiam ſubnotiones exerceret.

Aīa, cū ītelligit, non ſe mouet, ſed eius inſtrū̄a, ſpēbus ī ea receptis.

Subnotio qūo fiat.

Qđ ſit ſubnotiōis obiectum.

Subnotiōis actus cuius potētię ſit.

De ſubnotiōe, ſecūda operatione fantaſiæ, ſecundū quā aīa cognoſcens cōponit, vel diuidit, qūo fiat et quo pacto re⁊ vel Falſum ī ea ſignari cōtingat affirmando, ſeu negādo: & vtra Prior ſit, affirmatio, an negatio.

Sunt autem & aliæ operationes quæ ſubnotioni valde proximæ ſunt & quaſi cum illa coniunctæ, de quibus ordine ſuo cōſequens eſt, vt agamus. nam quoniam intellectiuæ animæ finis eſt addiſcere: aſſecuto autē fine ſemper lętitia fit: hinc accidit, vt quaſi accenſo diſcendi amore poſt quam ſubnotiones primas fecit, cupida quodammodo fiat diſcendi: & alia, quæ illi non planè diſtincta offerūtur in illis multis, quæ per primas ſubnotiones cognouit, quippe in ijs offeruntur conuenientiæ, & differētiæ eorum: quare illa inter ſe comparans videt alia eſſe diuerſa, alia ſimilia. hoc autem quod dico comparare non aliud eſt, q̄ recipere quædā ſub

A vno quodam modo, quo in re ſunt. quę enim diuerſa ſunt locis proprijs, formis, figuris, magnitudinibus, actionibus & alijs, hęc quidem anima recipit vt diuerſa, iamq; componere dicitur, & diuidere. diuidere quidem, cum quædam recipit, vt diuerſa, componere vero cum quędam recipit, vt coniuncta & vnita. nihil enim prohibet, quę in aliquo diuiſa ſunt, in aliquo eſſe coniuncta. quæ enim locis proprijs diuiſa ſunt, & formis, & figuris, & ſitu, & actionibus, coniuncta eſſe poſſunt communibus locis, vt in theatro, in templo, in foro, in naui, & alijs. item & coniuncta ſimilitudine, & actione, & ſubiecto, alia, & figura, & eiuſmodi multis. hos ergo modos, quibus anima res concipit volentes nos voce ſignificare, adiecimus in voce, eſt, & non eſt. per eſt, quidem affirmationem faciētes, hoc eſt connotantes modum, quo anima concepit quędam, vt coniuncta, & vt vnum. per non eſt autem ſignificantes modum, quo anima concepit quædam, vt diuerſa. non enim in re eſt verbum illud eſt, aut non eſt, ſed ſolum extrema in re ſunt, et modus ille, quo concipiuntur ab anima, ſiue modus ille ſit in re, ſiue non ſit, appareat autem, qua de cauſa anima iam & vera dicitur, & falſa. vera quidem cum ita eſt, in re, vt cōcepit, falſa autem, cum aliter concepit ac ſit in re propter errorem, de quo mox dicemus. Quæſiueritis autem fortaſſe vtra prior apud animam ſit affirmatio ne, an negatio. videtur enim quibuſdam affirmatio eſſe prior, quia ne

Aīa qūo cō pōit, vel diuidit.

Affirmatio & negatio quid ſint.

Aīa qn̄ vera, vel falſa dicatur.

Nū affirmatio ſit ipſa negatione prior.

B gare vnum de altero non poſſumus, niſi prius illa vt duo cognita ſint. ſi autem cognoſcuntur vt duo, neceſſe eſt vtrunq; cognoſci prius, vt vnū: quare videtur anima prius dicere, hoc eſt vnum, & ſic prius affirmationem facere. mox negationem, ꝙ hoc non eſt illud. Contra vero vr̄ negatio prior fieri, ꝑpterea quod ſi affirmamus aliquid de aliquo, neceſſe eſt cognoſcere illa, vt duo, & diuerſa inter ſe: quare prius alterum de altero negamus, q̄ affirmemus. qua in dubitatiōe videtur mihi natura prior negatio, q̄ affirmatio, non ſolum propter dictam nunc rationem, ꝙ oportet quæ affirmamus prius fuiſſe cognita, vt diuerſa & duo, ſed quod multo facilius eſt videre ea, quibus res inter ſe differunt, q̄ ea in quibus conueniunt, & coniuncta ſunt. differentiæ enim multæ ſunt. vnum autem eſt, id in quo conueniunt. quod vero dicebatur in negatione oportere duo illa eſſe prius cognita ſeorſum, vt vnum, verum quidē eſt, ſed illa cognoſcuntur, vt vnum conceptu ſimplici, non compoſito, & per enuntiationem dicentem hoc eſt vnum, ſic enim oporteret vnitatem cognitam eſſe, vt diſtinctam à ſubiecto. quod ſi etiam detur, illud pariter eueniet, vt duo illa cognita fuerint prius, vt diſtincta. quare omnino prior eſt negatio, q̄ affirmatio.

Denumerā di & īmaginādi actu, q dn̄r qd ſint & qūo, & circa q̄ fieri cōtingāt, & ꝑ quā potētiam.

Vt ergo ad propoſitum noſtrum redeamus, illud reſumēdum eſt poſt

primas

primas ſubnotiões factas,per quas plura cognoſcimus multo diſtinctius, q̃ oblata fuiſſent in toto illo,quod prius apprehenditur, iam incipit anima compoſitiones facere,& negare,& affirmare vnum de altero. deinde & numerare ẽt addiſcit:tum & imaginari ſimul,& memorari,ac conſequẽter alia multa & maiora moliri. Prius aũt dicemus de ijs,q̃ penè cõiuncta cũ ſubnotionibus ſunt. vbi igitur poſt primas ſubnotiones didicit cõpoſitiones,& diuiſiones facere,cœpit ẽt numerare. ſicut.n.primũ,qđ cognouit,vt vnum per ſe ens recepit, ita & ſcđm vt per ſe vnum apprehẽdit,& tertiũ,& alia.quod igitur vnitate ſola metitur, vnũ appellauit, quod duabus,duo vocauit,quod tribus,tria,& quatuor,& quinq;,& ita de alijs in infinitum.nihil enim aliud eſt numerus, q̃ acceptio plurium, quatenus in vnitate conueniunt,& ab illa pluries menſurantur. At vero & per idem principium poſt ſubnotiones cœpit anima imaginari. nam vbi per ſubnotiones plura vt plura & diſtincta cognouimus, ſi illa plura conſideremus,qualiter ſe habent in toto aliquo, in quo coniuncta ſunt, tunc dicimur imaginari.nihil enim aliud eſt imaginari, q̃ plura vt plura recipere,& comparare ad id,in quo coniuncta ſunt, & videre, qualiter vnumquodq; ſeſe in illo habeat:quæ operatio poſt ſubnotionem natura fit.fieri autẽ in oĩbus poteſt,in quibus plura eſſe coniuncta poſſunt,ſiue loco cõiuncta fuerint,ſiue ſitu,ſiue forma,ſiue figura,ſiue actione,ſiue ordine,ſiue ſimilitudine,ſiue aliter cõiũcta eſſe accidat:qđ maxime oſtẽdunt mathematici,& architecti,& pictores,& qui artes exercent.mathematici enim & angulos,& lineas,& figuras exacte ſimul conſiderant,vt ſeſe habent:pictores vero & hominem,& hominis partes,&partium partes vſque ad minimas tenent,quo ordine,quo ſitu ſint, & moto vno mẽbro,quid agant reliqua.Similiter & architecti circa ædificia ſe habent,et alij circa artes.quin imo & in ijs, quę finguntur,ſua quoque imaginatio eſt,& in futuris,& faciendis.in omnibus enim & rerum ordines, & partes,vt ſeſe habere debent,perpendimus:propter quod & alios bene imaginatiuos dicimus,alios male. Videte iam,quàm magna ſit facultas animæ.primũ enim ſenſibilia ſimplicia per ſenſus ipſos agnoſcit: mox maiori potẽtia vſa ſenſibilia omniũ ſenſuum dijudicat:deinde & adhuc maiorem potẽtiam aſſumens ſubnotiones facit,& cõfuſe oblata diſtinguit: quo facto eorum compoſitiones,& diuiſiones operatur ad hæc autem. & plura illa,quæ diſtinxit,comparat & inter ſe,& ad id,in quo coniuncta ſunt, ac videt,quo pacto vnumquodque ſeſe in illo habet. has autẽ maiores operationes facit facultas illa,quam Phantaſiam alij vocant: è noſtris vero quidam cõmuni quodam nomine imaginationem appellare maluere.nos,quo melius intelligeremus rem ipſam, imaginationem

Aĩam nũerare,& numerus qd ſit.

Imaginatio qd ſit, & quõ fiat, & q̃ñ anima imaginari dicatur.

Hoĩum cur aliq fortis, alij debilioris imaginationis ſint. Collige oẽs ex tanto viro phãtaſiæ operationes.

non

A non omnes has opationes vocauimus,ſed vnam tantum. potentiam vero illam,quæ & hanc,& alias operationes exercet, Phãtaſiam volumus appellare.quanq̃ aliqui eam potentiam, quæ componit & diuidit, non phantaſiam,ſed cogitatiuam vocant,in qua eſt veritas & falſitas, phantaſiam vero,in qua nec veritas eſt,nec falſitas.nos autem vnam tantum eam potentiam exiſtimamus,quæ prædicta omnia docet.

Hæc autem & alias multas actiones habet, inter quas & illa eſt, quæ memoria vocari ſolet.de qua diligenter agendum iam eſt,& vidẽdum, quo pacto differat à ſubnotione.non eſt autem memorari idem,quod reſeruare ſpecies,tametſi non fiat memoria niſi reſeruatis ſpeciebus. in reſeruatione.n.ſpecierum per ſe nulla intellectio fit,at in memoria, reintellectio quædam fit eius,quod prius etiam intellexeramus.Fit autem reintellectio hæc,occaſione cuiuſdam, quod aliàs obſeruauimus cum eo coniunctum.quod reintelligitur,comparauimusq; inter ſe,vt coniũcta, quare quoniam ſpecies ſolet rem,&coniuncta referre cum re,inde fit vt occaſione aliqua oblato vno repræſentetur et aliud.vt viſo Dionis famulo recordatio fit & Dionis,quos aliàs comparauimus in relatione ſerui & dñi:quin & aliorum etiam recordamur,quę cum Dione fuere coniũcta, vt quod heri in porticu deambulabat, & cum quo, & quæ dicta fuere,& reliqua.Similiter & viſa picea illa,quę iſtic eſt,recordati fuimus

De memorãdi et remi niſcendi actu,quid nã ſint, & q̃uo fiãt: & illorum a ſubnotione diſcrimine.

B & illius.quam olim vidimus in horto doctiſsimi Bembi in agro Patauino, de quo fortaſſe dubium eſſe poteſt, quo modo fiat, quoniam hæc picea nunquam comparata fuit vt coniuncta cum Bembi picea. nihil autem refert, ſi hæc nuper viſa comparata non fuit, dummodo forma coniuncta ipſa fuerit. cum forma enim nunc oblata coniuncta eſt & illa,quæ apud Bembum aliàs fuit cognita:quare ex noua hac occaſione recordatio facta eſt & alterius.Videretur autem fortaſſe vobis & ſubnotio, de qua nuper diximus, eſſe memoria quædam, quoniam & illa fit ad prius nota, quæ reintelliguntur diſtinctius occaſione illius totius,in quo coniuncta,& confuſa erant:ſed certe differentia multa eſt inter eam,quam ſubnotionem vocauimus,& memoriam.memoria enim interiectionem quandam temporis poſcere videtur, ſubnotio autem fit ſtatim ad coniuncta confuſa,quippe cum ſenſu etiam actu exiſtente fieri poſsit.præterea ſubnotio ad prius nota fit,ſed confuſe nota; memoria vero poteſt inter diſtincte cognita fieri,ĩmo in memoria præſupponitur cõparatio quædam inter diſtincte prius cognita.videtur etiam memoria ꝓprie fieri inter ea.quæ prius nota per ſubnotionem fuere.quãobrem& tẽpore,& natura,& ratione videtur memoria à ſubnotione differre. illud tamen non neſciendum eſt interdum,dum memoramur,offerri quædã

Memoria tpe,natura, & ratione à ſubnotione diuerſa eſt, & ſi nõ nũq̃ ei admiſceatur.

vti

vti confusa,& per vmbram, ad quæ distincte cognoscenda mouetur anima, qui motus non proprie memoria, sed subnotio est. nihil enim prohibet cum memoria quãdoq; commisceri subnotionem, sicuti cum distincte cognitis possunt sæpe quædam coniungi cõfuse oblata, aut etiam dubia. si igitur ea confuse oblata, aut dubia distinctius cognoscamus sine discursu, subnotio sola fit. si vero per discursum cognoscamus, nec subnotio dicitur, nec proprie recordatio, sed reminiscẽtia. quippe ea quæ aliàs in memoria seruauimus, cum reintelliguntur occasione aliqua, vel ꝓmptissima sunt, & apta statim monere animam, vel iam quodãmodo è memoria decidere, & indigent quadam peruestigatione: vel & si non ꝓmptissima sint, non tamen multa peruestigatione indigent, sed solum intẽta applicatione. quæ ergo promptissima sunt, & statim sese offerunt, vt aliàs collata cum illo quod occasionem præbet, memoriam facere dicuntur: quæ vero indigent perscrutatione & discursu quodam reminiscentiam. at illa quæ solam intentam applicationem poscant, subnotionem. vt in exemplo picæ visæ apud Bembum, ex hac quidem quæ istic est recordati fuimus, & illius, quoniam promptissima in memoria nostra fuerat. Si vero velimus recordari, quo tempore visa fuit, non possumus quidem, nisi ex discursu quodam, quoniam penè è memoria tempus id deciderat: quare recordati, ꝙ nos rosa plurima coronauimus, rosa autem nõ nisi vere prouenit, hinc reminiscentiam fecimus, quod vere visa fuit. reminisci enim dicimur id, quod de nouo per inquisitionem addiscimus, aliàs quidem notum, sed iam è memoria delapsum. Quòd si velimus etiam eorum recordari, qui affuere, quoniam id non admodum promptum est, videmus tamen quasi in confuso sic quidem solam intentionem, et applicationem ad confuse oblata facientes per subnotionem recordabimur, & hunc Naugerium illic affuisse, & hũc Fracastorium, & M. Antonium Turriũ fratrem & alios. Est igitur subnotio quatenus cõfuse oblata vnũ post alium noscimus, recordatio vero quatenus illi idem alias distincte cogniti fuerant, & collati loco, & actione. quid igitᵉ subnotio sit, & quomodo fiat, & quid componere, & diuidere, & numerare, et imaginari, et memorari hoc pacto pro tempore dictum sit.

Reminiscẽtia qđsit, & ꝙ reminisci dicamur.

Memoria qđ sit, hinc colligeᵉ potes.

Subnotiõis memorãdi; ac reminiscẽdi actus cuius potẽtię sint, & quã differẽter brutis, & hoĩbus illos exercere cõueniat quo itẽ mõ hoĩes inter se varijs cõpłonibus affecti eos producant.

Nunc à qua potentia hæc omnia fiant, & quæ sint in his differentię tũ hominis, & reliquorum animalium, tum hominum inter se inquirendũ est. In primis igitur non hęc à communi sensu fieri videtur mihi propter dictam superius rationem, ꝙ natura à simplicioribus semper procedit: quare ab ea fieri potentia omnia hæc, quæ communi nomine Phantasia appellatur, quam Aristoteles motũ à sensu in actu factum dicit, hoc est à sensibilibus à sensu decisis. nam certe motus, qui primus in animam fit

postꝙ

A postq̃ sensus actu facti sunt, prædictas operationes facit. quod vero dicit ipse phantasiam neq; veram, neq; falsam esse, intelligendum est per se, & necessario. subnotio enim, quæ prima phantasia est, neq; vera, neque falsa est. Quòd vero eadem quoque potentia, quæ subnotiones operatur, componat etiam & diuidat, & imaginetur, & numeret, & recordetur, manifestum esse potest ex eo, quòd penè coniunctæ inuicem sunt operationes hæ.

Qũo ĩtelligi dẽat phã tasiã neque veram neq; falsam esse.

Videntur autem & animalia reliqua easdem has operationes facere, & phantasia sua agi: verum omnia confuse quodammodo exercent, si ad hominem comparentur, & non in omnibus, in quibus homo. in vniuersum autem animalia omnia facilius & certius prædicta obeunt in ijs, quæ per sensum visus cognoscuntur, q̃ per alios sensus: quoniã visus longe plura alia ostendit, q̃ alij sensus, & magis distincte. siquidem & loca, & figuras, & motus, & actiones, & propinqua, & remota vsq; ad cœlum monstrat, & alia multa, quæ alij sensus non monstrant. Quòd si auditus videtur fortasse multa docere, hoc quidẽ non per se facit, sed beneficio visus adiutus. Propter hanc causam facilius est & subnotiones facere, & cõpositiones, & diuisiones, & imaginationes, & recordationes, in ijs, quæ loco coniuncta sunt, q̃ in ijs, quæ subiecto, & alijs. Loca enim maxime visu cognoscimus, & quæ in illis sunt, & eorum formas, & figuras, & B actiones, & alia. vnde & pueri, & plebs de ijs maxime loquuntur, quę cõiuncta locis viderunt. quinimmo & inter animalia, multa è brutis sunt, quæ melius recordantur locorum, q̃ homo: qua in re miraculum præbent canes. inter homines quoque, qui brutis vicini sunt, hac locorũ memoria plurimum valent. Famulus esse solebat mihi, qui cum paulo supra bestiam foret, tamẽ si aut equitare, aut nauigare, aut aliter proficisci contigisset, omnium ordine viarum, diuerticulorum, domorum mira quadam recordatione pollebat. quod ego puer adhuc, quasi indignans, ꝙ homo morio mihi adeo præstaret, solebam apud patrem meum dolere. At ille subridens, tace solebat dicere, quoniam hic bestiam sapit.

Visus plures rerũ differẽtias nobis ostẽdit, quã cæteri sensus: non auditus, q͞a nõ p̱ se, sed bñficio vis⁹ adiut⁹ ad disciplĩas plurimũ valet.

Loco coniuncta facilius imaginamur, ac r̃cordamur his q̃ subiecto, & alijs ꝯiũcta sũt.

Mł̃ta è brutis mel⁹ recordant̃ locorũ: q̃ hõ, & inter homines, qui brutis vicini sunt.

Quæ vero subiecto coniuncta sunt, non facile est à subiecto distinguere, & inter se: tum ꝙ sępe pluribus sensibus indigemus, tum ꝙ subiectum esse ab accidente distinctum non cognoscimus, nisi multo post. quæ vero similitudine sunt coniuncta, in multis quidem facile est subnotiones & alia facere, in multis vero non facile, quoniam similitudinum quædã patentiores sunt, quædam latentiores, & aliæ sunt in substantia, aliæ in accidentibus, aliæ in causis, aliæ in effectibus, vnde & transumptiones et epitheta sumuntur. quæ vero tempore sunt coniuncta, nihil prohibet & bruta etiam cognoscere, sed confuse admodum, quoniam nec tẽpus cognoscunt,

Horis, diebus, & ãnis cõiuncta solus hõ cognoscit, ac memorat. Hoĩum nõ nulli imaginantur, & memorant aliqua potius, q̃ alia, varijs cõplexionibus affecti, & ad diuersa ĩcli nati.

gnoscunt nisi confusa quadam notitia in motu quorundam.quæ autem C
horis,diebus,annis coniuncta sunt,solus homo potest cognoscere.

Inter homines porrò alij subtiliter, prompte, ordinate subnotiones & alia obeũt:alij ruditer,segniter,et inordinate:& hi bene in vno sensu, male in alio:alij bene in vno genere rerum,alij in alio. horum omnium causæ in vniuersum duæ sunt,vna principalis,alia subsequens. principalis est mala dispositio,vel bona sensuum : & potẽtiæ illius,quæ intelligit quæ bona,vel mala dispositio consistit in bona, vel mala complexione, vel compositione organi,& mensura spirituum : qui calor naturalis dici solet.ex quo sequitur & alia,quæ mox causa est bene, vel male obeundi prædictas operationes.est autem vel voluptas, vel displicentia obeundi. qui enim bonam dispositionem habent temperaturæ,et compositionis, & calorem naturalem idoneum,vel simpliciter,vel in aliquo sensu, etiã cum voluptate operantur,quia valent assequi.tales autem prædicta exercẽt prompte,subtiliter,et ordinate,vel simpliciter,vel in eo,in quo bene dispositi sunt.quippe nascimur omnes ad certa inclinati, quæ & intenti, & cum voluptate facimus.qua de causa auari circa pecuniam incredibili quadam industria & subnotiones,& imaginationes, & enumerationes,et memorias exercent,ad reliqua alioqui rudes:alij circa amores, alij circa lusus,alij circa philosophiam,& ita in alijs.cõtra vero, qui prauam habent dispositionem,& calorem non naturaliter se habentem,vel sim D
pliciter,vel in aliquo,ij vel non possunt obire prædictas actiones, vel perperam obeunt:præcipue quibus calor est multus quidem, sed extraneus circa sedem animę:similes enim ebrijs sunt.quare sine vlla voluptate omnia peragunt,ĩmo cum labore,et displicentia. vnde nec attentionem adhibent,et omnia praue exercent.Sunt tamen nõ nulli, qui attẽtionem non adhibent,et propterea sæpe rudes circa quædam videntur,non quia male dispositi sint,sed quia quædam vel contemnunt,vel melioribus intenti diuertũtur ad alia.sed de his velle minutissime dicere, infiniti laboris esset.quare ita in vniuersum dictum sit.

Cur sæpius repetita sic firma ĩ memoria pmaneant, vt æterna videantur.nõ nulla vel familiarissima ac sæpius dcã difficile memoremur. quędã nec cogitata, aut opinata ĩ memoriã subeãt.

Circa memoriam tamen quædam videntur quæsitu digna. ac primũ quî fiat,vt sæpius repetita adeo firma in memoria figantur,vt ęterna quodammodo fiant.Deinde cur accidat nobis sæpe volentibus quædam,vel familiarissima,et millies dicta non possimus ad memoriam reducere, et nominare:qñq; vero non nulla subeant in memoriam, quæ nunquam opinati essemus,quorum nulla apud nos consideratio fuit.

Quòd igitur sæpius repetita valde memoriæ insideant,manifestũ est omnibus.quid vero acquirat repetita species in intellectu, nõ solum manifestum nõ est,sed valde occultum videtur.si enim species (vt diximus)

omnes

A omnes ſimul ſunt,& vno in puncto omnes,quidnam acquirere poteſt illa,quæ centies repetita eſt? non enim intenſior per ſe ipſa fit,quanquam animam millies moueat.relatio enim quædam eſt, quod intelligere dicimus,ſiquidem nihil aliud eſt,q̃ repræſentatio quædam.igitur quanq̃ millies repræſentet,non tamen propter hoc videtur intẽſior per ſe fieri.quare,ſi non intenditur per ſe,quidnam per Deos acquirit,vt adeo ęterna in memoria reddatur?

Fortaſſe igitur(vt opinor)dicẽdum eſt repetitam ſpeciem,tametſi forte nullo alio immutetur,hoc tamen magnum,& præcipuum acquirere, quòd in pluribus cõiunctis potentior fit.diximus enim ſpeciem cũ modis ſuis,& coniunctis reſeruari.quam ob cauſam,quoties iteratur,&repetitur,toties eadem reſeruatur cum ijs coniunctis,cum quibus intellectiones fecit.coniuncta vero dictum eſt,vnum referre aliud,& repræſentare conſueuiſſe.quocirca, quæ in pluribus coniunctis eſt ſpecies,ea próptior eſt,vt intellectum moueat,& memoriam faciat, ac maxime reſeruetur. vt ſiquis heri Dionem vidit in porticu diſputantem,hodie in foro orantem videat,cras nauigantem,tunc quidem accidit Dionis ſpeciem valde præſentem in anima eſſe.reſeruata enim prima die fuit cum ſuis coniunctis, tempore ſcilicet,loco,actione,habitu & alijs. ſimiliter & die ſecũda reſeruata fuit cum ſuis coniũctis:ac ſimiliter tertia. Igitur,ſicut ex prima

B die & coniunctis poteſt quis Dionis reminiſci,ita ex ſecunda, ita ex tertia,& alijs poteſt.quam ob rem Dionis ſpecies in valde multis potentior eſt,à quibus poſsit ad memoriam deferri.qua de cauſa & vniuerſalia maxime nota eſſe cõſueuere.hominis enim ſpecies, ſi non ex Socrate in animam peruẽnit,at ex Platone,& Callya,& alijs multis acceſsit. ꝙ ſi de aliquo memoria pereat,at perſtat tamen ex alijs multis. De vniuerſalibus tamen poſtea dicemus,quo modo,& magis nota & minus nota eſſe poſſint,q̃ particularia.hoc ergo primum acquirere repetitam ſpeciem cenſendum eſt. Fortaſſe autem & ſecundum ſeipſam intendi opinandum eſt.duo enim in ſpecie repetita ſunt:alterum,ꝙ ipſa ſecundum ſe qualitas quædam eſt,ſecundum quam ens per ſe eſt,& abſolutum:alterum vero eſt eſſe,quod habet,quatenus repræſentatiua eſt: ſecundum quod relatiuum quoddam eſt.quatenus igitur qualitas quædam eſt,& abſolutum ens, eatenus intendi poteſt ſæpius repetita.ſicut enim ex duobus luminibus vnum fit lumen intẽſius,ita ex duabus,& tribus, & decem ſpeciebus vna intenſior fit:intenſior autem facta,& in plures ſpiritus diffunditur, & profundius figitur.

Quo autem pacto fiat,vt ſæpe non poſsimus notiſsimorum, & familiarium recordari,ego hac de cauſa arbitror euenire, ꝙ eo tempore alia

Species ſæpius repetita, potẽtior cũ fiat, diutius in memoria retinetur.

Vſ̃ia ſunt maxime nota.

Spẽs ſępius repetita, in eo, ꝙ qualitas, intendi poteſt.

Familiariſſima difficile memoram̃ur & nom̃mus ex ipſa eius, qđ occurrit, ſimilitudĩe.

quædam ſeſe offerunt nobis, quę ſimilitudinem aliquam habeant cũ eo, C quod quærimus. aliqua enim cõueniunt in nomine, vel in principio, vel fine, alia conueniunt in perſona, vel figura, vel moribus, vel aliter. ergo volentibus nobis familiare aliquod, & notiſsimum nomen proferre, fit quidem ſæpe, vt non hoc, quod quærimus, occurrat, ſed aliud, quod con ueniẽtiam habet cum familiari vel in principio, vel fine, vel medio. Cur autem hoc aliud minus familiare prius occurrat, quàm id, quod notiſsimum eſt, & magis familiare, ſi quæratis, dicendũ (vt mihi videtur) in eiuſ modi caſibus occurrere prius ipſam conuenientiã, in qua conuenit vtrũque, ſub qua per inaduertentiam quandam interdum occurrit conſequẽter minus familiare: quod cum videamus nõ eſſe illud, quod quærimus, cõfunditur pauliſper anima, ex quo etiam magis obliuiſcitur quęſiti nominis. ꝙ enim cum confunditur anima, cõfundatur etiã memoria, oſtẽdit verecundia, & timor. ſæpiſsime enim ob hæc obliuiſcimur, & compoſitas orationes, & verba. heri volenti mihi proferre Dorotheę nomen alioquin mihi notiſsimum, & millies prolatum, accidit tamen, vt nunq̃ inuenire potuerim, ſed modo Theodora occurrebat, modo Timothea: quæ nomina in parte conuenientiam habent cum Dorothea. cuius rei cauſa primum fuit, ꝙ per inaduertentiam (vt accidit) non comparauerã partes nominis quæſiti in ordine ſuo, ita vt Doro præcederet, Thea vero ſequeretur: ſed modo occurrebat, quod cum Thea conuenientiam habe D bat, vt Timothea, modo, quod cõueniebat cum Doro, & cum Thea, ſed peruerſo ordine, vt Theodora. in qua perplexione ita mens confuſa ma nebat, vt nũquam fuerim recordatus quęſiti nominis, niſi tum, cum ſub lata confuſione me etiam nolente occurrerit Dorotheæ nomen.

Aĩa confuſa confundi & memoriã verecundia ac timor oſtendunt.

Quo autem modo quædam ſæpe in mentem veniãt, quæ nunquam opinati eſſemus, cum neque de ijs per multũ temporis cogitauiſſemus, cauſa eſt aliqua latens ſimilitudo, quæ caſu aliquo tunc occurrit, ſub qua memoria fit coniunctorum, quanquam antiquiſsima fuerint. quæ autẽ ſit latẽs illa ſimilitudo, quę haſce memorias excitet, difficile certe eſt dijudicare, adeo multa ſunt, quæ apud animam obuerſantur, vt patet in ſomnis, & ægritudinibus: propter quę ſæpe eorum etiam reminiſcimur, quę pueri egimus. ac de primis phantaſiæ operationibus ita pro tempore dictum ſit.

Inopinata, ac min⁹ cogitata ĩ mẽtẽ ſæpe magis veniũt ex lãtẽti q̃dam ſimilitudine.

Nũc ſequitur, vt perquiramus, quo modo ea cognita ſint, quæ ſpeciebus carent, & quid ſit abſtrahere, & fingere, & quomodo ſeparet anima, quæ coniuncta ſunt, & coniungat, quæ ſeparata, & demum quid ſit vniuerſale, & quomodo fiat.

Quæ nã, & q̃uo p alienã, vel propriã ſpeciẽ ĩtelligam⁹: Q̃uo item diuiſa vt ꝯiũcta, & cõiũcta, vt diuiſa intellectus intelligat.

Quòd igitur non omnia proprias habeant ſpecies, dictum eſt prius.

videntur

A videntur enim ſolum illa habere ſpecies,quæ accidētia vocantur, & per ſe mouere ſenſus poſsint, calor frigus,humor,ſiccitas,ſonus,lux, color, odor,ſapor.durum vero & molle,aſperum,lene, rarum, denſum modi dictorum ſunt: modi quoque ſunt figura,et quantitas, & alia his cōiuncta,quæ per ſe non cognoſcuntur,ſed cum alijs.ſunt igitur quędam,quę nec proprias habent ſpecies,nec coniuncta ſunt cum habentibus,quædā vero non habent per ſe ſpecies,ſed tamen coniuncta ſunt cū habentibus, & modi eorum ſunt.quæ ergo nullo pacto ſpecies habent, neq; coniuncta ſunt cum habētibus,omnia cognita ſunt per alienas ſpecies, per ſimilitudinem vel diſsimilitudinem aliorum quę quidem primum cōceptu quodam generali concipiuntur aut entis, aut rei, mox attribuentes ijs quædam ſimilia aut diſsimilia reperta in alijs,intelligentiam illorum facimus.ita Deum & alia immaterialia cognouimus,ita et ſubſtantiam ipſam.ſiquidem ſcientes nos, quid ſit cauſa, quid primum, quid motor, quid corporeum,vocauimus quidem Deum,qđ eſſet cauſa prima,et primus motor,et incorporeum.alia vero ſeparata cognouimus,incorporea quædam concipientes,verum non primas cauſas,ſed ſecundas. ſubſtantiam autem,ſcientes,quid ſit eſſe in alio,et non eſſe,ac videntes oportere nos aut in infinitum ire,aut perueniendum ad aliquid, quod non in alio eſſet,ſed per ſe ſubſiſteret.hoc ergo ſubſtantiam appellauimus. omnia igitur hæc per alienas ſpecies intelleximus.

Deū & immaterialia quō p alienā ſpēm cognoſcamꝰ.

B motus autē cognitus fuit ex loci mutatione.Dione enim recedente à priore loco,et rurſus ex alio, et alio, hanc quidem ſucceſsionem continuam motum vocauimus. nō.n.aliud eſt motus,q̄ modus, quo aliquid intelligitur ſucceſsiue aliter & aliter ſe habere in loco. Tēpus quoq; ſimili modo ab anima cōprehēſum fuit ex cognitione motus.partes enim motus comparans ipſa,et mēſurans videt hanc quidem eſſe,illam vero non eſſe, fuiſſe autem continuatam cum ea,quæ eſt,aliam vero nec eſſe,nec fuiſſe,fore autē,vt quandoque et illa ſit:quare illam quidem,quæ eſſet,præſentem vocauit, quæ vero fuiſſet,præteritam dixit,reliquam vero futuram. Neq; tempus autem, neque motus, quatenus continui ſunt, et partes habent, eſſe videntur niſi in anima,quod vero de ipſis extra animam eſt, inſtans dicitur,et hic ſiue ibi.Quęretis autem fortaſſe,quomodo futurum cognoſci potuit,quoniam,quod non eſt,non videtur poſſe intelligi.ad quod dicēdum cognitum fuiſſe futurum ex ſimilitudine præteriti, quoniam partes præteriti comparans anima vidit quaſdam ita ſe habuiſſe, vt,cū prius non eſſent, mox præſentes et ipſæ factæ ſint,ex qua ſimilitudine videt ita fore in reliquo motu.non igitur ex ſpecie propria cognitum fuit futurum,ſed ex ſimilitudine.

Motum ex ipſa loci mutatione, & tps ſecūdū oēs ſui partes ex motu quō cognoſcamꝰ.

Tps & motus eſſe hñt tm̄ in anima,quo cōtinua quædā ſunt.

Futurū ex pteriti ſimilitudine cognoſcimꝰ.

Poteſt

Quæ cōiuncta intellectus separare valeat, & quæ diuisa cōiūgere.

Potest autem anima, & quæ coniuncta sunt, separare, & quæ separata, C coniungere. verum, cum alia loco coniūcta sint, alia situ, alia ordine, alia similitudine, alia subiecto, alia tempore, alia alijs, facile quidem est, quæ loco communi coniuncta sunt, separare; hoc est recipere vt diuisa: quoniam locis proprijs seiuncta sunt, & formis, & figuris, & alijs. in vniuersum autem, quæ essentijs & formis diuisa sunt per se, quocunq; alio modo sint coniuncta, nō difficile est separare, vt album, & nigrum, & odor, & sapor, & lux, & sonus: at, quæ vnum sunt cum subiecto, non adeo facile est diuidere, & seorsum à substantia intelligere. Locum tamen à subiecto seiunxit anima, videns subiectum mutatum loco: vt si Dion mutasset locum, tum quidem Dionis species illum dupliciter repræsentat, & cum loco priori, & sine ipso. quare iam anima intelligit Dionem & sine loco priori, & locum sine Dione. quare illa, vt duo & diuersa intelligit. similiter autem, & quod vbi vocant, separauit à subiecto. differt autē vbi à loco, quanquam interdum & ipsum vbi vocetur locus, ꝙ locus proprie est superficies ambientis, sed mobilis, vt aeris, aut aquæ, & similium, quæ immoto subiecto locato mutari potest: at ipsum vbi superficies est ambientis corporis, inquantum corpus, quæ immutabilis per se est, & penes hanc motus attenditur rei, quæ moueri dicitur. non enim moueri dicitur columna, eo, ꝙ aer circundans mouetur, sed tum solum moueri dicitur, cum ipsa vbi mutat, & aliter atq; aliter se habet successiue secundum D diuersa vbi. separat igitur & hæc anima, intelligens rem sine ipsis, & ipsa sine Dione. Similiter, & si de albo fiat niger, & de calido frigidus, & de quiescente moueatur. omnia enim hæc & cōiūcta intelligit, & separata.

Potest etiam, quæ separata sunt, vt coniuncta recipere ex similitudine eorum, quæ prius coniuncta vidit, mox separauit. ex hac enim similitudine voluptate quadam permota imaginatur, quæ separata recipit vti coniuncta, vel loco, vel subiecto, vel aliter. quare & chimeras, & centauros sibi fabricat, & hortos, & palatia, & demū poeta fit. Habet autem fortasse dubitationem vtrum & bruta similiter imaginari possint, & coniungere, quæ separata sunt. ac quidem arbitror & illa consimiles quasdam imaginationes sibi facere. nam lupi & stabula imaginantur, & in ijs oues, & canes, & custodes: quin & somniant, & terrentur ab ijs, quæ non sunt.

Bruta etiā pñt separata coniungere.

Sed iam tempus est, vt de ipso vniuersali dicamus, quid sit, & quomodo fiat: quod video à vobis expectari. sed nescio certe, cōsultius'ne sit negocium hoc silentio inuoluere, an magis (vt puto à vobis desiderari) audacter prosequi. nam profecto, si prosequamur, videtur quidem non posse fieri sine iniuria multorum, & sine nota temeritatis cuiusdam. siquidem omnes ferè, qui de vniuersali scripsere, & ipse etiam Aristoteles (vt

Quo nam modo & à qua potentia fiat ipsū vl'e, tum ex aliorū, tum ex propria sñīa. Quæ itē ex vl'i-

a pparet

A apparet) videntur aliter exiſtimaſſe de vniuerſali, ac nos inpræſenti opinamur, & dicturi ſumus. Verum enimuero hoc ſacro in loco Dijs ſyluæ huius prę̨ſentibus, liceat nobis, quæ exiſtimamus, proferre: quæ ſi à vobis fuerint approbata, exeant etiam foras, ſin vero fuerint nõ planè accepta, has inter arbores & nemora iaceant abſcondita, ad iudicium bonorum Deorum, qui iſtic habitant.

bus fiãt nõ bis pri⁹ nota, an q̃ minus, an quę magis vñia ſunt.

Videtur igitur ò amici omnes ferè, qui ſeſe è peripatheſi philoſophos faciunt, ſeparatum quendam intellectum inducere, quem agentem vocant, à quo fiat vniuerſale. facultatem. n. illi attribuunt è ſenſibilibus rerũ ſimulachris (quæ Phantaſmata appellant) ſimplex ipſum vniuerſale, & puram ideam extrahere: quæ non hoc, nõ illud, ſed ſimplicem ipſam naturam repræſentat, denudatam ab omnibus ijs, quæ cum ſingulari coniũcta erant. atq; hoc intelligibile iam vocãt, cum prius ſenſibile tantum foret. qua de re diligenter conſiderandum eſt. ſi enim per nos ipſos abſque vllo ſeparato intellectu poſsimus vniuerſale facere, bene erit abſtractum illum intellectum labore hoc leuare, qui extra nos exiſtens ſat fœlix ſe ipſo eſt, & noſtras operationes à nobis fieri ſinit.

Vľe nõ fit ab extrinſeco quodam ĩtellectu ex ipſis phantaſmatibus ope quodã abſtractionis.

Quoniam igitur dicunt extrinſecum hunc intellectum ex ſenſibiliũ rerũ ſimulachris extrahere ipſum vniuerſale, percũctari eos licet, quidnã ſit hoc, quod extrahere dicũt. nam alterum duorũ videntur mihi poſſe

B dicere. vnum eſt, ꝙ intellectus ille ſpeciem quandam nouam efficiat ex illo ſimulachro, quæ nata ſit ſolum vniuerſale repræſentare: alterum eſt, ꝙ nulla ſpecies noua fiat, ſed tamen phantaſma, in quo includitur natura vniuerſalis, de ſe vniuerſaliter tantum repræſentet illi intellectui, qui de ſe abſtractus eſt, & materiale nullum poteſt recipere. Si igitur intellectus ille nouam quandam ſpeciem efficit, quæ vniuerſale referat, monſtrum profecto audire mihi videor, ſeparatam ſcilicet ſubſtantiam ſpecies facere: quando obiecta ſunt, quæ ſpecies faciunt vtpote imagines ſuas. ꝙ ſi intellectus ille non facit ſpeciem nouam, ſed tamen non intelligit, niſi quã phantaſma naturam de ſe vniuerſalem includit, illamq; recipit ſine ijs, quæ ſingulare comitantur, tunc quidem quærendum eſt, quomodo id fiat: nunquid ꝙ intellectus ille mutet phantaſma ab eo, quod erat, an non mutet. ſiquidem enim non immutat, nec quicquam in ipſum facit, nõ video, quomodo ipſum idem manens non eodem modo repræſentet: at vero ſi ipſum immutat, dicant per Deos, quænam actio illa ſit. nam ſi dicant (vt quidam aiunt) irradiare intellectum illum ſuper phantaſma, & denudare ipſum à conditionibus ſingularium, metaphorica quidem & poetica iſtæc videntur. & ſi poeta aliquis ita dicat,

Impugnatio ſatis valida contra quoſdã min⁹ recte ſentientes de vľis productiõe ab extrinſeco intellectu.

Ollis diuina ſuper mens

Aſtat,

Astat, magna, micans: cuius radiata nitore,
Quæ fuerant obscura prius simulachra, repente
Fiunt coram anima, claraq; in luce refulgent.
Non aliter, quàm, quæ cæca sub nocte tenentur,
Si feriat rutilum Solis iubar, omnia late
Splendescunt, pulchraq; petunt in luce videri.

Si ita inquam poeta dixerit, laudabimus quidem ipsum, philosophum autem non laudabimus, quoniam neq; lucet separatus intellectus, neq; intelligo, quid sit radiare, & denudare phantasma. q; si dicatur nihil fieri nouum ab illo intellectu in phantasma, neque immutari, non repræsentare tamen ipsum illi intellectui, sicut Socrati, & Platoni, sed vniuersaliter tantum propter naturam intellectus abstractam, cui non repræsentat phantasma, nisi quam naturam simplicem, & vniuersalem includit, equidem sic ego non video, quid ad Socratem, & ad Platonem faciat repræsentatio illa, quæ abstracto intellectui fit, si Socrati, & Platoni singulare ipsum repręsentatur. adde q; miraculum magnum videtur phantasma in alio existens, vt in Socrate, repræsentare tamẽ extrinseco intellectui vniuersaliter: primum q; separatæ hæ substantiæ per se, & per essentias suas intelligunt, non per species, & per phantasmata: deinde q; nec species vlla potest repræsentare nisi illi, in quo est. non sunt autem phantasmata in abstracto intellectu, sed in Socrate, & Platone, & Callya. Porrò maius quoque miraculum videbitur, si dicatur intellectionem abstracti intellectus communicari Socrati, & Platoni, quo & ipsi vniuersale intelligant. non enim apparet modus, per quem fieri posit hęc communicatio. propter hęc igitur, & alia multa, quæ præterimus sinentes valere intellectũ hũc abstractum, & se ipso gaudere, perquiremus nos, an per eum, qui in nobis est, intellectum & fieri & cognosci posit vniuersale. ad quod fores quodammodo aperuimus paulo ante, cum ostenderemus animam posse separare, quæ coniuncta sunt. nunc interna magis, & penetralia sunt adeunda.

Supponentes igitur illa omnia, quæ dicta sunt constituamus non fieri vniuersalia à nobis statim enatis, sed nõ nisi multo post, & adultioribus factis, & exercitatis in subnotionibus, & compositionibus, & separationibus coniunctorum: quod signum esse potest non fieri vniuersale ab intellectu abstracto. si enim ab ipso fieret, vtique & in infantibus fieret, in quibus iam phantasmata sunt.

Vniuersale longa ĩtellectus ĩ subnotiõibus, cõpositionibus, & separationibus exercitatione fit.

Fit autem (nisi fallor) vniuersale per hunc modum in nobis. visa, exẽpli gratia, niue, multa quidem cum ea (vt diximus) coniuncta sunt, albedo, figura, locus, situs, & alia. ex hoc igitur singulari ĩposibile est extrahi vniuersale,

A vniuersale, si hoc apud animam est primum vniuersale futurum, ante quod nullum aliud est factum. quare necesse est & aliud simile singulare videri ab ipsa. sit ergo hoc, lac. Iam igitur & nix, & lac in anima sunt, & hinc principium est quoddam ad vniuersale albedinis. nam statim, vbi post cognitionem niuis oblatum est lac cum suis coniunctis, recordatio statim fit & niuis, & coniunctorum cum niue. apprehēdit ergo illa duo anima, & vt duo, ac diuersa, & vt unum hoc est similia. dictum est enim supra, quomodo hæc fiant. rursus igitur appetitu noscēdi illam monēte videt ea, in quibus differunt, quòd locis, quòd formis, & figuris differāt: tum videt & id, quo conueniunt: atque hoc videt esse sine lacte, quia est in niue diuerso à lacte, ac etiam videt esse sine niue, quia est in lacte. Deinde uidet esse sine loco niuis, quia est loco lactis, tum & esse sine loco lactis, quia est in loco niuis: similiter & esse sine figura niuis, quia est in figura lactis, & etiam sine figura lactis, quia est in figura niuis: ac breuiter videt esse sine coniunctis cum niue, quia est in coniunctis cum lacte, quæ diuersa sunt: nec non & sine coniunctis cum lacte, quia est cum coniunctis cum niue. quapropter species albedinis iam in intellectu est multis modis. primū enim in niue, & coniunctis cum niue: deinde & in lacte, et coniunctis cum lacte: & sine niue in lacte, & sine lacte in niue: mox & sine coniunctis cum niue, & similiter sine coniunctis cum lacte. separata

B igitur iam est, & recipitur natura albedinis, cum per se repræsentetur quidem ipsa & sine niue, & sine lacte, & sine coniunctis eorum. quòd si & alia quoque alba videamus, aut etiam imaginemur, cerussam, parietē, & alia, in omnibus quidem consimilis consideratio fiet, quòd natura illa & in omnibus est, & sine quolibet. quapropter tandem species albedinis repręsentat vnum quoddam in multis, & per se, sine vno quoque illorum. atque hoc est, quod vniuersale appellamus, quod vnum in se est, & sine qualibet parte eorū, in quibus est. primum igitur vniuersale, quod à nobis fit, non sine quadam difficultate, & animę inquisitione perficitur: vbi vero unum, aut duo, aut tria confecta sunt, tum tanta promptitudine reliqua fiunt, ut etiam ex uno singulari uniuersale extrahamus. quare mox vniuersalium plena est anima. sicut autem ex singularibus, quæ specie vnum sunt, fit vnum vniuersale, ita & ex pluribus speciebus, quæ unum genere sunt, suum abstrahitur vniuersale: ita & ex ijs, quæ plura genere sunt vsque ad generalissima. hoc ergo pacto fieri uniuersale censendum est, si & ipsam etiam experientiam consulamus. sicut autem è lacte, & niue vniuersale albedinis fit, ita & coniunctorum sua vniuersalia, & ideæ extrahuntur. quare & vniuersale loci, & figuræ, & quantitatis, & numeri, & aliorum conficitur. propter quod potentia hæc animæ, quæ

Quid sit vniuersale.

Vniuersale à quo ītellectu fiat.

ideis eſt plena, diuina quodammodo eſt,& ſolus hic intellectus appellatur. C ille vero intellectus,qui nondum quicquam intelligit,ſed nudus eſt, & veluti tabula eraſa,ſimpliciter intellectus non dicitur, ſed intellectus in potentia. Fortaſſe autem et tertius alius eſt intellectus,qui ſenſibilibus phantaſmatibus eſt plenus:qui nec proprie intellectus dicitur, ſed à quibuſdam paſsiuus vocatur, eo quòd circa ipſum verſetur extrahendo ille,qui ideas,et uniuerſalia conficit, qui actiuus vocari poteſt, eo quòd, quæ ſingularia et ſenſibilia ſunt, vniuerſalia actu et intelligibilia efficiat. et hic ſolus diuinus eſt,et æternus,quoniam idem ſit intellectus, et intelligibile. vtrum autem de his ita opinatus Ariſtoteles fuerit,& hoc pacto fieri uniuerſalia exiſtimauerit, tempus non eſt nunc examinare.

Eadẽ prorſus ſpẽs eſt quę in ſenſu,& in intellectu.

Cum igitur vniuerſale fiat prædicto modo,iam & illud videri poteſt, quod ſupra in dubium reuocauimus, vtrum una eſſet ſpecies in ſenſu,et intellectu,quoniam videbatur diuerſa propter vniuerſale,quod in ſenſu non eſt. iam enim manifeſtum eſt vnam eſſe & eandem ſpeciem in vtroque,ſed modis diuerſis. in ſenſu enim eſt confuſa et coniuncta cum alijs cõiunctis,in intellectu vero ſeparata,et diſtincta,ac ſic uniuerſalis facta. dico autem eſſe factam uniuerſalem non ſecũdum eſſe,quod hebet,quatenus vna quædam qualitas eſt, ſic enim ſingularis eſt, ſed vniuerſalem, quatenus imago eſt,et repræſentat. Inter vniuerſalia vero,ſiquis quærat,

Magis vniuerſalia, q̃ minus vniuerſalium partes sũt, poſteriꝰ nobis innoteſcunt ipſis minus vniuerſalibus.

quæ nã extrahantur prius. an minus vniuerſalia, an genera et magis vniuerſalia, D dicendum, quòd ſemotis caſibus ſemper minus vniuerſalia abſtrahuntur prius. oblatis ſiquidem Socrate, Platone, boue, arbore, lapide, prius vniuerſale hominis educitur è Socrate, et Platone, quoniam ſimilitudo, quæ in ijs eſt,& maior eſt,et fortior,quàm quę inter Socratem et bouem,et inter Socratem et arborem, vel lapidem. Porrò poſt vniuerſale hominis ea ſimilitudo,quæ inter Socratem eſt et bouem, ſuum prodit vniuerſale, animal: mox fit viuens: mox corpus. ſemper enim,quod rationem totius habet, primo occurrit, et notius eſt. homo autem totum quoddam eſt,cuius partes ſunt animal, viuens, corpus: animalis vero partes ſunt viuens,et corpus: viuentis vero corpus. verum factis iam et adultis nobis,atque exercitatis in abſtractionibus, notiora, et promptiora nobis occurrunt,quæ ſunt magis vniuerſalia,quoniam ex pluribus ſunt repetita,et habitu quodam firmata. et ut talia rationem totius habent. totum enim quoddã eſt animal reſpectu hominis,et bouis,quæ partes animalis ſunt. porrò viuens totum quoddam eſt reſpectu animalis, et arboris. neque inconuenit idem eſſe modo totum, modo partẽ reſpectu eiuſdem, uerum non ſecundum eandem rationem. hominis enim pars eſt animal, ſi partes eſſentiales quęras. idem homo pars eſt animalis, ſi partes

Totum & ptes reſpectu eiuſdẽ, rõne tamẽ diuerſa, vnum,& idẽ aliquid eſſe poteſt.

integrales

A integrales consideres. sed de his alia quædam in sequentibus edicemus. Ac de subnotione quidẽ, & compositione,& imaginatiõe,& memoria, nec non & quid sit abstrahere,ac demum quomodo fiat vniuersale,hactenus dictum sit. reliquum esset de æstimatiua appellata potentia, & de vocatis secundis intentionibus non nulla dicere. verum,quoniã hæc longe post fiunt,&non nisi postq̃ & ratiocinationes excernimus,prius quidem de ratiocinio agamus,mox & de his,& alijs,quæ supersunt. sed bene erit,vt omnia hæc ad meridianas horas remittamus,iam enim quodammodo fessi sumus,& hora interpellare nos videtur. quare præsenti disputationi finem imponemus,ac rogabimus puerum nostrum, vt ad recreandos animos omnium aliquid canat. & ille mandato à Naugerio accepto temperata suauiter cythara, sic cecinit.

Lyncas nec acreis aduehe,neu gere
Thyrsos,venustum nec tege casside
Horrente vultum,sed tenero veni
Cinctus tempora pampino:
Tuisq; mitis & placidus sacris
Adesto, qualem te memorant,iugo
Bactris subactis,in medio Deûm
Conuiuam Ioue cum patre
B Sedisse,circùm Dijs resonantibus
Heu ohe: pharetra cum posita tuas
Laudes eburna grandiloquus lyra
Latona cecinit satus.
Ereptus igne vt fulmineo Iouis
Bis natus infans duceris ad Deos.
At tibi magnis plausibus omnium ad-
Risit cœlicolûm cohors.
Nanque ore pulchro talis erat color,
Rubente qualis enitet in rosa.
Tum prominebat exilientibus
Sacrum corniculis caput.
Tyrrhenus vt te nauita deprecans
Sero,furoris,numinis & tui
Expertus iras squammeus in mare
Piscis desilijt rate.
Sensit Lycurgus vitibus impiam
Ausus securim immittere: sensit &
Cohors gigantum trudere tum rata

Alto cœlicolas polo. C
Tu Gange victo miles ab vltimis
Indis triumphos uictor Io refers:
Et redeunti Susa & Achæmenes
Aras constituunt tibi.
Fremunt in altis orgia montibus
Heu ohe: solutæ per iuga Thyades
Crines in auras, raucisonis replent
Altum cornibus æthera.

Quibus dictis ac collaudatis surreximus.

HIERONYMI FRACASTORII
DE INTELLECTIONE
LIBER SECVNDVS.

Quàm mirabilē natura ipsa hominem fecerit, & q̄ ei munera fuerit miro ordine elargita.



VICVNQVE ille Trismegistus RHAMNVSI fuit, qui Theologica quędam nobis reliquit, recte profecto dicebat miraculum maximū esse hominem. cuius si structuram, membrorum formas figurasq́; si fines spectes, D si artificia, per quæ fines illos consequantur membra, & operationes exerceant, alias quidem propter se ipsa, alias ꝓpter alia: tum vero & operationes ipsas animaduertas, qua industria obeant, nihil profecto admirabilius videbitur à Deo, & natura factum. Ex operationibus vero omnibus illæ maximæ admirandæ sese offerunt, quæ ad cognitionem pertinent. de quibus Turrius partim superioribus disputationibus pertractauit, partim tractare sub meridianas horas promisit. ergo id tempus cum iã aduenisset, omnesque maximo quodam desiderio audiendi reliqua, venissemus eandem ad Syluam, consedissemusq; in corona, ille ita sermonem suscepit.

Hactenus ò amici circa intellectionem audiuistis, quanta industria natura procedat. primum enim à simplicissimis, & imperfectis exordiens, ad maiora, & magis admiranda progreditur. nam cum sensus ipsos fecisset, qui propter imperfectionem non nisi genus quoddam vnum rerū percipere possent, tum potētiam aliam statuit, quæ sensibilia illorū omnia dijudicare valeret. deinde, vbi etiã ordinasset, quo pacto ea sensibilia seruari possent in intellectu, ab hac & aliam potentiam constituit, quæ perfectiori modo quodam, & appetitu discendi impulsa, sensibilia ipsa quasi

per

A per tenebras perquirens nunquam cessaret, donec singula distinxisset, mox distincta consideraret, vt & inter se, & in eo, in quo coniuncta fuerant & oblata, sese haberent. tum & differentias, & cõuenientias eorum intuita cœpit & enunciationes facere, & componere, ac diuidere, numerareq; , & memorari. ad hæc autem & appetitu eodem ducta potuit, & quæ separata erant, coniungere, & coniuncta separare, ac demum simplices rerum ideas abstrahere, & ijs impleri, ac diuina fieri. nam & cognitionem illam Dij maxime habent. Nunc superest, vt & alias operationes prosequamur, quæ perfectiores etiam num sunt. primumq; de ea agamus, quam Græci dianian, nos ratiocinationem siue discursum appellamus: qua tot artes, tot scientiæ inuentæ sunt, ac illa tandem omnia, quæ sub cœlo, quę supra, & cœli ipsi, & Dij, & diuina fuere cognita.

De rõcinio & de quatuor ratiocinãdi modis, qd sint, & qũo fiãt, vcʒ exemplo, enthymemate, inductiõe, & syllogismo nec plures eẽ quatuor prędictis.

Ratiocinatio, quæ & circa complexa ẽ, ab ipsa subnotione incõplexoꝝ val de diuersa est.

Discursus ex duabus fit ꝓpositionibus, ex q̃bus seq̃tur tertia.

Igitur cum eorum, quę ab intellectu apprehenduntur, alia sint simplicia, alia sint complexa, quæ & enunciata, & propositiones appellamus, eadem est natura animæ, et discendi idem appetitus circa complexa, qui & circa simplicia. nam & circa complexa suas facit subnotiones, sicuti & circa simplicia. quæ vero in simplicibus subnotio dicebatur, in complexis ratiocinatio vocatur, quæ plurimum differt à simplici subnotione. quippe in subnotione neque veritas, neq; falsitas inerat, sed solus, & simplex motus de vno in aliud, in ratiocinio vero est veritas & falsitas. differunt etiam, quòd subnotio semper fit ad aliquod prius notum, saltem cõ-
B fuse, ratiocinium vero fit ad id, quod prius notum non erat, sed nũc primo addiscitur. fit autem discursus omnis semper in duabus propositionibus, quæ præmissæ dicuntur: quarum vna obseruata est, et prius in anima erat, alia vero est noua: ex quibus sequitur tertia, quæ conclusio vocatur, in qua est id. quod nunc primo notum fit. vt si prius nauigationi coniunctum esse naufragiũ vidi, vt in Callya, nunc vero videam Dionem nauigare, cõclusio fiet, ꝙ Dion naufragabitur. sunt igitur termini tres, duo extremi, et vnus medius, qui cum utroque communicat, Naufragium, Nauigatio, Dion. Nauigatio medius terminus, cui cõiunctum noui naufragium. si ergo & Dioni uideam nauigationem inesse, vtique naufragaturum concludã, donec contrarium non vidi, ꝙ scilicet aliquis nauigaret, & non fecerit tamen naufragium. Causa vero, ꝙ conclusio illa sequatur, inde est, ꝙ specierum natura est, illa semper repræsentare, quæ sunt coniuncta, vt dictum est. si ergo nauigationi coniunctum recepi naufragium, nunc quoque repræsentabit naufragium in Dione nauigante. videtur igitur ratiocinatio hæc per rememorationem quandam fieri. vt viso Dione nauigante memoria fit eorum, quæ coniuncta nauigationi obseruaui: inter quæ erat naufragiũ. ergo et in hac nauigatione naufragiũ,

vt coniunctum recipitur. Si igitur Plato hoc pacto dicebat disciplinam fieri per recordationem, recte certe dicebat: si uero intelligebat cõclusionem aliàs fuisse notam apud animam, et nunc recordari eiusdem, nõ recte asserebat. siquidem cõclusio, quatenus propositio est, nunc primo noscitur, nec prius nota erat nisi in potentia, in coniuncto reseruato in memoria. videtur autem Plato in Phędone opinari scientiam nostram fieri non primo modo, sed secundo. quare merito ab Aristo. reprehensus fuit. C

De exemplo, qd sit, & quõ fiat.

Simplicissimus igitur et natura primus, qui ab anima fit discursus, est ille, qui ab uno fit ad unum per commune aliquid in utroque compertũ. quale est nuper assignatum ex memoria naufragij in Callya, dum nauigaret, ex quo et Dionem nauigantem opinamur naufragaturum. communis terminus est nauigatio: cõiunctum obseruatum est naufragium. nauigatio igitur semper & vbique repræsentabit naufragium sibi coniũctum, si contrarium non vidimus. similiter, & si Heluetij data fide prodiderunt L. Crassum, vtiq; & Cæsari proditionem facturos credemus. terminus medius est fides data ab Heluetijs: coniunctum obseruatum est proditio facta L. Crasso. Si ergo contrarium quis non vidit, probabiliter credet & Cæsari proditionem futurã: quia species media de natura sui semper coniuncta refert. verum necessaria non est hæc ratiocinatio, quoniam coniunctum illud cum termino medio necessario non est coniunctum, sed potuit casu aliquo, & alia ratione coniunctum fuisse, quæ non erit in alio. neq; enim, si Callyas nauigans naufragium fecit, necesse est & in Dione fieri, quia alia ratio est in vnõ, alia in alio. nec si Heluetij proditionem L. Crasso fecerunt, necesse est & C. Cæsari facere. aliam enim causam & forte iustam in L. Crasso, quam in C. Cæsare non habuere. ꝓbabile tamen accipitur ab eo, qui contrarium non vidit. vocatur autem hic discursus exemplum, à quo pueri incipimus ratiocinari, quoniam facile est in vno obseruare, & ab illo in simile ferri, specie per naturam repræsentante coniuncta. vtitur autem & illo plebs. propter quod rhetores vtuntur maxime exemplis ad populum, quia ex notis mouemur. Fortasse autem & alia animalia exemplis mouentur. aues enim cum vident aliquas alias visco captas, viscum euitant, simile sibi futurum existimantes. habent quippe & alia animalia phantasiam, quæ ex particularibus potest discurrere. D

Pueri & plebs vtuntur exẽplis fortasse ẽt alia animalia bruta.

Exemplis cur Rethorer vtãtur.

De Enthymemate qd sit, & quõ ab exẽplo distinguat.

Secundus autem ratiocinandi modus prædicto similis est, sed tamen efficacior aliquanto, quãquam neque ipse necessarius. fit autem hic à pluribus obseruatis ad vnum aliquod, quasi sint multa exẽpla. conuenit igitur cum exemplo, quia ad vnum est, sicuti exẽplum: differt autem, quia à pluribus obseruatis procedit, cum exemplum ab vno esset. Si ergo plu-

ries

A ries obſeruauimus prauos eſſe,qui pernoctant,videamus autem Catilinam pernoctare,vtiq; Catilinam prauum exiſtimabimus.terminus medius eſt pernoctatio,cui coniunctum eſt prauum eſſe,vt pluries obſeruauimus.concluſio erit Catilinam prauum eſſe.et ſi in multis vidimus mulieres cum viris conuerſantes non caſtas eſſe,nunc vero videamus Athalantam conuerſari cum viris,etiam non caſtam eſſe concludemus.terminus medius eſt conuerſari cum viris, cui coniunctum eſt non caſtam eſſe.concluſio Athalantam non eſſe caſtam,quia ſpecies termini medij ꝓ natura ſua ſemper repræſentat coniuncta. quare & in Athalanta repræſentabit,ſicuti in alijs multis vidimus.Neceſſarium autem neq; hoc eſt,ſicuti neq; exemplum,quia coniunctum cum termino medio,neceſſario non eſt coniunctum,ſed poteſt non eſſe.neque enim neceſſarium eſt omnes,qui pernoctant,prauos eſſe,& mulieres omnes non caſtas, quæ cum viris verſantur.eſt tamen probabilior, & efficacior ratiocinatio hæc, q̃ exemplum.ſi enim vnum obſeruatum fidem facit,à fortiori plura obſeruata,tanquam multa exempla,fidem maiorem facient. Quæſieritis autem fortaſſe,utrum propoſitio illa in pluribus obſeruata proponatur de omni,an indefinite,vt quòd omnes pernoctantes praui ſint,an pernoctãtes praui ſunt. ad quod dicimus propoſitionem illam obſeruatam nec etiam proponi ſolere,ſed ſolum aliam,quæ ſignum dicitur, vt quod Ca-

Enthymema efficacius ē exẽplo.

B tilina pernoctat.dicet enim rhetor,vultis videre iudices qualis ſit Catilina?tota nocte pernoctat.tacent autem aliam propoſitionem, ꝙ pernoctantes praui ſint,quia apud omnes quaſi inſitum eſt pernoctantes eſſe prauos.ſiue ꝙ in pluribus ita obſeruetur,ſiue quod facile ſit adducere rationem probabilem, quòd pernoctantes ſint mali, eo quòd cauſa huius non poteſt eſſe vt plurimum bona. ſiue igitur taceatur propoſitio illa obſeruata,ſiue proponatur de omni,ſiue indefinite,fidem non habet,niſi vt in pluribus,vnde & ad unum ſimile probabilitas ſit. appellatur autẽ hic diſcurſus à Græcis enthymema,à noſtris commentum proprio quidem vocabulo,ſed & ad alia tranſumpto. propter quod & nos enthymema vocabimus.Sunt autem enthymematũ alia facilia & in promptu vulgo,alia difficiliora:facilia ſunt,quæ familiaria ſunt ſenſibus, quibus non ſolum pueri & plebs,ſed & bruta etiam animalia vti ſolent, difficilia vero,q̃ remotiora ſunt à ſenſibus, ſolis philoſophis,& prudẽtioribus nota.

Enthymematũ alia facilia, alia difficilia ſunt.

Tertius vero ratiocinandi modus & ipſe à ſingularibus procedit, verum differt ab exẽplo,& enthymemate,ꝙ exemplum ab vno,enthymema à pluribus ꝑ ſe, hic vero ab omnibus ſit diuiſim cõprehenſis.differt et in concluſione,ꝙ tam exemplum, q̃ enthymema ad vnum particulare ſit,hic vero ad oẽs in vniuerſum collectim acceptos,vt hoc: terra, aqua, aer,

De inductione.

aer,ignis mouentur motu recto:hæc autem sunt omnia elementa: omnia ergo elementa mouentur motu recto. terminus medius sunt terra, aqua,aer,ignis quibus obseruatū est inesse moueri motu recto.alia ꝓpositio est,hæc esse omnia elementa. conclusio fit, omnia elementa moueri motu recto,per eandem rationem.qua & prædicta concludebant:quòd scilicet species termini per se & semper repræsentat coniunctum. quare & in conclusione id repræsentat,vt elemēta omnia moueri motu recto. Similiter & hoc.plantæ,& animalia animata sunt: hæc autem sunt omnia corpora organica:omnia ergo corpora organica sunt animata.terminus medius animalia,& plantę,obseruatum animata esse:aliud extremū corpora organica:sequitur cōiunctum,obseruatum inesse organicis corporibus.nihil autem refert,siue singularia,à quibus proceditur,sint indiuidua, vel sint species,vel etiam genera,dummodo vt vnum, & vt partes accipiātur.vocatur autem inductio discursus hic, quòd partes omnes diuisim inducantur ad ostendendum totum.Sed illud fortasse quæretis, quomodo in multis possibile sit singularia omnia induci & enumerari, cum sint infinita.ad quod dicendum,quòd in quibusdam facile est omnia singularia induci,quando scilicet ea determinata sunt,vt prædicta:in quibus vero singularia sunt infinita,fiunt quidem inductiones,sed in his quædam tantum singularia inducuntur, reliqua uero accepimus dicentes ita esse in aliis,vti in assignatis. sufficit enim si viso hoc,& illo,& alio & alio Rhabarbaro, quòd purgat choleram,dicamus alia omnia esse his similia. quare conclusio fit de omni,quòd omne Rhabarbarum purget choleram. Sed rursus dubitare contingit, quomodo possimus assumere & alia omnia esse similia. de primis enim uisis & probatis, dubium nullum est, quia experientia id monstrauit: at de aliis, de quibus experientia nulla est facta,non uidetur, quam fidem habere possimus. Dicendum assumptum illud ita esse in alijs, fidem habere interdum probabilem tantum, interdum necessariam. probabilem quidem virtute exempli,& enthymematis.si.n.in vno,aut ēt in multis ita esse vidimus, ꝓbabile est ita fore & in hoc, & in illo, & alijs, quotquot imaginati fuerimus, tametsi nō viderimus in his, sicut in primis assignatis.habita igiṫ notitia de primis per experientiā,de alijs vero probabiliter per similitudinē concludimus in omnibus ita esse, sed probabiliter tantum. interdum fides nō solum probabilis est,sed & necessaria,& hoc duobus modis.vno modo cum facta obseruatione in quibusdam signatis,quærimus,ꝓpter quid sit,& inuenta illa causa,ita dicimus esse debere & in alijs.quare de omnibus tandem concludimus.vt si viso hoc, & illo Rhabarbaro, ꝙ purgent choleram,quæram, propter quid sit:& sciens ꝙ,quæ purgant choleram,

In īductione an oīa singularia īducere necesse sit.

A ſunt amara acria, abominabilia naturę, & talia eſſe hęc viſa, fides fit et de alijs, quæ talia ſunt. vnde cõcludimus omne Rhabarbarum purgare choleram ex hoc, ꝙ primo vidi hoc in quibuſdam, mox facta ratione ad naturam cõmunem, ita & de alijs accepi. Alio modo neceſſaria fides fit, cũ ſingularia prorſus ſimilia ſunt, & quale vnum eſt, talia eſſe omnia alia. vt ſi videam has duas lineas rectas ęquidiſtantes nunquam concurrere, ita de alijs etiam accipiemus, eo ꝙ prorſus ſunt ſimiles. quare de omnibus cõcluſio fiet. & talia ſunt mathematica omnia. naturalia vero non ita ſe habent. poſſunt enim ſimilia eſſe quædam ſingularia, ĩmo & multa, & multa, omnia vero nõ eſſe talia. Itali quidem enim, & Germani, & Galli omnes albi ſunt, non tamen omnes homines albi, vt Aethiopes. cauſa eſt, quia non omnino ſimiles ſunt: & alia cauſa facit Italos, Gallos, & Germanos albos, alia Aethiopas nigros. quare in ijs, quæ à natura ſunt inductiones neceſſariæ non valde fiunt, ſed probabiles tantum, niſi ratio fiat ad naturam communem. Inductionum igitur aliquæ neceſſariæ ſunt, aliquæ probabiles tantum. neceſſariæ ſunt, in quibus aut omnia ſingularia induci poſſunt, quia ſint determinati numeri: aut omnia ſunt prorſus ſimilia, & diuerſitatem pati non poſſunt: aut ratio ſufficiens fit ad naturã communem. illæ vero inductiones, in quibus nec ſingularia omnia induci poſſunt, nec prorſus ſimilia ſunt, nec ratio fit ad communem naturam, omnes probabiles tantum ſunt. B ſunt tamen quædam inductiones, quæ tametſi probabiles ſimpliciter tantum ſint, tamen adeo propinquæ ſunt neceſſarijs, vt pro neceſſarijs habeãtur: & ſunt illæ, in quibus ita obſeruauimus & nos, & patres noſtri, & aui, & omnis memoria: tum & nationes omnes, in omni loco, omni tempore. ut ꝙ omnia orta occidant, & quod omne, quod mouetur, ſit corpus. in quibus quidem nec omnia ſingularia poſsibile eſt inducere, nec ratio eſt facta ad communem naturam, nec ſcimus, an prorſus ſingularia omnia ſimilia ſint: quia tamen ita viderunt omnes, & vbique, & ſemper, pro neceſſarijs habentur.

In naturalibus non ita freq̃nter neceſſarię ĩductiões fiũt, vt ĩ mathematicis.

Inductionũ aliæ probabiles, aliç neceſſariç ſunt.

Quartus autem ratiocinãdi modus eſt, ab vniuerſali, de omni, ad particulare aliquod. differt autem ab inductione tum in præmiſsis, tum in concluſione. in præmiſsis quidem, ꝙ inductio procedit ab omnibus & ipſa, ſed diuiſim acceptis, hic autem ab omnibus collectim aſſumptis, & de omni. ꝓp quod & ſyllogiſmus vocatur. In cõcluſione vero differt, quòd inductio ad totum procedit à partibus, ſyllogiſmus vero à toto ad partem. nam, quãq̃ interdum ad aliquod vniuerſale fiat, ad id tamen fit ceu ad partem ſub toto cõtentam. procedit autem & hic ex vna præmiſſi obſeruata, & alia noua. vt ſi obſeruauimus omne animal reſpirans habere pulmonẽ, nunc vero offeratur delphinum reſpirare, concluſio fit delphi

De ſyllogiſmo.

num habere pulmonem.terminus medius eſt reſpirare, obſeruatum,eſt C
habere pulmonem.aliud extremum,delphinus,quem habere pulmonē addiſcimus.quia ſpecies termini medij ſemper repræſentat coniuncta. quare & in delphino repræſentabit coniunctum,quod erat habere pulmonem.

Rõcinandi modi quatuor tantũ ſunt, exemplũ, Enthymema, ĩductio, & ſyllogiſmus.

Non ſunt autem plures ratiocinandi modi,quàm prædicti quatuor.nam vel procedit à parte,vel à toto.ſi à parte,vel ab vna ad unum, vel à pluribus ad vnum.ſi à toto', vel eſt à toto diuiſim accepto ad totũ, vel à toto collectim aſſumpto ad partem.primus igitur eſt exemplum,ſecũdus enthymema,tertius inductio,quartus ſyllogiſmus.ex quibus duo de neceſsitate concludunt ex poſitis,inductio,& ſyllogiſmus:duo nõ de neceſsitate, exemplum,& enthymema.ſiqui vero videantur alij ratiocinandi modi,ad hos prædictos reducuntur, vt diuiſio, & ſiqui alij ſunt.

A qua potẽtia modi argumentoꝝ exerceant.

quæ autem ſit illa potentia animæ,quæ tanta exercet,ſi quæratur,vtrum phantaſia,an alia perfectior.cenſendum eſt quædam horum à phantaſia fieri,vt exempla, & enthymemata quædam, quaſdam etiam inductiones eorũ,quæ faciles ſunt,& in quibus ſingularia ſunt pauca,& terminata:ſyllogiſmos vero, & inductiones alias ſolum intellectũ facere. quare & à ſolo homine hæc fieri putandũ eſt.reliqua vero nihil prohibet & ab alijs animalibus fieri,quæ phantaſiam habent.Inter hæc autem primum natura,quod ab homine fit,eſt exemplum,deinde enthymema,mox inductio, poſtremo ſyllogiſmus. D

Quorundã terminorũ ad humanã cognitionẽ attinẽtium diſtinctio.

Nunc autem operæprecium nos facturos exiſtimamus,ſi ab his dicamus,quid ſit verum,quid falſum,quid dubium,quid probabile,quid aparens,quid certum:tum quid ſit credere,quid opinari,quid ſcire: & q̃d ſit,quod dicimus velle & nolle,quid admirari,quid cogitare, ſeu inquirere, quid reſoluere & componere, & fingere: ac demum quid virtus illa,quam æſtimatiuam quidam appellant,& quid inſtinctus naturę vocatus, & quomodo bruta animalia tanto ingenio polleant, & tam mira faciant, vt nidos aues, telas aranea,& eiuſmodi alia,quæ multa ſunt.

Verũ & falſum q̃d ſit, & circa q̃.

Quòd autem circa ſimplicia neque ueritas ſit, nec falſitas,dictum eſt prius.quare ſolum circa ea,quæ complexa dicũtur,eſt verum & falſum. verum autem eſt,quod eſt in re,quale ab anima concipitur, falſum autẽ quod eſt in re aliter,ac concipitur.nihil enim prohibet decipi animam, vt mox dicemus.

Credere & nõ credere quid ſit.

credere autem eſt recipere aliquid per modũ veri,ſenſu vel ratione ita dictante. ſic enim dicitur aſſentire anima. non credere autem eſt aliquid recipere per modum falſi,ſenſu,vel ratione ita dictante.

Dubitare quid ſit. Certũ quid ſit.

Dubitare vero eſt recipere aliquid,ad quod neq; ſenſum, neq; rationem habemus,neq; ad contrarium:aut rationem quidem habemus,ſed & æqualem ad cõtrarium.Certum vero eſt,ad quod vel ſenſum bene diſpo-

Neceſſariũ quid.

A ſitum habemus, vel rationem neceſſariam ad ſenſum reducibilem. Neceſſarium vero eſt, quod vel notis terminis cognitum eſt, vel inductione neceſſaria, vel ratione ad hæc reducibili. Probabile vero ſeu apparens eſt, quod creditur quidẽ, ſed nec ſenſu, nec notis terminis, nec ĩfallibili inductione cognitum eſt, ſed aut exẽplo, aut enthymemate. eſt aũt apparẽs dupliciter aliud ſimpliciter tale, aliud ad hoĩem. ſimpliciter apparens, & ꝓbabile eſt, quod vel omnibus, vel pluribus videtur, vel ſapiẽtibus, dum modo plures non aliter iudicent: ad hominem, vero quod vni videtur. Probabilium autem dicitur opinio. Neceſſariorũ vero ſcientia, aut diſpoſitio melior, quàm ſcientia: quæ mens vocatur, & fit notis terminis. porrò neceſſarium duplex eſt, ſimpliciter, & ex ſuppoſitione. Neceſſariorũ autem ſimpliciter, ſcientia eſt. Neceſſariorum vero ex ſuppoſitione, non ſcientia proprie, ſed aut ars, aut quid ſimile.

Probabile, ſeu apparẽs quid ſit.

Probabile duplex, ſimpliciter, & ad hoĩem.

Opinio, & ſcĩa quorũ ſint.

Ars et ſcĩa circa quæ neceſſaria ſint.

De ipſo autem velle quid ſit, ita eſt accipiendum. Bonum quippe & malum offerri animæ poteſt per duas potẽtias, quarum altera eſt ſenſus, altera intellectus. quocunque autem modo offeratur, recepta boni ſpecie congaudet anima, & ſi etiam habet, & poſsidet bonum, illo fruitur, ſi vero non habet, intenditur in illud, & proſequitur, vt habeat. hęc autem intentio non aliud eſt, quàm applicatio animæ, & ſpirituum ad proſequendum bonum oblatum, ſi vero offeratur malum, triſtatur: & ſi pręſens eſt

De intellectu & volũtate, qd ſint. q̃ itẽ & qũo vtriuſq; potentiæ habitus in nobis fiãt.

B malum, intenditur ſimiliter, & vim adhibet, vt ſe ab illo amoueat, aut illud à ſe. ergo ſi per ſenſum oblatio boni fiat, intentio illa appellatur appetitus. ſi vero per intellectum offeratur bonum, intentio illa voluntas dicitur. & velle non aliud eſt, q̃ intendi animam ad proſequendum bonũ, vel euitãdum malum, per intellectum, oblatum: nolle autem eſt non intendi animam ad oblatum, per intellectum, bonum. cognitio enim illa, quatenus mouet aſſenſus, dici ſolet. non eſt autem voluntas diſtincta ab intellectu potentia, niſi ratione. ſi enim diſtincta, re, ponatur, quærere licet, an & ipſa voluntas intelligat, an non. ſi quidem nõ intelligit, ego nõ video, quę illi operatio tribuenda ſit: ſi vero intelligit, num ea, quæ & intellectus, an alia. et certe aliã non eſt dicendum intelligere. eadem vero ſi intelligat, ſuperflua eſt. quare eadem potẽtia eſt, quę à ſe ipſa ratione differat, quatenus ab obiectis diuerſimode informatur. ſi enim intellectus verum apprehendat, inquãtum verum, ſic vocatur intellectus. ſi vero apprehendat verum, vt ſimul bonum à quo mouetur anima, ſic volũtas dicitur. nihil enim prohibet verum percipi, vt verum quandoque, quandoque vt verum, & bonum mouens. Ex quibus apprehendendi modis fiũt habitus, modo intellectus, modo voluntatis vocati. eſt autẽ habitus confirmatiſsima, & ĩdelebilis ſpecies in anima: quæ ſi veri ſit, vt veri, & neceſ-

Virtus boni apprehẽſiua ĩ nobis in appetitũ & voluntatẽ qũo diuidatur.

Velle & nolle qd ſint.

Volũtas nõ niſi ratione ab intellectu diuerſa eſt.

Habitus intellectus & voluntatis ex ipſa veri & boni apprehẽſione in nobis fiunt.

sarij scientia appellatur: si vero probabilium fuerit, opinio dicitur: si falso C rum, habitus ignorantiæ. si autẽ circa verum sit, sed vt bonum mouẽs, sic volũtatis habitus fiunt: qui si sint circa vera bona, virtus dicitur, si circa ap-

Virtus & ars qd sint.

parentia, falsa, vitium. si vero circa ea, quæ recte fieri, & nõ fieri possunt, ars nuncupatur. Differt autẽ ars à virtute, ꝙ virtus in ipsa electione agendorum consistit, quæ recta est: Ars vero est post electionem in modo perducendi ad finem recte agenda: in quo contingere error potest in operãdo. si enim faber eligat die festo ensem cudere, electio hæc mala est, & vitiosa: postq̃ uero elegit cudere, si debet hoc opus recte facere, regula quadam indiget, quæ ars dicitur. propter quod bonus faber dici poterit, sed non bonus, & virtuosus, quia electio iniusta est. virtus igitur est habitus recte eligibilium: ars vero habitus recte factibilium.

Voluntatis habitus, q sunt ipsę vtutes morales, qb⁹nã, & qũo fiãt in nobis.

Quo autem pacto fiãt isti habitus voluntatis in nobis, nisi dubitarem à proposito nimis diuertere, non inutile fortasse esset inquirere. sicut enim non facile est ipsos acquirere, ita neq; facile est intelligere, quomodo fiant. verum quia multum temporis superesse nobis video, & vos annuere atque optare, breui quidem transcursu perquiram. Non sunt autẽ voluntatis habitus quales scientiarum, & intellectus. hi enim valde facile fiunt per doctrinam, & per nos ipsos. siquidem per inductiones necessarias, aut per syllogismos necessarios, vel per vocatam mentẽ fiunt, quo-

Virtutem assequi difficilius est, quàm sciẽtias.

rum demonstrata impossibile est aliter se habere. at circa voluntatem nõ D ita profecto est. nullum enim principium tale est, quod necessario, & semper illã moueat, nisi in vniuersali à bono: in particulari autẽ, qđ necessario moueat voluntatem, principium nullum est propter variam bonorũ naturam. quorum alia bona sunt, quia vtilia, alia, quia delectant, alia, quia honesta sunt: & alia per intellectum offeruntur, alia per sensus: quæ sæpe inter se pugnant, & modo vnum, modo aliud vincit, ad quæ nõ parum faciunt corporis dispositiones tum à natura, tum ab euentis factæ. neque enim eadem est voluntas sani & ægri, irati & pacati, amoribus capti & liberi, bene & male instituti, & ita in alijs. propter quæ siquis ita syllogi-

Hoĩm q̃ varię sint ad virtutes dispositiões.

zabit. Honesta sunt obeunda: seruare leges est honestum. ergo & obeundum. Lycurgo quidẽ persuadebit, Dionysio aũt tyranno nõ ꝑsuadebit. Quod si quæratis, cur tyranno non persuadebit, cum & ipse propositam primam propositionem concedet, honesta esse obeunda, similiter & alteram concedet. seruare leges esse honestum. videtur igitur, ꝙ & conclusionem concedere debeat. quod si concedit, cur non facit? ad quod dicimus alia ratione quid concedi, alia ratione fieri. conceditur quidẽ quatenus verum, fit autem, & obitur quatenus à bono mouetur. quare tyrãnus fortasse & ipse concedet honesta esse obeunda, quia verum non po-

test

A teſt negari, obire tamen nollet, quia bonum nō iudicat, à ſenſu deceptus & ita inſtitutus. melius enim putat imperare, & cupiditates explere non ſeruatis legibus, quàm parere, & voluptatibus carere, ſeruatis. Nemo eſt, qui non cognoſcat perdite amare malum eſſe, & ipſe etiam Cherea concedet: noctem tamen vnam, qua cum Thaide dormiat, præferet etiā mortis: adeo pugnant, quæ à ſenſibus offeruntur, & quæ ab intellectu. ſed & ipſe etiam intellectus ſæpe decipitur, & modo vnum vult, modo aliud. ſi igitur nullum principium eſt, quod neceſſario moueat uoluntatem, & dirigat ad rectas electiōes, quo pacto fieri in nobis poſſunt virtutis habitus, ſi habitus indelebilis, & firmiſsimus eſſe debet? nunquid ſicut Protagoras apud Platonem opinari videtur, per doctrinam virtutes fiūt? ſed certe doctrina, tametſi principium quoddam ad virtutes affert, non ſufficere tamen per ſe videtur. aliud eſt (vt diximus) verum, aliud eſt bonū mouens: docet quidem doctrina, quod verum eſt, non mouetur autem ab illo, niſi ſimul & bonum exiſtimetur, et melius, quàm omne aliud oblatum: & niſi ſenſus rationi omnino pareant. parere autem difficillimorum eſt, & maxime dubium eſt, qua via id faciamus. ſi enim per doctrinam fieri dicatur, rurſus in eundem ſcopulum incidimus, ſi vero fieri per aſſuefactionem, & ex frequentatis actibus, vt Ariſtoteli placet, dubitare pariter contingit, quo pacto hęc aſſuefactio fiat. ad quæ dicendum (vt arbitror) nec doctrinam ſine aſſuefactione virtutes per ſe facere poſſe, nec

Bona & vera, quæ cognoſcim⁹, & aliis ſuademus, cur ſic difficile operemur.

Doctrina & ſi ad virtutes iuuat, illius tamē ſufficiēs prīcipiū nō ē.

Ex frequētatis actib⁹ quō per doctrinā virtutes fiant in nobis.

B aſſuefactionem per ſe ſine doctrina. quod enim doctrina ſine aſſuefactione non ſufficiat virtutem facere, manifeſtum eſſe poteſt ex eo, quod diximus, doctrinam monſtrare, quod verum eſt, tantum, hoc vero non ſatis eſſe, niſi ſimul offeratur, quod bonum eſt, & mouet magis. ad hoc autē requiritur, vt ſenſus rationi pareant. non parent autem cum aliter aſſuefacti ſunt: quod monſtrant auari, & ambitioſi, & amantes, & iracundi, & gulæ dediti, & potores, & vniuerſaliter, qui ſunt vitijs aſſueti, in quibus nihil doctrina per ſe poteſt. quòd vero & ſine doctrina aſſuefactio non faciat virtutem, eſt in ijs videre, qui non ſponte, et per propriam electionē, ſed coacti, aut ſpe, aut timore continenter viuunt, inuiti. vbi enim aut timor, aut ſpes ſublata eſt, continuo vitā mutant. quapropter ſi virtus fieri debet, oportet, vt & vſus, & propria electio concurrant. ad electionē autem faciendam maxime conſultatio, & ratio, ſeu doctrina poteſt. vſus vero, et aſſuefactio multis indiget, ſi virtutem parere debet, ad vitia ſiquidē & ad voluptates vel facillime fit. quippe nati ſtatim voluptatibus capi incipimus: ſenſibus enim tum ſolis agimur, ab ijs & creſcentes, & grandiores facti ducimur. vnde ſenſuum illecebræ nobis quaſi congenitæ, nobis comites quàm facillime vitiorum habitus inſerunt. à quibus ſi abſtinere debemus

Electiōe, & vſu cōparātur ẜtutes. doctrinæ electiones faciunt. leges vero tā diuinæ, q̃ humanę, ꝯſilia ſpes, timorē, laudes, vituperia vſus ipſos bonos in nobis gignūt, quos ſequūtur ipſę virtutes.

debemus,& contrarijs assuescere,magna cum difficultate acquiritur,& C
per multa fieri oportet.in primis autem doctrinæ valent,& persuasiones,
per quas cognoscimus,quod verum est,& quod vere bonum, & quod
malum,& quid pariant tandem,ad quod non humanæ solum doctrinę,
sed & diuinæ non parum conducunt.Leges præterea sunt constitutę,tũ
ciuiles,tum sacræ,quæ & pœnas praue agentibus,&præmia recte pieque
viuentibus iniungunt.nam, quæ nos impellunt maxime ad agendum,
sunt spes,& metus.porrò laudes & uituperia inuẽta sunt ab hominibus,
quoniam gloria plurimum nos accendit ad facta egregia, vituperia vero
absterrent.præter leges quoque sunt & instituta ciuitatum, & ritus, &
consuetudines bonæ.exemplis enim aliorum maxime solemus adduci.
patrum præterea educationes, præceptorumq; prudentia & regimẽ nõ
parum ad hæc prosunt, &vsum bene uiuendi confirmant.quibus omni-
bus fit,vt simul experientia,& re ipsa cognoscẽtes,quàm pulchra virtus,
quàm in vita vtilis sit,contrarium vero quàm turpe,quàm periculis ple-
num,per se tandem virtutes ipsas amemus,vitia uero odio habeamus, a-
bhorreamusq;.vnde tandẽ superatis,vel cõpresis adolescẽtię ardoribus,
& concupiscentijs, maturioribus ætatibus virtutũ habitus acquiramus.
ad quod non parũ valẽt corporis dispositiones,ingenium docile,tempe
ratura non agrestis,& fera, sed benignior atque humana. per hæc ergo
& corpus parere animo addiscit,& assuescit,vnde vnum ex ambobus fit D
tam concors,ut nunquam pugnent.quanquam pauci certe sunt, qui ad
tantum virtutis perueniãt,vt non semper formidare debeamus insidias,
& præstigia sensuum:verum de habitibus ijs nunc loquor, qui ab homi-
nibus acquiri humanitus possunt. siqua enim gratia à Deo optimo ma-
ior impartitur nobis,nostrum non est nunc dicere,sed credere ita esse,at
que hos habitus virtutum,qui à Deo dantur,solos esse ueros, & firmos,
qui uero à nobis acquirũtur,parum solidos,& multæ fortunæ subiectos.
ac de ipso uelle,& nolle,& habitibus uoluntatis,& intellectus ita ꝓ tem
pore determinatum sit.

Infusi habitus firmiores sunt.

De nõ nullis aĩę humanæ actibus, admiratiõe videlicet cogitatiõe,resolutiõe, ac compositione, quidnã sint, & in q bus,& qũo fiant.

Admirari autem tum anima dicitur,cum oblato aliquo partim noto,
partim ignoto recipit illud uti nouum,& insuetum.suspenditur enim ab
omni alio,& applicatur ad illud nouum desiderio quodam perdiscẽdi,
quid sit,aut quale sit.cum igitur desiderio illo permota anima ad coniũ-
cta cum illo oblato fertur,tum inquirere dicitur,& cogitare. non enim
aliud est cogitare,quàm agi per coniuncta cum aliquo. quod & inquire
re est.Resoluere vero & componere anima dicitur per similitudinem ad
naturam,& artem.tum enim resoluit natura,cum totum aliquod & po-
sterius reducit in partes,& sua principia,ut mixtum in elementa,elemẽ-

Qũo admirari,& cogitare aĩa soleat.

Resoluere, & cõponere

ta in

A ta in materiam.componit autem cum contrario processu partes, & principia assumens, totum aliquod & posterius facit.similiter autem & ars resoluit, cum totum aliquod, vt domũ, in partes, & principia diducit, vt in atrium, cameras, & culinam:hæc uero in alias, ut ligna, lapides, & cęmenta.componit autem cum, ex his totum quippiam conflat. Ex hac similitudine & anima dicitur modo resoluere, modo componere. quoniam enim inter ea, quæ addiscit anima, alia sunt posteriora, & effectus, seu tota quædam, alia vero sunt principia, & causę, seu partes. si quidem de effectu aliquo quærat causam, et principia, atque illa inueniat, & addiscat, vt causas & principia, tum resoluisse dicitur effectum illum, & totũ. dico autem, addiscat, ut causas, & principia, quia, & si forte inueniat, & addiscat id, quod est causa, sed non scitum, nec quæsitum, vt causa, illa quidem resolutio non est, sed aut materia resolutionis:aut uia, qualis est demonstratio illa, quæ dici solet demonstratio, quia. ut si demonstrem delphinum habere pulmonem ex hoc, ꝙ respirat. at si quęram, propter quid delphinus respirat, & hoc dicam etiam, quia habet pulmonem, sic quidem resolutionem proprie feci. quippe quatuor quæsita sunt, quorũ duo esse rei monstrant, an est, & quale est: duo uero, quæ causam quærunt, quid est, & propter quid est. in ijs igitur, in quibus esse quęritur, nec resolutio, nec compositio per se fit, in alijs vero duobus fit. Sed habet du-

B bitationem quandam, quia resolutio videtur contrarius processus compositioni, per asignata uero uidetur idem syllogismus simul compositionem facere, & resolutionem. ut in prædicto, in quo quæritur propter quid delphinus respirat: et dicitur iccirco respirare, quia habet pulmonẽ. formatũ autem syllogismus sic. omne respirans ideo respirat, quia pulmonẽ habet. Delphinus respirat ergo, quia pulmonẽ habet. vel sic. omne respirans pulmonem habet. Delphinus respirat, ergo pulmonem habet: & hæc est causa respirationis. Verum sic dicendo uirtualiter fit alius syllogismus & regressus. omne habens pulmonem propter ipsum respirat. Delphinus habet pulmonem. ergo propter ipsum respirat. sed ista est cõpositio, quę assumpta causa fertur supra effectum: quomodo ergo differt resolutio à compositione? utrum igitur resolutio tum solum fiat, cum esse causæ concluditur? ut quidam putant, dicentes resolutionem esse demonstrationem uocatam, quia est, compositionem uero demonstrationem procedentem à causa, quæ propter quid vocatur. an dicendum resolutionem per se includere duos syllogismos, unum, qui ab effectu esse causæ concludit, alium, qui per causam procedit supra effectum? & hic est terminus resolutionis, ita, quòd resolutio tota fit per hos duos processus: & in ipso prior syllogismus, qui dat esse causæ, ordinatur in secũdũ,

si resolutio

re qũo ad nature &artis similitudinẽ aĩa dicatur.

Quatuor esse quęsita.

Resolutio circa q̃ fiat.

Nũ possit idẽ syllogismus cõpositionẽ facere, & resolutionem.

Qũo differat resoĺo à compositione.

ſi reſolutio fieri debet.ſi enim per ſe ipſum conſideretur,nullo pacto re- C
ſolutionem facit,niſi dicamus illud cõcluſum,eſſe cauſam eius effectus. ac ſic fit virtualiter alter ſyllogiſmus dicens propter quid, qui compoſitio quædam eſt.nec differt compoſitio à reſolutione,niſi ut pars,& vt terminus. reſolutio vero eſt totalis proceſſus ex ijs duobus ſyllogiſmis. vel dicamus reſolutionem per ſe nõ aliud eſſe,niſi comparationem huius,ut effectus,ad hoc,vt cauſam:compoſitionem vero eſſe contrariam comparationem huius,vt cauſæ,ad hoc,vt effectum: quæ comparationes fiunt facta priori demonſtratione docente,quia eſt,cauſæ quæſitæ. ſiue igitur reſolutio includat duos ſyllogiſmos,& duos proceſſus, ſiue duas comparationes, manifeſtum eſt reſolutionem nõ fieri,vt quidam putarunt, per ſimplicem demonſtrationem,quia,ſed terminari per compoſitionẽ.qua de cauſa Ariſtoteles fortaſſe libros de demonſtratione inſcripſit reſolutorios à termino,& fine reſolutionis,qui fit per demõſtrationem, ꝓpter quid.ac de reſolutione hæc pauca dicta ſint.

De vocata ęſtimatiua, ſiue inſtinctu naturę, quid ſit: & de ei⁹ ope, qũo fiat tũ ex alioꝝ, tũ ex propria ſententia.

Nunc de vocata ab aliquibus æſtimatiua potentia,& de vocato inſtinctu,quid ſit,& quomodo fiant,perquiramus. appellãt autem ęſtimatiuã facultatem,qua ſpeciem è ſpecie elici dicunt.vt viſo lupo ſtatim ab agno elici inimicitiæ ſpeciem,propter quam fugit.Taurum vero recepta iniuria iudicium facere cornibus eſſe repellendam.equum calcibus: aſellum vero punctum contrahere primo pellem,mox impetu quodam extendere,atque ita nocens excutere.atq; hæc inſtinctu quodam naturæ fieri, de D
quibus diligenter quærendum eſt. Quod enim dicunt ſpeciem elici è

Aeſtimatiua,ſeu naturæ iſtinctus quid ſit. Inſtinctum naturæ ſeu æſtimatiuã eẽ,elici ſpeciẽ ex ſpecie, incõueniens eſt.

ſpecie,nullam habet rationẽ.ſiquidem viſo lupo ſi ab agno cognitio noua fit de inimicitia,oportet dicere,quomodo fiat cognitio, & noua hæc ſpecies inimicitiæ.anima enim ipſa non facit ſpecies,ſed obiecta faciunt, quæ aut per proprias ſpecies,aut per coniuncta faciunt cognitionẽ. quo modo ergo agnus è lupo conſpecto extrahit inimicitiæ ſpeciem, & cognitionem hanc facit,cum nunquam viderit lupum neq; in propria forma,neq; in coniunctis?quare,quod dicũt,elici ſpeciem, nihil nos docet, ſed obſcurũ per magis obſcurum oſtendit. Supponẽdum igitur eſt,ut ſupra diximus,ſpecies repræſentare res,& modos, ſeu cõiuncta cum rebus. inter modos autem rerũ maxime intrinſeci,& præcipui ſunt conuenientia & diſcõuenientia oblatorum cũ anima.omnis.n.ſpecies recipitur ab anima,vel vt cõueniens,& bona,& grata,vel vti diſconueniens,& mala, atque ingrata.quod iccirco fit,quia,quemadmodum res inter ſe vel conuenientiam habent,vel diſconuenientiã, ita & earum ſpecies, quæ illas repræſentant.quare recipiuntur vel vti conuenientes, vel vti contrariæ. viſo igitur lupo ſpecies eius,vtpote ſpecies & imago rei cõtrariæ recipitur

A tur ab agno vti contraria,& diſſentiens. vnde fugit. ſi igitur hanc receptionem uocant æſtimatiuam,poſſunt quidem appellare,quo modo volunt,ſed rem non declarant.potentia enim,quæ recipit,nõ alia eſt,quàm phantaſia,quæ nõ elicit,ſeu extrahit,ſed recipit ſolum per modum, qui ſpeciebus coniunctus eſt:ſimiliter,& quod inſtinctum naturę vocant,nihil declarat,ſed offuſcat magis.nam & hic inſtinctus vel eſt natura ſimplex,quæ ſine cognitione operatur,vel eſt cognitio quædam.at certe natura eſſe non poteſt.natura enim ad vnum determinata eſt,& vnum operatur.hi autem motus,qui ab inſtinctu fiunt,non vnum ſunt,ſed multi, & ſæpe contrarij.ſi vero per cognitionem fiunt,oportet dicere, quo pacto taurus iudicet eſſe feriendum cornibus,equus calcibus, aſellus cõtrahat primo pellem,mox repente extendat.De hoc igitur inſtinctu dicendum mihi videtur,primo non eſſe naturam ſimplicem.illa enim determinata ad vnum eſt,eſſe tamen naturam cognoſcentem.natura enim & de hac dicitur,licet quandoque diſtinguatur virtus cognoſcẽs à natura. ſed hoc eſt à natura ſimplici,vel ſimpliciter dicta,quæ itelligitur pro forma ſimplici non animata.eſt tamen & anima natura,quia eſt forma ſubſtantialis,& principium intrinſecum per ſe mouens.omnis autem natura proprios habet motus,qui naturales dicuntur,ſed in hoc differunt natura ſimplex ab anima,ꝙ natura ſimplex ad unum determinata eſt, anima vero non ad vnum.

Quę potentia recipiat ſpẽs rerum vti cõueniẽter ſiue cõtrarie.

Inſtinct⁹ naturę nõ eſt ſimplex natura, ſed cognoſcens.

Aĩa ipſa q̃uis naturæ opibus cõicet,à ſimplici tamẽ natura aliquo modo ſeiũgitur.

B Simplicis vero naturæ motus ſunt ſurſum,deorſum,circulare,& motus partium in toto,rarefactio ſcilicet,& condenſatio ſed hæc ſemper ad vnum ſunt.etſi enim condenſatio, alia eſt à rarefactione,utraque tamen ad vnum terminum ſunt.anima vero & ipſa modo condenſat,modo rarefacit,& habet motum partium in toto,ſed non ſemper ad vnum habet,ſed ad diuerſa, ꝓut diuerſa ſpecie eſt informata. habet autem & motum ſurſum,aut deorſum,& rarefactionem, & condenſationem,ad vnum determinata:ſed hoc in quantum includit facultates naturæ ſimplicis per formas elemẽtorum in ipſa.verum præter has, inquantum cognoſcit,& informatur ſpeciebus habet,& motum partiũ in toto naturaliter inſitum,per quem ſituantur modo uno pacto, modo alio,vt melius eſt ſub hac,& illa ſpecie.& hæc forte eſt illud,quod quidã inſtinctum vocant.primi igitur motus quos naturaliter habent mẽbra animata,quatenus ĩformata ſunt ſpeciebus boni,& mali,ſunt cõſtrictio, et dilatatio. ex quo enim ſpecies omnis (vt dictũ eſt)recipitur ab anima, vel vt bona & conueniens,vel vt mala & diſconueniens .hinc fit, vt diuerſimode moueantur,& ſituent ſe mẽbra,& partes in toto,natura ſemper quærente,quod melius. quod mirum videri nõ debet. ſi enim forma non cognoſcens hoc facit,cur & cognoſcens non idem faciat, quatenus

Inſtinct⁹ naturæ eſt q̃dam motus partiũ aĩalis ĩ toto animali,ĩ ipſo ex diuerſis ſpecieb⁹ in aĩa diuerſimode aprehẽſis cõſurgens.

Diuerſis modis mouent̃, & ſituant̃ membra aĩata ex diuerſis ſpeciebus, & q̃ primi ſint horum motuum.

diuerso modo est informata specie cognitiōis? motus ergo omnes', quos C
anima tam mirando, facit, omnes reducuntur ad motum partium in toto: & alij quidem sine phantasia facti per simplicem receptionem membri, alij vero per phantasiam. motus siquidem, quos membra faciunt per simplicē sensum dilatationis, & constrictionis, ut cor, & pulmo, & venæ, & nerui, & villi, naturaliter fiunt, antequam phantasia illorum motuum fiat. simplicissimi igitur & primi omnium motus mēbrorum sunt constrictio, & dilatatio. si enim membrum speciem nocētis recepit, sub ea specie partes in toto non bene se habent, sed alium situm quærunt, & constringuntur, si nocens extrinsecum sit. sic enim per pauciores partes contingunt, quandoq; vero dilatantur, si nocens intrinsecum sit. nam & sic partes minus contingunt. Si vero boni & grati species recepta sit, siquidem extrorsum sit bonum receptum, dilatātur partes, quoniam sic omnes partes ad illud pertingunt, & ad totum communicantur. si vero intrinsecus bonum accedit, constringuntur partes omnes supra illud. sic enim melius fruuntur. Interdum non omnes partes situm mutāt, sed aliquæ tantum in eo toto. unde diuersi fiunt motus, modo tremuli, modo concussiui, modo alij prout melius, & melius situantur partes, & melius à malo vel remouentur, uel ipsum remouent, ad bonum vero melius, & melius applicantur. eadem accidunt & circa diuersa membra propter cōsensum, quem inter se habent, & quia vnum quodammodo sunt. sæpe D
enim moto uno membro, alia simul mouentur, vel eodem motu, vel etiam diuerso, prout melius vnum alteri seruit, ut in tussi, & sternutamēto videmus. in quibus mota una prima particula ad expellendum nocēs. tum plura alia simul mouentur membra, alia se dilatando, alia constringendo, alia aliter, vt tandem obtineatur finis, qui ipsis membris notus nō est, sed animæ mundi tantum, & Deo. naturaliter tamen operantur mēbra, & nunquam errant, partibus in toto se situantibus, ut melius est ipsis sub recepta specie boni, vel mali: quæ interdum vna est, & vno in mēbro: interdum plures, una post aliam, in pluribus membris. nam hoc vnū facit illud aliud, omnibus tamen operationibus conuenientibus pro primo fine. fiunt igitur motus hi aliquando ante factam phantasiā, aliquando post ipsam, & per ipsam cognoscentem finem. vnde illud animaduertendum est, ꝙ, cūm primi isti motus simplices fiunt, illos phantasia ꝑ species ad ipsam delatas quodammodo obseruat, & quasi artem facit. vnde mox per memoriam similium, discursu quodam particulari cognoscendo finem, mouet membra, & non solum prædictos motus, sed & maiores, & magis admirandos operatur. Puncto asello contractio statim fit, & à principio absque phantasia: mox, cum sub ea contractione stare non

Sæpe moto vno mēbro aliud mouetur ex consensu & ordine corū.

possit

A posſit pellis, violenter enim ſituatur, dilatatio ſubita ſequitur. hos ergo motus ſimplices phantaſia ipſa obſeruans, artem quodammodo facit. & ſiquãdo rurſus accidat aſellum pungi, tum & phantaſia operatur, ſimul & contractionem pellis facit, & mox ſubitam dilatationem, cognoſcendo finem, hoc eſt nocentis expulſionem. ita fit & in tauro recepta ſpecie nocentis, & facto appetitu repellendi iniuriam. mouentur enim membra primum illa, quæ aptiora ſunt ad nocendum, vt caput. quare cornibus ferit. qui motus primum fit ab anima, non cognoſcendo finem niſi naturaliter, mox edocta phantaſia ſimplices motus, etiam cognoſcendo finem. ſic & equus calcibus ferit. ſic & tandem progreſsio animalis fit, phantaſia primum obſeruante ſimplices motus muſculorum, & cordarum, quæ pedes in ante mouent. mox facto appetitu appropinquandi ſe ad bonum perceptum, & cognito fine fit motus illorũ, primo vnius partis in ante, alia firma manente: mox & alterius partis, alia firma perſtãte. & ita alternatim motis partibus progreſsio fit. quæ autem membra, & partes ſigillatim in omni motu, & omni appetitu concurrant, & quo pacto ſingulæ moueãtur, ſcire non facile eſt, immo quàm difficillimum, & medicis valde neceſſarium. ad propoſitum ergo reuertẽdo, ſi inſtinctum vocant motum partium in toto, vt expedit animæ informatæ varijs ſpeciebus, cui motui ſuus etiam finis eſt in natura Deo cognitus. ſic certe re

B cte inſtinctum naturæ vocabunt, ſed naturæ non ſimplicis, ſed animatæ. ac de inſtinctu ita in vniuerſum ſit dictum. nunc de ingenio brutorum, & quo pacto tam mira efficiant, dicemus. ſed bene erit prius muſicam pueri noſtri intermiſcere ſeuerioribus hiſce ſermonibus, & uires reaſſumere. imperato igitur, vt caneret puer, ille ita cecinit,

Carpe fugam Galathea, ferus petit æquora Cyclops.
Carpe fugam, pelagoq; procul ſpeculatur ab alto,
Te quis amat, dignumq; tuo ſe cenſet amore.
Humano primum rorantem ſanguine barbam,
Et fœdum os, oculumq; vnum, quem fronte patentem
Ipſe gerit media, multo lauere æquore cernes.
Pectere dein raſtro crines, Apioq; virenti
Aſsimiles, laudare: ſilens tum conſulere æquor,
Et ſe ſpectatis formoſum dicere ab vndis.
Te vero Galathea, quòd hunc contemnis amantem,
Nec pecoris numerum, nec auenæ ſibila curas,
Crudelem: & piſtri natam Scyllaq; vocare,
Crudeleſq; Deos. ſi Dij tamen æthere in alto
Vel mare ſunt aliqui. neque enim ſe poſſe putare.

Vllos esse Deos. demum tibi dira minari.
Nam fore, vt ictu uno magno cum fragmine montis
Teq; tuumq; Acim medium disperdat in æquor.
At tu tuta mari magno, Cyclopis amores
Despiciens, ridensq; minas, & inania verba
In nostros Galathea sinus formosa recurre.
Ille inter pecudes & amore vratur, & Aethna.

C

De Brutorũ & multorũ naturalium ingenio, siue prudentia, nũ in illis miranda q̃dam illius opa per cognitionem an à casu, vel aliquo potius extrinseco cognoscente, ac dirigẽte fiant, seu aliquo alio modo.

Tacebat Lyricen, & Turrius sermonem resumens ita secutus est. De ingenio brutorum nunc est prosequendum nobis. qua in re non satis mirari possumus, cum talia videamus à brutis animalibus fieri, qualia hominum nemo efficere posset. Canum nostis non solum incredibilem memoriam, sed & miram sagacitatem in venando. volucres nidos mira arte, mira prouidentia construunt, vbi prolem tuto ponant, aliæ in tignis, aliæ in summis arboribus, aliæ inter spinas & dumeta, aliæ in medio mari. in ijs oua deponunt, illa incubant, ac calefaciunt, vt inde enascantur filij. natis escas quęrunt, illis custodiæ sunt, volatum docent cura quidem maiore, quàm humana. Aranea animaliculum tam exiguum miro artificio telas texit, ceu retia, muscis capiendis, vnde alatur. reliquorũ insectorum si prudentiam recensere velim, si piscium miracula, dies ꝑfecto nos deserat. Sunt igitur, qui ad hęc respicientes paruo negocio ab inquirendi labore se liberent, ad instinctus naturæ recurrentes. de quibus paulo ante diximus oportere dicere, nunquid instinctus isti per naturam fiat, an per cognitionem. vtrunque autem suas habet difficultates. Alij dicunt non facere hæc bruta per naturam, nec per cognitionem, sed dirigi ab intellectu non errante, qui fines noscit. sed & hi dubitationem non tollunt, dirigi enim ab intellectu fines cognoscente quodammodo verum est, quodammodo non verum. si enim dicant à Deo dirigi bruta, ita vt Deus immediate ipse faciat, spumam eliciat ab aranea, in fila deducat, & texat, nimirum recte non dicunt. Deus enim non est, qui immediate agat, sed ipsum animal, de quo dubium est, vtrum per naturam agat, an per cognitionem. si vero dirigi à Deo intelligunt ita, vt & naturæ rerum, & cognitio, quæ sunt principia agendi, à Deo dependeant, sic quidem verum dicunt. Deus enim tum naturas ipsas primum constituit, tum & facultates dedit agendi. verum dubitatio nondũ sublata est. quærimus. n. quo principio bruta agant, vtrum natura, an cognitione. quodcunq; dicatur, non paruam habet difficultatem. Igitur, vt minus admiremur in ijs, quæ bruta faciunt, respicite & ad arbores, & in vniuersum ad spiritum illum, qui genitiuus dicitur. arbores nihil intelligunt: si tamen magisteria illarum, si fines animaduertamus: si folia, & fructus, & semina, quanta solertia faciant,

D

Aĩalia bruta quo principio tã varia, & admiranda prudentiæ opa producant. In plãtis nõ nulla prudẽtię signa apparẽt, & ĩ spiritu genitiuo.

ciant,

A ciant,custodiant,muniant:& quanto iuuamento vna pars in aliam sit cõstructa,& ordinata non,poterimus nõ magnopere admirari.spiritus porrò ille,qui genitiuus vocatur,& calor naturalis,nihil similiter intelligẽs, nec per se sciens aliud facere,quàm calefacere, attrahere, & propulsare, tam mira tamẽ cõficit, ac si fines cognosceret:figuras membris dat: vias, conceptacula,situs,ordines,iuncturas,ac demum animal conflat.

Ex horum similitudine fortassè principium quoddam habere poterimus ad inueniendum modum,per quem & bruta operantur tam mira. nam de calore illo genitiuo, si quæratur,quomodo ipse faciat,vtrum casu & fortuna,an per se & intendens,quod facit:& si intẽdens,utrum cognoscendo,an non cognoscendo, non aliud profectò dicere possumus nisi primum,quòd non cognoscendo facit, vt manifestum est.facit autẽ partim casu & per accidens,partim per se & intendens,verum non eadẽ ratione.siquidem enim consideretur calor ille,quatenus natura una per se,& particularis,per ea agens,quæ sibi insunt, sic quidem oculum,dentem,linguam,& alia,& eorum formas per accidens facit,& casu quodã. per se enim non aliud intendit,quàm calefacere, & quædam attrahere, quædam propellere.reliqua sibi accidunt. quanquam nunquam fallat, & illa semper consequantur. nihil enim prohibet quædam per accidens fieri,& tamen semper fieri.Idem calor si consideretur,vt pars vniuersalis

Calor genitiuus mirãda opatur p accidẽs,& p se,sed nõ secundũ eandẽ prorsus rationem,

B naturæ,quam ordinauit vniuersale agens,sapiẽtissimus Deus,virtutesq; dedit naturis omnibus faciendi omnia,quæ ad fines sibi cognitos ordinauit,sic quidem calor ille per se dentem,oculum,linguam,et alia,facit,& intendit,tametsi nõ cognoscat fines.sufficit enim cognosci illos à primo agente,Deo maximo.atque hoc fortasse est illud,quod dicunt aliqui dirigi hunc calorem ab alio intellectu,qui fines noscit. Verum non dirigit vti agens immediatum,sed solum vt agens vniuersale & primum. quapropter calor ille partim per se facit,quatenus pars est vniuersalis naturæ à Deo ordinatæ,partim per accidens facit, quatenus est particularis quædam vna natura. Quòd si quæratis,quo modo à Deo factus est ordo iste in naturis omnibus,dicendum,quòd,si quandoque vniuersum hoc est à Deo factum,vt pium est & æquum credere,eadem virtute, & potentia, qua fecit omnia,facultatem ẽt propriam dedit naturis singulis,qua peruenire possent ad fines illi uniuerso debitos,& congruentes. Si vero & æternum statuatur hoc uniuersum,vt quidam philosophi putant,dependet nihilominus à Deo,à quo natura omnis esse habet. In sola autem natura,quod possibile est,necessarium etiam est.erat autem possibile in sola natura,vt calor certus foret,qui dentem,qui oculum,linguam, & demum animal ipsum facere posset.quare simul etiam necessarium fuit, vt

De naturæ vniuersi à Deo institutione,& miro ordine.

talis

talis inueniretur calor in natura sola. ac sic rerum prima semina facta fuere. quibus semel factis mox tenore quodam perpetuo ordo iste fuit in natura à Deo optimo dependens. Ex hac ergo similitudine naturalis caloris poterimus coniecturam quandam accipere circa bruta, quo pacto & ipsa tam mira efficiant. nam & ipsa quædam faciunt non cognoscendo fines, & quodammodo per accidens, quatenus particulares naturæ sunt secundum se: quatenus vero partes vniuersalis naturæ ordinatæ à Deo maximo primo agente, per se faciunt, & intendunt, tametsi non cognoscunt fines Deo tantum cognitos. Non nulla tamen & ipsa faciũt cognoscendo finem, & intendendo. & sic quoque per se faciunt modis omnibus. Auis, maturis iam ouis appetit illa deponere. cuius appetitus duo sũt fines, alter aui cognitus, alter incognitus, cognitus autem Deo. prior appetitus fit ex stimulo perceptus propter pondus, aut propter aliud, cuius finis est aui notus, vt deponat scilicet nocens & irritãs, quemadmodum & feces. alter vero finis, qui nõ cognoscitur ab aue, est, vt inde enascatur proles: quod Deo cognitum, & ordinatum est, & consequitur. Per se igitur auis oua deponit propter stimulum, per accidens propter prolẽ, quatenus particularis natura est: per se vero & hoc, quatenus pars vniuersalis naturæ. post illum appetitum deponendi oua innascitur appetitus alius deponendi in loco tuto: quod per se ab aue fit per speciem rei amatæ. oua enim amat, & quamuis stimulent, quasi partes sui, sicut & membra, non sicut excrementa, quorum nullam habet curam: sed ouorum curam habet, quia amat. quare curat defendere, & custodire. omnia igitur hæc per se sunt ex cognitione: sed & huius appetitus est alius finis, nõ aui, sed Deo cognitus, vt inde scilicet soboles enascatur. Rursus volẽs auis in tuto oua collocare subnotiones facit ad multa, quæ offeruntur. & alijs trabs placet, alijs spineta, alijs summæ arbores, alijs mare, prout variæ sunt species, quæ mouent, & vna magis, quàm alia ex latenti conuenientia facta loci electione imaginationem faciunt de forma conseruantis rei. dictum est enim has imaginationes facere & alia animalia. quare factis subnotionibus ad multa, hæc lutum apportat, & trabi applicat: illa paleas, & festucas: illa maris sordicies innatantes: illa aliud. quæ aggerantes inuicem, & formantes nidos faciunt, hirundo vno modo, alio modo passer, alio cuculus, alio Halcyon: in quibus oua deponunt, & mox deposita incubãt. Cuius duplex quoque est finis, alter notus aui, qui fit à specie rei amatæ, cui semper quasi adesse volunt, & fouere, & custodire: alter aui est ignotus, Deo vero maximo notus, qui fit, vt proles in ouis maturescat ex illa calefactione, & vegetẽt. vnde magna sapientia, & ꝓuidentia Dei optimi videri potest, qui totum uniuersum ordinaturus, modum naturis omnibus

Aĩalia bruta eadẽ aliqua, vt particulares naturę sunt operantur ꝑ se, q̃ & ꝑ accidẽs faciũt à superiori directæ.

Brutorũ varii extãt appetitus, & actus, qbus mira efficiunt.

Diuina est hęc, & multos latẽs ꝓuidentia.

A bus dedit. quæ neſcientes fines omnia tamen faciunt, per quæ fines ipſi conſequuntur, quos ſolus ipſe cognoſcit. per quem modum deinceps & alia fiũt, quæ tam mira videtur nobis. Scire autem ſigillatim ordine ſuo, quomodo appetitus varij naſcantur, vnus poſt alium, et quomodo Deus omnia ordinauerit, vt naturaliter fiant, impoſsibile quidem eſt homini. quare & vniuerſalia hæc exiſtimantes ſufficere ad alia pertranſibimus: ac de vocatis ſecundis intentionibus ſiue conceptibus dicemus.

De vocatis primis, ac ſecundis in tẽtionibus, q̃d ſint, & q̃uo fiãt, & qui nã illarum termini, ac nomina ſint.

Quoniam autem res, quæ ſunt, duplex eſſe habent, alterum extra animam, alterum in anima, quatenus intellectæ ſunt, hinc fit, vt dupliciter & intelligantur: vno modo, prout eſſe habent extra animam, alio modo, prout eſſe habent in anima. conceptus ergo illi, qui de rebus fiunt, quatenus extra animam ſignificantur, & apprehenduntur, primi vocãtur, ſiue primæ intentiones: qui vero de rebus fiunt, quatenus in anima ſunt, ſecũdi dicuntur. vt ſi Callyam intelligam, & album, vt coniuncta, dicamq́; Callyas eſt albus, primos conceptus feci: ſi vero reflectente ſe intellectu ſupra conceptus factos, vt in anima ſunt, ac dicam, hęc eſt oratio. Callyas eſt albus: & hoc eſt ſubiectum, hoc prædicatum, hoc nomen, hoc verbũ, tum cõceptus iſti, oratio, ſubiectũ, prædicatum, nomen, verbum, ſecũdi vocãtur. ſimiliter, eſt genus, ſpecies, ſingulare, plurale, & alia eiuſmodi, de quibus eſt grammatica, dialectica, rhetorica, poetica. de ijs enim ſecũ-

Conceptus reꝝ, vt extra animã ſunt, primę intentiones ſunt appellatæ, vt vero in aĩa, ſecundæ dicũtur.

B dis intentiõibus ſunt. Dubitabitis autem fortaſſe de ipſiſmet operationibus animæ, vt intelligere, abſtrahere, imaginari, ratiocinari, ſubnoſcere, ac de ipſis ſpeciebus, quæ ſunt in anima, vtrum primi, vel ſecundi conceptus dici debeant, quando eſſe in anima omnia hæc habent. Ad quod (vt arbitror) dicendum eſt operationes haſce animæ debere dici potius eſſe ab anima, quàm in anima eſſe habere. ſicut accipimus nũc eſſe in anima, vt diſtinguitur ab eſſe extra animam. quæ enim concipiuntur ſecũdum eſſe, quod habent in anima, duplex eſſe habent, alterum extra animam, alterum in anima: at operationes prædictę intelligere, abſtrahere, & alia, non habent hoc eſſe, duplex, ſed ſolum ab anima, & in anima ſunt. ſunt autem in anima, ac ſi extra eſſent. quare primi conceptus ſunt, ſuper quibus & ſecundi fieri poſſunt. ſimiliter ſe habet ſpeciei nomen, & phantaſmatis. & ſi enim videantur ſecundi conceptus, ſunt tamen primi, & rerum, ac ſi extra animam eſſent. vt autem ſummatim dicamus, primi conceptus ſunt de rebus, quæ ſignificantur, quatenus ſignificantur, & non ſignificant. ſic enim eſſe habent, ut extra animam. ſecundi vero ſunt, qui fiunt de rebus, quatenus ſignificant, & non ſignificantur. ſic enim eſſe habent in anima tantum. ac de intellectione, quid ſit, & quomodo fiat, & quæ ſit vnaquæque intellectio, & quot, hactenus dictum ſit pro tẽpore.

Termini & nõia primę & ſecundę intẽtionis.

Nũ oĩa, q̃ ab aĩa, vel ĩ aĩa ſunt, intẽtiones ſecundæ dici valeant.

Quę eſſe tãtum in aĩa habent, & ab aĩa, ſecũdę intentiones dici nõ debent.

Prima intẽtio eſt cõceptus rei, ꝓut ſignificatur, ſecũda vero, prout ſignificat.

Supereſt

Supereſt, vt de deceptiōibus dicamus, quas ſibi anima facit intelligēdo. C

Eſt autem deceptio acceptio quidem rerum aliter, quàm ſint, non ſtudio & uoluntarie facta, ſed errore. qd' quomodo fiat, tentandū nūc eſt dicere in vniuerſum: ac dij precādi, ne forte & nos decipiamur, hæc inquirentes. Vniuerſalis autem deceptionis cauſa eſt apparentia aliqua, qua videntur res tales eſſe, quales tamen non ſunt. Cauſa autem apparentiæ huius ſemper eſt in ſpecie, quæ repræſentat res, verum non qua res offert, à quibus deciſa eſt, ſed qua rerum modos, & coniuncta ſimul refert. neque enim ſenſus, neque ulla interior potentia decipitur circa ſimplex, & proprium obiectum, ſed circa modos, & coniuncta, quæ componit cum rebus. quare circa complexa tantum, non circa ſimplicia deceptio eſt. circa ſimplicia enim ſpecies ſemper id repræſentat, à quo ꝓceſſit, & in hoc mutari non poteſt à ſua natura. quòd ſi uidetur anima quandoque alba iudicare nigra, aut rubra, aut lutea, hæc quidem deceptio non eſt in ſpecie ratione proprij obiecti, ſed ratione potētiæ componentis, quæ in maxima diſtantia dicit, hoc veniens eſt nigrum, cum tamen albū ſit. ſpecies enim, quæ nigrum offert in ea diſtantia, non fallit nos. repræſentat enim ꝓ natura nigri, quod tunc offertur, cum priuatio lucis, & colorum non mouet oculum, vt fit in magna diſtantia. Deceptio autem fit, quia ſubiecto attribuimus qualitatem repræſentatam, quod ſecus eſt. ſimiliter & in felle ſuffuſis deceptio fit, iudicantibus omnia lutea. non quòd ſpecies lutei D fallat nos in re, à qua deciſa eſt, deciſa enim fuit à luteo, ſed quod qualitatem illam attribuimus parieti, & homini. quare ſemper deceptio fit in complexis, & compoſitione ipſa. Solem in aurora iudicamus rubrum, & bipedalem, cum tamen nec ruber ſit, nec bipedalis. error autem fit, quia ſubiecto id attribuimus, quod à ſpecie repræſentatur. rubor enim offertur ſpecie lucis multum refracta ad nigrum, quod fit in aurora propter ſphæram vaporum: & in hoc non eſt error, ſed tum fit, cum colorem oblatum componimus cum ſubiecto. Color item ſolis repræſentat ſolem terminatum certa quantitate, quæ multipliciter variari poteſt propter maiorem & minorem diſtantiam. ſiquidem ſemper minora videntur, quo baſis minuitur, quod in magna diſtantia, maxime contingit. Componentes igitur quantitatem ſolis oblatam in magna diſtantia cum ſole ſecundum ſe, deceptio fit. Baculi & remi ſub aqua fracti apparent cū parte, quæ ſupra eſt, eo quòd pars ſub aqua ꝓpinquior iudicatur, quàm, quæ ſupra in aere eſt. propter denſitatem enim aquæ, viciniores partes ſpeculum fiunt partis ſub aqua exiſtentis. refringitur enim multum ſpecies, & craſſior fit, hoc autem maiora, & propinquiora videri facit. qua de cauſa pars ſub aqua exiſtens nō videtur directe ſuppoſita parti, quæ eſt in aere.

vnde

De variis in nobis ꝑ ſenſus tā inter nos q̄ exter nos, & ī intellectu deceptionib⁹, & errorib⁹, ac fallaciis, tā in ꝓponibus, q̄ in ipſo rōcinio q ſint, & qūo ī nobis fiāt.


Deceptio circa complexa, non autē circa ſimplicia ꝯtingit ex aliqua apparētia ꝑ ipſum ꝯpoſitionis actum.

Oculus vidēs albū in magna diſtātia cur nigrum iudicet.

Sol in aurora cur ruber appeat nullius exiſtens coloris.

Remi & ligna in aqua cur fracti appareāt.

A vnde fracti videntur. deceptio vero fit, dum componimus, comparentes partes inter se & ad subiectum. idem & circa situm partium sæpe contingit: & quæ deorsum sunt, sursum videntur: quæ vero sursum, deorsum: vt spectantibus in ampullas aqua plenas. prætereuntes enim videntur incedere pedibus sursum, capite infra stante. vt si A sit ampulla: præteriens B C D: B autem caput: C & D pedes: oculus aspicientis F, videbuntur quidem pedes sursum, vbi E, caput vero deorsum, vbi G.



Causa vero est, quòd species semper per breuissimam lineam refert, & per directum. breuissima autem linea à capite, vbi B, est B H: quæ reflexa ad

B G, inde ad oculum fertur, vbi F. pedum vero breuissimæ lineæ C K, & D K: quæ reflexæ ad E, & inde ad oculum F, videtur supra caput, vbi E, quod est, vbi G. error fit, non quòd species capitis & pedum non repræsentent debite sua loca, sed quòd componendo, & comparando situs, & loca oblata, hæc quidem sursum, illa deorsum iudicantur.

Similiter & figuræ, & colores, & numerus, & loca variantur per apparentias alias. sæpe enim, quæ rotunda sunt, longa videntur: & quæ longa, rotunda: & quæ vnum duo: & eiusmodi. adeo refert, quale sit speculum, in quod incidit species, an conuexum, an concauum, an aliter fabricatum. Specilla ocularia fiunt, quæ vultus monstruosos referunt, alios satyricos, alios etiam turpioris formæ. quædam sunt, quæ omnia ostendunt iride colorata: alia anulum vnum media in mensa positum duodecim anulos videri faciũt, tam similes, vt, qui verus est, volentem signare fallat magno spectantium risu. Altero oculo, vel compresso, vel eleuato res accidit videri duplices. propter quod & ebrijs omnia videntur duplicia, vertiginosis vero circumferri. omnibus enim his loca mutari vidẽtur, & eadem res in diuersis esse locis, cum tamen per se nõ mutetur. causa est, quòd species in oculo, quæ vel successiue eleuatur, vel deprimitur, ab vtroque oculo non in idem cadit. quippe in eleuato oculo species eius-

dem rei,rem quidem eandem offert,locum autem non eundem, quem C
alter oculus,refert.species enim directe secundum longitudinem totius
sensitorij repręsentat.quare nihil interest,seu res extra mutet locum seu
species referat mutatum. refert autem mutatum,quoniam eleuato sen-
sitorio simul eleuatur & species. in vertiginosis autem circumferri vi-
detur res,quia successiue species cum sensitorio eleuatur à vaporibus,qui
intra,oculum mouent.in circulum vero videntur ferri, quia oculus est
tanquam centrum,res tanquam in circumferentia. à centro autem om-
nes lineæ ad circumferentiam sunt æquales.quare circulus fieri videtur.
ebrijs vero tum circulariter,tum & duplicia videntur.circulariter, quia
successiue fit motus sensitorij,& cum eo speciei.duplicia vero videntur,
quia oculi non æqualiter mouentur,sed diuersimode propter inordina-
tum motum vaporum.quare non in idem feruntur.

Ebrii quæcunq; vidēt, cur circulariter,& quasi duplicia vident.

Circa colores quoque eædem deceptiones contingunt. suffusis enim
felle omnia videntur lutea(vt diximus) & euaporato sulphure per no-
ctem ad lucernę lumen,omnia videntur veneta.sole autem per rubra trā-
seūte,aut ad rubra refracto,rubra omnia apparent. quę quidē dubitatio
nē quandam habent,quo pacto fiant,quoniā res,quæ ita colorari viden-
tur,proprios & ipsæ colores habent.cur ergo & illi non mouent? vtrum
igitur,cum duæ species subalternæ ad oculum veniūt,ea,quæ potentior
est,non sinit debiliorem mouere?an magis,quòd color nihil aliud est, q̄ D
lux terminata,lucis autem species est lumen?quare colorum omniū spe-
cies lumen sunt.vnde colorū species cum omni lumine misceri possunt,
& intendi admixtæ lumini fortiori.sicut igitur per noctem res non vidē
tur propter debilitatem specierum earum,adueniente autem sole vigo-
rantur,& fortiores redduntur,factæ vnum cum eius lumine, & sic mo-
uent,ita & si Sol ad rubra reflectatur,aut per rubra transeat,ita illa vigo-
rat, & intendit,vt & aliorum species vnum cum ijs fiant, & similiter
moueant, et rubra omnia videri faciat.propter quod mappæ,in quas sol
incidit,transiens per vini phialas,rubræ apparent. & suffusis felle omnia
apparent lutea, quòd species aliorum colorum vnum fiunt cum luteo,
quod est in oculis, quòd vnum id maxime offert, quod fortius est. cu-
ius signum est, quòd si suffusi in rubra valde rubra inspiciant,nec pror-
sus luteum , nec prorsus rubrum vident, sed medium quiddam. His
de causis & veneta ijs apparent , qui per uapores sulphuris species re-
rum recipiunt. tale enim est sulphur. Idem accidit & ijs, qui specta-
runt in Solem.omnia enim primo alba apparēt,mox rubra,postremo ni-
gra.remanente enim specie lucis in oculo,per certum tempus illa quidē
primū albū refert,quia lux de se alba est.mox remittente sese luce rubrū

Felle suffusis cur oīa lutea videā tur.

Quō deceptiones circa colores fiant.

Sulphure euaporato, ad lumē lucernę veneti coloris, seu cærulei aliqua apparent.

apparet,

A apparet, non secus, ac si lux in nigro videatur. fulgidũ enim in nigro rubrum fit, remisſio .n. lucis nigri vicẽ gerit. mox luce in totum remiſſa nigrum apparet. in omnibus igitur his apparentia quædam fit, vnde accidit deceptio. verum non decipitur ſenſus ipſe, nec ſpecies per ſe circa oblatum proprium nos fallit, ſed phãtaſia, quæ componit oblata cum ſubiectis. quare prima deceptio in phantaſia fit: mox nihil prohibet & intellectum ipſum decipi, ſiquidem recipit à phantaſia. igitur cum prima cognitio ipſius, dum componit, ſit circa propoſitiones, deinde ex ijs ratiocinetur, ac diſcurrat: prima etiam deceptio circa propoſitiones fit, deinde & circa ratiocinium falli poteſt. circa propoſitiones autem fallitur, cum falſas recipit aut propter apparẽtias prædictas, aut propter alia: circa ratiocinium vero, cũ non inferimus concluſionem, videtur autẽ inferri, quod vniuerſaliter accidit, quum terminum medium non recte aſſumimus. quippe ille, cum vtrique extremo coniungatur, ſępe videtur eſſe idem in vtroque, & ſub vna ratione accipi. verum neque idem eſt, nec ratio eadẽ. vnde concluſio non ſequitur. Ac circa exempla quidem eſt primum videre. Nauigatio enim, vt ſupra diximus, eſt terminus medius, qui coniũgitur naufragio (vt in Callya vidimus) ex quo apparet, quòd etiã Dioni coniungi debeat, qui ſimiliter nauigat. quod falsò poterimus opinari. nã, quanquam idem terminus videatur nauigatio in vtroque, non tamẽ eſt

Quõ circa ꝓpoſitiões, & rõcinium decipiat̃ intellectus.

Circa exẽpla quõ decipi contingat.

B idem & ſub eadem ratione. in Callya enim erat cum tali vento, tali tempeſtate, unde ſecutum eſt naufragium: in Dione vero nauigatio ſine his erit. Similiter & circa enthymemata falli contingit. nam, quanquam & Itali, & Germani, & Scythæ albi ſint, ſi putemus, & Aethiopas albos eſſe, fallemur: quoniam albedo alia ratione ineſt Italis, Gallis, & Germanis, & Scythis, quæ nõ eſt in Aethiopibus. Similiter & in inductionibus deceptio accidit. nõ enim, ſi in Perſide, & Media vidimus mala citra mille & decem millia ineſibilia, ſequitur omnia eſſe ineſibilia. malum enim citrium alia ratione in Media, & Perſide eſt ineſibile, alia eſibile in Aegypto. oportet igitur medium terminum per eandem rationem coniungi extremis: alioqui aut non concludemus, aut falſum concludemus. propter quod & ſyllogiſmis etiam contingit falli. vt quæ emiſti, comediſti. cruda emiſti. fallit quidem, ſi concludamus, cruda comediſti. terminus enim medius non idem eſt, licet appareat. in prima enim emptio iungitur comeſtioni pro ſubiecto. eſt enim verum, quæ emiſti, comediſti. in ſecunda vero coniungitur accidenti, cum dicitur, cruda emiſti. quare non ſequitur, cruda comediſti. comedi enim, quæ emi, non qualia emi. ſimiliter, ſi dicatur, non'ne differens à differente differt? te uero concedente, dicet ſophiſta. at quod differt, nõ eſt illud, à quo differt. differens ergo non

Circa Enthymemata deceptio

Circa inductionem.

Circa ſyllogiſmos.

eſt differens.fallit quidem,quia differẽs à differente differt pro ſubiecto, C non autem pro forma.neque enim differentia differt à differentia . quare in prima pro ſubiecto accipitur,in ſecunda pro forma.nec ſi, quod vtile eſt,bonum eſt.vtile autem in captiuitate egeſtas.ergo egeſtas bona . in primo enim vtile ſimpliciter accipitur,in ſecundo pro vtili ſecũdum aliquid,& certo caſu.Porrò nec,ſi tria & vnum ſunt quatuor.tria enim ſunt tria & vnum,ſequitur,vt tria ſint quatuor.tria enim & vnum,qui eſt terminus medius,ſunt quatuor,diuiſim accepta.& ita accipitur in prima ꝓpoſitione.in ſecunda vero accipitur collectim,& compoſite . quare non idem eſt medium.tale & illud eſt.qui nam diſcunt,ſcientes'ne,an neſciẽtes?te vero dicente,ſcientes diſcunt,dicet ille.at,qui diſcunt,ea neſciunt, quæ diſcunt.ſcientes ergo neſcientes ſunt.dicente vero te,neſcientes diſcunt,arguet ille.at,quæ diſcuntur,ſciuntur.neſcientes ergo ſunt ſciẽtes. deceptio quidem eſt per æquiuocationem termini medij.nam & ſciens & neſciens,interdum ſignificat,qui nunc ſcit,aut neſcit , interdum , qui ſciebat,aut neſciebat.Similiter,non'ne bonus eſt , qui boni eſt poſſeſſor? at diuitiæ ſunt bonæ.qui ergo diuitias poſsidet,bonus eſt. & illud, nõ'ne omnis actio eſt circa ea,quæ ſunt?omnis ſermo eſt actio. omnis ergo ſermo eſt circa ea,quæ ſunt.at ea,quæ ſunt,vera ſunt. omnis ergo ſermo eſt verus.æquiuocatio eſt in illa voce,quæ ſunt . interdum enim ſumitur ꝓ eo,quod non eſt apparens,interdum pro eo,quod aliquo modo eſt, ſiue D vere ſit,ſiue appareat.& ſic omnis actio eſt circa ea,quæ ſunt. Item illud, infinitum non poteſt pertranſiri.hoc ſpatium eſt infinitum.non ergo poteſt pertranſiri.fallit quidem , quia infinitum modo pro infinito in actu ſumitur: & hoc modo infinitum non poteſt pertranſiri.quandoq; ſumitur pro infinito in potentia:& hoc modo poteſt pertranſiri.quare mediũ non eſt idem.& illud,omnes duo circuli contingunt ſeſe in puncto. hi duo anuli ſunt duo circuli.contingunt ergo ſeſe in pũcto . non ſequitur autem,quia duos circulos ſe contingere in puncto circulis mathematice acceptis,& abſtracte ineſt.anuli autem mathematici circuli nõ ſunt , ſed in materia.Interdum fallimur,quia ꝓpoſitio amphibola eſt , & ambigui ſenſus.vt quod mouet lapidem molarem per ſe eſt cauſa farinæ.aqua mouet lapidem molarem per ſe.ergo eſt cauſa farinæ.fallit ratio , quia vox illa per ſe facit ſenſum amphibolum.poteſt enim coniungi cum mouet ex parte ſubiecti,& poteſt cõiungi cum cauſa ex parte prædicati. primo modo propoſitio eſt vera,ſecundo modo non.quare medium variatur. alio modo etiam variatur,cum ſyllogiſmus fit in obliquis caſibus,non in recto.vnde non ſequitur,primus lapis mouet ſecundum,ſecũdus tertium. ergo primus mouet tertium.ſimiliter,maior pars hominum eſt dedita vi-

Secundum qd ad ſimpliciter deceptio.

Cõpoſitionis,& diuiſionis deceptio.

Aequiuocationis variç deceptiões.

Amphibologiæ, quæ circa ꝓpoſitiones contingit, deceptiones.

tijs.

A tijs. Socrates est ex maiori parte hominum. ergo est deditus vitijs. peccãt per non causam, vt causam. in his ergo, & similibus decipitur anima, interdum se ipsam fallens, interdum alios. & in quibusdam facile est videre fallaciam, & distinguere: in quibusdam vero non facile: præsertim in quibus similitudo est valde aperta, dissimilitudo uero valde latet. quo pacto decipiuntur pueri appellãtes omnes homines patres. id enim, quo omnes conueniunt, apertum est, similitudo scilicet in homine: id vero, quo distinguitur, qui pater est, valde ipsos latet. fecerunt enim conceptũ quendam patris, sed nondum distinctum. oportet igitur, qui nõ vult decipi, valde solertem esse, & exercitatum in noscendis coniunctis, quomodo se habent: & modis ratiocinandi: & quid per se vnum, & quid per accidens, & quid appareat. sed iam de ijs deceptionibus prosequamur, quę sibi anima in somnis facit, nec non & in melancholijs, & phrenesi, & vino, & quibusdã alijs epotis, vt Hyoscyamo, & Solano, & eiusmodi alijs.

Per nõ causam, vt causam deceptio.

Deceptiões cauere qũo aĩa debeat.

De somnijs autem acturi operæprecium putamus, vt prius de somno agamus, quid sit, & quomodo fiat. sed ne hoc quidem perquirere possumus, nisi prius de vigilia egerimus. quæ breui fient. vigilare autem tum dicitur animal, cum & sentit, & stat, & motus exercet voluntarios, quæ tum fieri solent, cum anima specie boni mota transmittit libere spiritus ad membra extrinseca, exercẽda per sensum, & motum. primum igitur,
B quod requiritur, est species boni in anima interiori, quæ in actu fit, & diffunditur ab ipsa vsque ad membra exercenda. qua re facta, & spiritus necessarij & seruientes transmittuntur ad ea membra, & reguntur pro eo fine. Si igitur ipsa membra bene disposita sunt: si & viæ liberę, & non impeditę: si & spiritus apti: si & species mouens animã conueniens sit, tum fit membrorum exercitatio, & vigiliæ opera. quòd si in aliquo horum defectus fuerit, impediri finem accidit. si enim membra ipsa male effecta fuerint, vt stupefacta, aut resoluta, aut incisa, tunc nec stare, nec sensum obire, nec motus possunt. similiter, si & viæ aut oppilatæ nimium extiterint, aut ablatæ, idem sequitur. at vero, & si spiritus inepti sint, vt stupefacti, aut resoluti, aut aliter impedita, non obtinetur finis: maxime autem cum species boni, quæ mouere animam debet, impedimentum vllum receperit. multipliciter autem impediri solet. primũ vel ꝙ aliquod graue accidens illam opprimat, & prosternat. vt lipothymiæ, epilepsię, apoplexiæ, ecstasis, præfocationes, contusiones, timores magni, & id genus. vel quòd & potest, & nullum graue accidens recepit, sed tantum quòd sub labore quodam & certa molestia recipit exercere membra. vnde melius & suauius iudicat cessare, vel quòd intẽta ad aliquid, quo delectatur, obliuiscitur prioris intentionis exercendi membra. Tot igitur cum vigiliam impediant,

De vigilia, & sõno qd sint: & quæ nã vigiliã, variosq; sõnos ĩducãt: & de qbusdam miris, q̃ dormientibus contingunt.

Vigilare animal dicit̃ cũ opa vitæ diffusis in mẽbra spiritibus exercet.

vigiliã multa ĩpediũt.

Sõnũs quid ſit.

impediant,ſomnum quidem nõ dicimus,cum propter defectum mem- C
brorum extrinſecorum animal nec poteſt ſtare,nec ſentire,nec moueri.
ſimiliter.nec ſi uiæ ſint oppilatæ atque infartę,aut abſciſſę,eum ſomnum
non appellamus:ſi propter hoc animal ſenſum amittit,& ſtationem . ſed
neque,ſi ſpiritus ipſi ſunt ſtupefacti,& immobiles: neque etiam,ſi graue
aliquod accidens proſtrauerit animam,& ſenſum, & omnem intentio-
nem abſtulerit,ſomnum vocamus.ſed tum ſolum dormire animal dici-
tur,cum anima non omnino in alijs impedita,aut recipit ſub labore quo
dam & diſplicentia exercitationem membrorum.vnde magis gratam,

Somnũ q̃ nã inducãt.

& ſuauem iudicat ceſſationem aut intenta ad aliquid,quo gaudet, & de
lectatur,obliuiſcitur prioris intentionis exercendi membra . ſub labore
autem & diſplicentia recipit exercere membra , cum aut illa iam fati-
gata ſunt,aut ſpiritus quodammodo feſsi,& reſoluti : aut cum ſedes ip-
ſius animæ interioris grauata eſt,hoc eſt nerui,& membranæ illic exiſtẽ
tes:ſpiritus item pigri,torpidi,& viæ nõ planæ,expeditæ. hæc enim cum
concurrunt,tunc retrahitur anima ab exercitatione membrorũ,& quie
ſcere amat,& intentio ceſſat exercendi,ſpiritus non tranſmittuntur , et
ſic fit ſomnus.qui propterea placidus,et ſuauis dicitur,quòd ceſſationem
illam anima, vti gratũ, recipit,contrarium autem, vti graue.hæc autem
grauitas,et labor animæ maximæ accidit,cum euaporatione multa ſur-
ſum lata nerui relaxantur,& opplentur:ſimiliter et membranæ circa ce- D
rerebrũ,et venæ.vnde et ſpiritus graues reddũtur,et pigri . quare anima
ipſa laborem quendam percipit in mouendo ipſos,in tendendo neruos,
et membranas,quas tendi oportet in vigilia.hic autẽ molles ſunt et gra-

De duplici ſomno, naturali,& violẽto, & quales ſint.

ues.quibus de cauſis ceſſare ab opere ſuaue ab anima iudicatur. euapora-
tio autem vnde hæc accidunt ,interdum à cibo,& potu fit,interdũ à qui-
buſdam epotis,quæ frigidiſsima ſunt,& craſſa,& ſomnifera dicuntur . in
ter has vero euaporationes,& ſomnos,qui ab his fiũt,hoc intereſt, quòd,
quæ à cibo & potu fit,naturalis eſt,& finem habet in natura,quo animal
reſtauretur à fatigatione in uigilia:qui vero ab epotis frigidis ſomnus fit,
violentus eſt,& ad ægritudinem magis refertur.quare non naturalis di-
citur.Naturalis quoque & ille ſomnus eſt,qui fatigatis multum mẽbris,
tametſi non cibum,& potum capiat animal , proſtratum tamen ſomno

Collige sõni abſolutã rationem.

capitur.habet enim finem in natura reſtauratio . Videtur igitur,quòd
ſomnus ſit ceſſatio animę interioris ab exercitatione membrorum in ſen
ſu & motu non per impotentiam,ſed ob id ſolum facta,quòd melius,&
ſuauius iudicat ceſſare,quàm mouere . quod fit aut euaporatione multa
grauante,& opplente ſedem animæ:aut fatigatis membris,& ſpiritibus:
aut facta obliuione prioris intentionis ex intentione in aliud, quod dele-
ctat.

A ctat.& hoc enim ſæpe accidit,vt infantibus,quibus nutrices per cantilenas ſomnum inducunt.

Eſt igitur ſomnus alius ſimpliciter,& vniuerſaliter vigiliæ oppoſitus, alius ſecundum quid, & in parte ſolũ.ſimpliciter quidem, quo & ſenſus oẽs, & motus voluntarij ligati ſunt.ſecundum quid autẽ & in parte tantum,in quo vel non ſenſus omnes ſunt ligati:vel ſenſus ipſi quidem ligati ſunt,motus autem voluntarij non.nam, quoniam neq; idem ſpiritus, neque eædem viæ,neque eædem ſpecies ſunt ſenſuum omnium, & motuum,fieri quidem poteſt,vt plures ligentur ſenſus, non tamen omnes: vel ſenſus quidem ligentur,motus autem voluntarij non. qua de cauſa accidit ſæpe,vt dormientibus nobis ſenſus quidem ligati ſint, voluntarij autem motus non.ſiquidem & quidam dormientes ſurgunt tamen, & ſeſe veſtiunt:& nonnulli domo exeunt.facta enim phantaſia ſurgendi, quanquam ſopiti ſint ſenſus,motus tamen illi fieri poſſunt,qui à phantaſia dependent,quoniam non ſimpliciter dormiunt.interdum non omnes ſenſus dormiũt,ſed aliqui tantum.propter quod ſomnus infantibus irrepit ſenſim ex cantilenis. intẽta enim anima ad aures & cantum obliuiſcitur oculorum,& cæterorum membrorum. vnde & ſpiritus, qui ad membra tranſmittebantur recurrunt ad ſuum principium,quam ceſſationem recipit anima,vt ſuauem:& in oculis, & in alijs membris dormit,quamuis ſecũdum aures vigilet. verum & in his paulo poſt dormiet.

Somnus duplex,ſimpliciter, & ſecũdũ qd:& qũo hi fiãt.

Dormiẽtes cur aliqua nõ nunq̃ vigiliæ opera exerceãt.

Pueri cur cantilenis ĩ ſomno intẽdantur.

B percurrẽte enim ſpiritu ad ſedem animæ,& cum eo humore aliquo, grauatur ſenſim ipſa,& quietem ſimpliciter amat:vnde ſimul etiam aurium obliuiſcitur,ac dormit.ſimiliter & pedum frictio ſolet ſomnum allicere eadem de cauſa. idẽ facit & lectio,& auſcultatio,& decubitus,& in vniuerſum omnia,quæ leuem voluptatem in certis membris inducũt. multa vero ſi ſit, vigiliam parit,quoniã attentionem poſcit.oportet ergo, vt nõ multa ſit voluptas illa,& nulla alia ſit ſpecies,quæ attrahere ad ſe animam poſſit,vnde ſomnus conciliatur. quo ingenio vtuntur medici ad ægros,qui dormire nõ poſſunt,per cadentis guttę leuem,& placidum ſonum.alij cunabula inuenere,alij penſiles lectulos,alij alia.

Somnũ inducũt leues quędam voluptates.

Sed iam de deceptionibus in ſomno factis agamus. eſt autem ſomniũ vigilia interioris animæ,in ſomno cæterorum membrorum. nam & ſi ſenſus ſopiti ipſi ſunt, & motus ceſſant, uigilat tamen introrſum anima circa reſeruatas rerum ſpecies,quæ coram ipſa ſunt:per quas & intelligit, & ſubnotiones,& alia operatur,quæ & in uigilia,uerum confuſe admodum,& perturbate.vnde & ſæpe decipitur. eſt autem prima deceptio, quòd videmur res perinde facere,& videre,et audire,ac ſi ita omnino fierent,& præſentes eſſent,qui non ſunt.cauſa autem eſt, quòd ſpecies per naturam

De Deceptionibus ĩ ſomno contĩgẽtibus,ſiue ĩſõniis, quid ſint, & qbus ex cauſis fiãt. & de ſomniorum diuinatione.

Somniũ qd ſit.

Somniorũ gñalis, ſeu cõis cauſa.

naturam suam operatur. natura autem earum est res ipsas repræsentare, C et coniuncta loca, scilicet formas, figuras, actiones, et alia. quare similiter et in somno repręsentat, uti in uigilia. eędem enim sunt species. in vigilia autem non accidit, ut decipiamur, quia sensus rem monstrat, aut ratio facta. in somno autem sensus ligati sunt, nec possunt corrigere oblata, nec ratio in contrarium fit. quare relinquitur speciem ita res offerre, ac si fierent, et pręsentes essent.

Familiaria nobis, & notiora, & quę p diē gessimus, pp qd facile somniemus.

Specierum autem, quæ animam mouent, illas prius mouere censendũ est, quæ actu sunt magis. diximus autem actu magis esse illas, quæ recentes sunt, & quæ habitum fecerunt. qua de causa maxime ea somniamus, quæ per diem egimus, et de nobis, et de maxime notis, et de ijs, quibus maxime intenti sumus. porrò dispositiones quædam corporis nõ parum facere uidentur ad excitanda quædam somnia. ut sanguinis exuberantia rubentia videri facit, ignesq; ac vstiones, et eiusmodi. pituitæ vero redundantia aquas, lotiones, innatationes, potus, nauigationes, et id genus. choleræ uero rixas, iurgia, inimicitias, bella, et similia. melancholiæ vero tristia, obscura, funera, et alia eiusmodi. propter quod et medici solent de somnijs interrogare. Quibus autem de causis istæc contingant, et quid faciant dispositiones illæ corporis, nõ ingratum fortasse arbitror, si perquiramus. In primis igitur videtur mihi exuberantibus hisce humoribus occultã quãdam speciem in somno ad phantasiam ferri, ex qua D memoria excitatur quorundam coniunctorum: quemadmodum et in quibusdam alijs videmus fieri. vt dulci pituita ad linguam descendente dulcia somniamus. similiter et ventositate aliqua circa dentium radices se commouente somniamus dentem cadere. quæ certe non alia de causa fiunt, nisi quòd ex his occulta quædam sensatio in phantasia fit, cuius species memoriam similium excitat coniunctorum: in dulci quidem pituita memoria dulcium: in ventositate autem circa dentes casus dentis. quoniam oblatis coniunctis semper illud magis mouet, quod maximum est. talis autem est casus dentis. fit autem in phãtasia latens illa sensatio, quoniam non ita omnino sopitos esse sensus censendum est, vt nihil prorsus sentiant. eodem pacto et cholera exuberante accidit per corpus talia ferri, qualia et in ira: vt exarsio circa cor, aut tale aliquid, cuius species occulte lata ad phantasiam, memoriam consimilium facit. ita et melancholia redundans tristitiam quandam membris ingerit, cuius memoria excitatur ad similia. quod & pituita facere solet. in sanguine autẽ quomodo fiat, dubitationem quãdam habet. quoniam colorum species non uidetur ad phantasiam ferri nisi per sensus: quibus sopitis quomodo rubra uideri accidat, non satis apparet, quanquam sanguis exuberet. dicendum

Varię hoim corporis dispositiones varia in ipsis somnia inducunt.

Pituita exuberãtes cur aquas, lotiones, natationes, & dulcia nõnunq̃ somnient.

Cholera abundantes cur iurgia, rixas, inimicitias, & bella somniẽt.

Melancholici cur tristia, obscura, & funera somniẽt.

Sanguinei ĩ somnis rubra, & ignes cur videãt.

A cendum autem fortaſſe, quòd,ſicut oculus ſuffuſus felle alia facit videri eiuſdem coloris, ita & dominante ſanguine particula illa,quæ phantaſiam exercet,& qui in ea ſunt ſpiritus,ceu ſuffuſi rubro,memoriam rubẽtium excitare poſſunt:inter quæ ea,quæ actu ſunt magis,ſeſe magis offerunt,ignis,veſtes, & ſimilia.Præter has autẽ corporis diſpoſitiones ſunt & aliæ quædam, quæ ſolent nonnulla ſomnia frequẽter inducere: vt ijs, qui in paupertate ſunt,quòd ſemper vident ſibi deeſſe aliquid, ſæpiſsime etiam ſomniant de ſe ipſis,vt carentibus quibuſdam:& in præſentia aliorum eſſe aut ſine veſtibus,aut ſine calceis,aut ijſdem mutilatis, & ſimilibus.Contra vero,quibus multa ſuperabundant,ſomniant alijs dare, geminatas habere veſtes,& eiuſmodi.Qui vero valde ancipites, & ꝑplexi ſunt vel conſiliorum,vel inquiſitionum circa ſciẽtias, ij ſępe ſomniare ſolent circuitu longo de domo in domum,de via in viam progredi,ac demum in anguſtijs quibuſdam ſeſe inuenire. Formidoloſis certa fiũt ſomnia maxime ſibi familiaria:certa auaris,certa amãtibus: & nemo ferè hominum eſt,qui peculiaria quædam non faciat ſomnia propter peculiarẽ corporis diſpoſitionem.

Diuerſę hominum affectiões, variiq; fortunę caſus diuerſa ſomniař faciũt.

Sed iam illud inquiramus,cur in ſomno tam extranea, tam noua videat anima,vt omnibus manifeſtum eſt.in primis igitur ſupponendum eſt nobis,quòd,ſi recta fieri intellectio debet,ſanam primum oportet eſ-
B ſe partem illam,quæ intelligit:deinde & debitam eſſe applicationem,& intentionem animæ.tum oportet et medium ipſum,per quod ſpecies veniunt,et mouent,purum eſſe,& ſyncerum,non inquinatum,non perturbatum.dico autem medium ſpiritus ipſos,qui circa ſedem animæ ſunt, maxime in vocatis ventriculis cerebri:in quibus ſpecies ſunt,& per quos mouent.porrò & ſpecies ipſas,quæ animam mouent, neceſſe eſt quietas eſſe,non tumultuarie agitatas.poſtremo & eaſdem eſſe temperatas. ſi.n. excedant,perturbant animam.His ergo recte ſe habentibus recta etiam fieri intellectio poteſt rerum,& cõiunctorum.vbi vero hæc, aut omnia, aut quædam contrario modo ſe habent, tunc accidit & intellectionem varie impediri.quod maxime in ſomno euenit.primum enim applicatio animæ non ſatis firma,& conſtans eſt,tum quòd anima in ſomno quaſi otium agens,& quiete congaudens omnem intentionem negligit, tum quòd partes,quæ applicari atque intendi debent,male diſpoſitæ ſunt. in intentione enim requiritur ſpirituum multorum vnio,& neruorum, & membranarum tenſio,in ſomno autem ſpiritus pigri ſunt,& graues: nerui laxi,& languidi:ſimiliter & membranæ.quibus de cauſis anima non multam applicationem facit ad res,& rerum coniuncta,& ordines.præterea & medium ipſum,hoc eſt ſpiritus,impurum eſt,& permixtum alie

Rectam intellectionẽ quę habere appareat.

nis vaporibus,nec non & inquietum, & tumultuoſe agitatum . quæ res C facit,vt & ſpecies ipſæ,quæ in ſpiritibus ſunt,ſimul etiã tumultuarie agãtur,& inordinate.ex quibus accidit & intellectiones,quæ in ſomno fiũt, inordinatas plurimum eſſe,& valde extranea cõponi:qualia volare nos, ſaltu lõgo librari repẽte,& nos & alios videre mutatos in varias formas, & modo aues factos, modo equos,modo alia.ſimul quoque accidit rerũ ordines,loca,ſitus,genera multipliciter variari: maiora videri plurima ex paruis & leuibus occaſionibus: quorundam reminiſci,quæ nunquam in vigilia occurriſſent,et ita de alijs multis. Permixtio igitur vaporũ poteſt in primis colores(vt dictum eſt)euariare:tum poteſt & ſpecies mutare,hebetare,craſſas reddere: maiora facere,vt repræſentent: ſubnotiones confundere:tum & figuras quaſdam abſcondere,quaſdam mutare: motus vero & agitatio ſpirituum , & cum ijs ſpecierum poteſt loca diuerſa offerre,applicationem tollere,coniunctorum multa intercipere,ordines ꝑuertere,ſitus diuerſos offerre.variatis autẽ locis,formis,figuris,ſimilitudinibus,ordine,numero,& alijs neceſſe eſt extranea multa cõponi.

Qũo volare nos appareat in ſomnis.

volare.n.nos, accidit,vt appareat ſpecie noſtri continẽter locum mutante cũ ſpiritibus,in q̃bus ſunt ſpecies,ac nos repente continenter moueri ex memoria ſubita aut volãdi , aut ſaliendi,aut quid taliũ aliquid faciendi. porrò accidit modo ſubiecta,modo prædicata rerum cõplexarũ repente mutari:vt appareat nobis repente nos vel aues factos, vel equos , vel alia , ſi D ſubiecta mutentur remanentibus prædicatis . quòd ſi remanentibus ſubiectis videantur prædicata mutari,videmur,aut de veſtitis nudos fieri, aut de albis nigros,de ſedentibus currentes:de vno loco, & ſocietate in alijs eſſe.Ex paruis autem occaſionibus magna quędam videri accidit:vt tonitrua ex paruo circa aures ſono, & in ephialte dæmones , & è parua ventoſitate circa dentes,ipſos cadere,& eiuſmodi alia.quia facta recordatione coniunctorum ſemper id primo occurrit, quod maximum eſt in vno quoque genere.porrò obliuio multorum coniunctorum ſæpe fit in ſomno,tum propter momẽtaneam applicationem animæ,tum quod ordines accidit variari.

Somniorũ, cur in vigilia non facile recordemur.

propter quod & ipſorum ſomniorum ſæpiſsime nõ recordamur.euolant enim ex anima,niſi de ijs fuerint,quæ fortem attentionem ad ſe trahunt:qualia ſunt,quæ per timorem,& admirationem,et voluptatem magnam peruidemus in ſomno. Occurrunt autem reminiſcentiæ quorundam,quæ nunquam in vigilia forte occurriſſent, quoniã in ijs extraneis,& nouis offeruntur & nouæ quędam ſimilitudines,quę memoriam excitent quorundam pene oblitorum.atque hęc pro tempore ſatis ſint,cur in ſomnis tam mira,tam extranea videantur.

Diuinare ꝑ ſomnia nõnunq̃ rõne fieri his exẽplis noſcas.

Nunc conſequens eſſe videtur,vt & illud quæramus,vtrum ulla ſint ſomnia,ꝑ quæ

diuinare

A diuinare cōtingat (vt sæpe videmus accidere) & quæ facta sunt, & quę futura, pernosci, quorum nullam cognitionem tenemus. è quibus ego nūc duo cōmemorabo, quæ duobus nostris amicissimis contigere, mira quidem, & quæ quo pacto facta fuerint, non ingratū arbitror vobis futurū, si ꝑquiramus. Noscimus oēs *M. ANTONIVM FLAMINIVM* sanctissimū quidem virum, & vtriusque linguæ doctissimū. is cū Genuæ esset apud Saulos magnificos, nec satis valeret, animi gratia mutuo acceperat librum quēdam maternæ linguæ: quem cum dies aliquot legisset, non adhibita multa cura reliquit super lectulo quodam. mox, cum repeteretur liber ab eo, qui mutuo dederat, quæsitus multum fuit, nunq̄ autē inuentus. quod cum satis moleste Flaminius ferret amici causa, cui mutuum non poterat reddere, per somnium tandem inuenit hoc pacto. Videbatur sibi quędam è domesticis ancillis librum tollere è lectulo illo, in quo ipse librū reliquerat. quē cum vellet puella in mensam quandā trāsferre, cecidisse aiebat vidisse librum fracta altera è duabus tabulis, quibus contegebatur. quod perspiciens ancilla, trepide librum abscōdisse occulto quodam in loco videbatur. somnio habito cum ipsum mane Flaminius vulgasset, placuit librum inquirere: qui illic inuentus fuit, vbi in somno viderat abscondisse illum puellam, fracta etiam tabula, vti viderat. ergo interrogata puella, vnde librum sustulisset, & quomodo fracta fuisset

B tabula, & cur abscondisset, omnia eodem ordine narrauit, quo Flaminius in somnis viderat. Alterū somniū memini recitasse *PETRVM BEMBVM*, quē noscimus, & ipsum virū probū, & vtriusque linguæ eruditissimū, qui nuper ob insignes virtutes Cardinalis est factus. Is annis ante multis forte litem habebat cum, nescio, quo. cum vero dies instaret, quo à iudice sententia promulgari debebat, pridie illius diei dicebat matrem enixe ipsum rogasse, ne sequenti die in iudicium ascēderet: somniasse enim se illum vidisse vulneratum à reo in digito minimo sinistræ manus. de quo somnio cum ipse consolatus matrem fuisset, dixissetq; fallacia esse somnia, in iudicium processit. vbi post multam altercationem ambo cum à iudice etiam tum altercātes recessissent, reum dicebat educto gladio percussisse ipsum eodem in digito minimo, qui à matre fuerat demonstratus. mira profecto sunt eiusmodi somnia: qualia etiam multa alia tum legimus, tum & audiuimus à fide dignis. quam autem causam habere possint, non satis facile est assignare. nam, quòd casu (vt quidam putant) hæc fiant, supra verisimilitudinem videtur. nam certe quædam mira etiam fieri casu quodam nec nos negamus: immo necessarium putamus tot hominibus, tot, & tanta somniantibus, conuenire quædam cū rebus: sed, quæ adeo miranda sunt, tanto ordine facta, tot concurrenti-

Reuerendissimi Cardinalis Petri Bembi insomnium.

Sõniorũ aliqua, q̃ mira vñr ad occultos quoſdã humanę mentis diſcurſus reducere p̃ſtat: alia ad Deũ vel dæmones, vel ad caſum.

bus,quòd caſu fiant,non poſſum exiſtimare. Verum,ſi caſu non fiunt, C quam nam cauſam habere per ſe poſſunt?oportet enim,ſi caſu non ſunt, per ſe fieri.at intellectiones,quæ in nobis habentur,rebus conuenientes illæ tantum ſunt,quæ à ſenſibus originem,vel à diſcurſu hominis ducũt, ad ſenſum autem reduci non poſſunt,quæ dicta ſunt, ad diſcurſum autẽ difficile eſt videre,quomodo poſsint. Verum enimuero,niſi fallor,nihil fortaſſe prohibet,ſi dicamus hæc ſomnia ad diſcurſum reduci poſſe.nam BEMBI mater & prudẽs,& anxia potuit in ſomno præ timore ſomniaſſe,quæ timenda ſunt: inter quæ coniuncta cum litibus ſunt iurgia,& altercationes:cum his autem rixæ: & cum his arma,& vulnera.quare omnia hæc in filio timenda oblata ſunt perinde,ac ſi fierent: vt diximus naturam ſpecierum eſſe. quare & vulnerari ipſum vidit.magis autẽ in ſiniſtra manu, quoniam naturale eſt cuique brachium præcipue ſiniſtrum ad defenſam gladio offerre. Somniauit igitur, quod rationaliter poterat euenire,& quòd in vigilia ẽt præuidere facillime potuiſſet. Similiter autem & FLAMINII ſomnium ad diſcurſum quendam reduci poſſe videtur.anxius enim de libro potuit in ſomno perquirere,quiſnam ſuſtuliſſet è lectulo: inter quos occurrit domeſtica illa puella.rurſus vero quærente illo,cur non manifeſtauerit,occurrit,quòd forte ſiniſtri aliquid cõtigiſſet libro.porrò & ad hæc inquirenti,quid ſiniſtri potuit accidiſſe, occurrit caſus libri,& fractio tabulæ.coniuncta enim hęc ſunt. at quòd con D iunctum & conſequens fuit occultatio libri,& demum & locus, in quo occultauit.hic ergo diſcurſus & per ſe,& rationalis fuit: quòd vero ita acciderit,quod cum re conuenerit ſomnium,caſu certe fuit. quare partim ad diſcurſum,partim ad caſum reduci poteſt: & talia ꝑfecto multa ſunt eorum ſomniorum,quæ nobis tam mira videntur.ſiqua vero ſunt, quæ ad conſimiles cauſas nullo pacto reduci poſsint,vt certe plurima ſunt tũ præteritorum,tum & futurorum,& eorum,quæ lõginqua ſunt à cognitione noſtra,hæc certe,aut ad caſum,aut ad Deum, vel etiam ad dæmones ſunt referenda.quapropter,vt tandem in vniuerſum dicamus,omnia ea ſomnia,quæ mirãda vidẽtur,& habere ſignificationis aliquid, omnia vel caſu fiunt,vel ad certos occultos diſcurſus reducuntur, vel ad corporis diſpoſitiones,uel ad intellectum aliquem ſeparatum à materia,qui & præterita,& futura cognoſcẽs nobis quædam immittat ſomnia.ac de deceptionibus,quæ ſibi anima in ſomnis facit,ita per tranſcurſum determinatum ſit.

De Deceptionibus, & erroribꝰ, qui contingere hoibꝰ ſolẽt, vino, ſeu alio aliquo.

Non eſt autem longe diſsimilis cauſa ea, quæ in ſomno deceptiones facit,& quæ in vino,& febribus,& phreneſi, & epotis quibuſdam alijs. omnia enim hæc tum perturbatam,& inquietam,tum inquinatam facere ſolent

re ſolent

A re solent animæ sedem. vinum siquidem, sicuti oculos, & visum facere obliquum potest, & perturbare, ita potest & phantasiam, & intellectum spiritu inordinate commoto. spirituosum enim vinum, & multam exhalationem excitat, quam regere uis cognoscitiua nõ potest. propter quod ebrij & multa dicunt, & incomposita, propter agitationem spiritus, in quo sunt species. in febribus quoque, & phrenesi eadem solent accidere, & eadem de causa. quanquam in his dubitationem quandam habet, quomodo fiat, vt vigilantes ipsi, & videntes, quædam tamen se videre dicãt, quæ non sunt, clamentq; sæpe & lupos, & canes auferri debere, quos coram habere autumant. cum igitur ita non sit, quomodo species eorum, quæ non sunt, mouere illos potest? est autem & dubitatio eadem circa timorem, & ecstasim. multi enim prętimore sese quædam videre existimant, quæ nullo pacto vident, sani alioquin & mente, & videndi facultate. nisi quantum illos perturbat timor. similiter & ecstatici se habent.

quo humore epotis, ac febre, phrenesi, & ecstasi laboranti bus.

Vinũ sicut oculos, & visum perturbare potest, ita & phantasiã.

Ergo in febribus, & phrenesi duo sunt, quæ principium fallendi præbet: alterum est corrupta ratio, alterum est occasio aliqua, dico autem occasionem, vt aulæa depicta ante oculos, & parietes depictos, aut varie figuratos: vapores item in oculis existentes, aut circa phantasiæ sedem, & alia eiusmodi, quæ apparentiam aliquam posśint offerre. facit igitur corrupta ratio, vt contra falsam apparentiam ratio nulla opponatur. ex quo

Febrem, & phrenesim patiẽtes pp quas cãs decipiãtur, & mira quædam faciãt, & dicant.

B fit, vt occasio, quæ apparentiam facit aut canum, aut luporum, facillime decipiat, quoniam ita videre existimant, similitudinem præbente figura aliqua, aut vaporibus, qui in oculis sunt. Quòd autem, qui circa oculos vapores sunt, figuras varias offerre consueuerint, manifestum est in nocte, non potentibus nobis dormire. nam inuitis nobis, & scientibus aliter esse, variæ nihilominus figuræ ob oculos obuersantur. quòd vero, & qui circa phantasiam vapores sunt, posśint figuras extraneas offerre, dictum est in deceptionibus somni. signum autem, quòd ex eiusmodi occasionibus, & apparentijs hæc contingant, illud monstrat, quòd sæpe admoniti, & aduertentes non amplius credunt multi. In timore autem admiranda etiamnum magis est causa, quia & sani mente, et visu, videre tamen putant, quæ nõ sunt: alij simulachra mortuorum, alij dęmones, alij inimicos, alij alia. Principium autem horum omnium est species rei formidabilis: qualis imago noctis, & solitudinis, & sepulchrorum, quæ qualibet vel leui occasione illata phantasiam tam intente mouet, vt apparẽtiam aliquam faciat adeo actu, vt veluti præsens accipiatur. fixa enim omnis imaginatio speciem ita intendit, & diffundit, vt in oculis etiam fit. quam ob rẽ ita repræsentat, ac si extrorsum in oculos peruenisset. ad apparentiam enim faciendam nihil refert, vtrum species extrinsecus veniat

ad

ad oculum, an intrinsecus. omnino enim pro natura repræsentat. C quare ea videre se se putant, quorum imaginationem fecere.

Ecstasim patiẽtes vel ꝓpter melancholiã, vel pp nimiam illorũ fidẽ, seu sanctimoniã cur deos, & angelorũ choros se aspicere putẽt.

Idem patiuntur & ecstatici. nam & ipsi facta fixa imaginatione sese videre existimant & Deos, & angelorum choros, & similia. fixam autem imaginationem facit vel melancholia, vel fides multa & sanctitas. est autem ò amici, incredibilis specierum uis in mouendo animam, animæ vero in mouendo corpus per ipsas species. ut quasi audeam dicere, posse hominem super aquis incedere, si ingenti quadam phantasia, & specie agitaretur. cuius rei tenue quoddam signum præbet voluntas, quæ hominem à terra tollit saltu, & librat per certum tempus, nullo alio tantũ pondus ferente, quàm specie. longe autem maior est vis earum specierũ, quæ à natura sunt, q̃, quæ à voluntate. Eorũ vero, quæ epota delirare solent nos facere, vt Hyoscyamus, & Solanũ, quod Maniacũ vocant, & Lolium, & alia multa, eadem causa est, quæ & vini, & febrium. omnia enim vaporosa sunt, atq; insuper potentia frigida, & crassiorum vaporum. quare ad animæ sedem perlata medium crassissimum reddunt, tum & impurum, ac torpidum. vnde & rationi multipliciter possunt obesse. res enim maiores primum faciunt, quàm sint, videri: interdum & duplices. ꝓpter quod non sine risu est videre quosdam, qui Hyoscyamum hausere. paleam enim iacientes, lanceam sibi iacere videntur, & si passum pedalem fecerint, perticam æquasse existimant. sicut igitur per aquam, & crystallum maiora videntur omnia, idem fit, & si introrsum medium & species D crassiores reddantur.

Diuersorũ potiones q̃ ex cã delirare nos faciant.

De insania, & amentia, & melãcholico humore, variisq; insanorum spẽbus: quo itẽ mõ certo humore melancholico sapiẽtes, & excellentes viri fiãt. Insania qd sit, ex ipsiꝰ sapientię ratione sumẽdum est. Insani prorsus nõ sunt ebrii, pueri ac dormiẽtes.

Ad hæc autem & de insania, & amentia, & vocata melancholia morbo, quo tantum deliramus, nunc est agendum. primum autem determinandum, quot modis insanum cõsueuimus appellare. non enim dicitur vno modo: ne forte lateat nos, quo pacto sapientem, & insipientem, atq; insanum appellemus. Ergo de his fortasse eadem dicenda sunt, quæ de sanitate reliqua, & opposita illi ægritudine dici consueuere. nam & insania ægritudo quædam est circa intellectum. sapiẽtia vero sanitas videtur. igitur sapientia potentia quædam bene operandi circa intellectum, insania vero impotentia. at vero pueros, quanquam non possint recte operari, insanos tamen non vocamus: nec similiter valde senes, quoniam vtrisque ætas indebita est. his quidem enim præterijt, illis nondum accessit. porrò neq; dormientes, quanquam falsa concipiant, insanos appellamus, quoniam tempus indebitum est. similiter neque ebrios, neque, qui ebiberunt Hyoscyamum, insanos nuncupamus, ob id, quod vitium per se non est in intellectu, neq; causa confirmata est, sed momẽtanea, & veluti oculus velo impeditus, quod paulo post amouebitur. quam ob rem sanus mẽ

teis

A te is erit,qui ætate debita,& tempore debito,per ſe,non momentaneam & fugacem potentiam habeat bene operandi circa intellectum: inſanus vero,qui ætate debita,& tempore debito,per ſe,non momentaneam & fugacem,ſed confirmatam impotentiam habet bene operand icirca intellectum. Quoniam autem bene operari contingit aut in omnibus, aut in pluribus:& his vel manifeſtiſsimis,& facillimis, vel difficillimis, vel medijs:& hoc,vel ſemper,vel vt plurimum, vel vt nunc,manifeſtum, ꝙ ſimpliciter ſanus mente ille erit,qui in omnibus,vel pluribus, & difficilibus,ſemꝑ,vel vt plurimum bene operari poteſt circa intellectum.ſi vero non vt plurimum poſsit,ſed aut raro,aut medio tempore, non ſimpliciter talis dicitur,ſed vel vt nunc talis,vel neuter.ſimiliter nec,qui aut ſemper,aut vt plurimum bene operatur, ſed in facilibus tantum & manifeſtis,vel medijs poteſt,ſimpliciter talis erit,ſed ſecũdum quid tantum, aut neuter.ſimpliciter vero inſanus is dicatur,qui aut in omnibus,aut pluribus:& his,vel etiam leuibus,& facillimis male operatur ſemper, aut vt plurimum.Qui vero ita ſe habet,ſed raro,aut medio tempore, is inſanus vt nunc dicatur,aut neuter.

Inſan⁹ ſimpliciter qs dicatur, & quando.

De ijs igitur,qui ſecundum quid ſunt inſani,& de ſomnijs,& vino,& phreneſi,& epotis dictũ iã eſt:de ſtolidis autem,& fatuis,& qui à natiuitate ſunt tales propter defectum organi,nihil nobis dicẽdum eſt.De me-
B lancholicis autem,bene erit,vt proſequamur.de quibus valde mirãdum eſt,quo pacto ab eo humore adeo inſani fiãt,alij ſemper,alij vt plurimũ, alij certo tempore.Melancholicos autem vocamus, quos exuberantia, vel prauitas melancholię ita male habet, vt inde inſaniant vel in omnibus,vel in pluribus,& ijs facillimis,& manifeſtis:ſiue ad rectam voluntatem,& electionẽ pertineant,ſiue ad intellectus operationes.quippe omnes,quos male habet hic humor,et triſtes in primis ſunt, & ſolitarij: & horum alij formidoloſi omnium,alij quorundam: alij inuerecundi, & pertinaces:alij phantaſias ſibi quaſdam faciunt,quæ neque ſunt, neq; eſſe poſſunt:hi quidem putantes habere cornua,illi vitreum naſum, aut manus:alij ſe eſſe mortuos,alij aues factos,et infinita eiuſmodi.quorum omnium cauſę ſunt inquirendę,quantum datur.Ergo triſtes in primis ſunt, quoniam diſpoſitionem habent omnino lætitiæ contrariam. nam, quæ ad lætitiam maxime inclinat diſpoſitio,illa eſt,quæ maxime ſenſus bene afficit,& qua maxime bene habent,& gaudent.tales autem ſunt, cum finem adipiſci ſuum poſſunt,qui eſt delectari,et bene poſſe operari. operatur autem anima per calidum,et in calido bene habet. per ipſum enim conſiſtit,et conſeruatur,et poteſt.Igitur,qui calidi natura ſunt, ij diſpoſiti ſunt ad lætitiam.verum cum calore illo nihil acre,nihil auſterũ oportet

Melancholici,qui nã vocẽtur, & illorũ varię ſpecies.

tet eſſe coniunctum. qua de cauſa humidum maxime conuenit cum eo C
calore, qui ad lætitiam inclinat: qualis in ſumma eſt natura ſanguinis:
qui vero multum habet aut choleræ, aut melancholiæ, indiſpoſitus eſt
ad lætitiam. cholera quidem, etſi calida eſt, acris tamen eſt, et indignatio
nis plena: melancholia vero tum auſtera eſt, tum & frigida. quare maxi-
me contraria eſt lætitiæ. propter quod melancholicorum pars maxime
triſtes ſunt, & omnia ferè per diſplicentiam recipiunt. eadem de cauſa &
ſolitarij ſunt, & cõſortia fugiunt. in his enim & ridere oportet, & loqui,
& reſpondere, & aduertere. ipſi autem mœrorem nutrire amant, & tace
re, & certa quædam cogitare. quare ſolitariam vitam quærunt. formido-
loſi prȩterea ſunt, non propter cauſam, quam medicorum quidam addu
cere ſolent, quòd tenebras introrſum habent. propter quod, ſicuti timor
in exterioribus tenebris fit, ita & in interioribus accidit. cauſa quidẽ hæc
non adduci poteſt. primum, quia melancholici non decipiuntur in colo
ribus, ſed alba iudicant alba, rubra rubra. deinde quia non eſt ſimile, qd'
adducunt in exemplo de exterioribus tenebris. in ijs enim timor fit, vt in
nocte, quia ſpecies illa & in ſe, & in coniunctis omnino, vt ignota, offer-
tur. terreri autem ſolet anima, quoties aliquid, vt omnino ignotum, of-
fertur: præſertim cum in coniunctis imaginatio fit aliqua eſſe poſſe con-
traria, vt accidit in ſpecie noctis. melancholici vero propter hanc cauſam
non poſſunt terreri, quia nihil propter hoc recipiunt, vt omnino ignotũ. D
cuius ſignum eſt, quòd melancholicorum multi per ſolitudines, & per
noctem libentiſsime pergunt. cauſa igitur, vt mihi videtur, inde potius
credenda eſt accidere, quòd melancholici frigidi ſunt magna ex parte, &
hi prȩcipue formidoloſi ſunt. nam, qui furentes ſunt, etiam omnium au-
daciſsimi viſuntur. quod etiam ſignũ eſſe poteſt interiores tenebras non
eſſe cauſam formidinis eius: nam & furentes tales quoq; eſſent. non oẽs
igit̃ melancholici timidi ſunt, ſed ſolũ, quibus frigida acceſsit melancho
lia. Quòd vero frigiditas timorem pariat, indicant ſenes, & mulieres, &
eunuchi, & complexiones. Nunc vero dicamus, cur etiam adeo delirẽt.
Fortaſſe igitur & in melancholia eadem cenſenda eſt eſſe cauſa, quæ &
in vino, & in febribus. quoniam enim maxime ſpirituoſa eſt melancho-
lia, ſicut & vinum, inde fit, ut eadem poſsit efficere, quæ & vinum. pro-
pter quod aptiſsime illam vino Ariſtoteles comparauit. vtrunque enim
in quantacunque quantitate multũ habet craſſæ corpulentiæ. propter
quod euaporatio, quȩ inde fit, ſemper habet, vnde perſeueret non ſupera
ta. & hac de cauſa vinũ maxime inebriat, aqua aũt, & lac non, quia, quod
ex ijs euaporat, aereũ eſt, et ſuperabile. igitur et melancholia, vbi euapo-
rans ſedem mentis occupauit, ſiquidem multa repente irruat, nec quam
calor

Cur melancholici ſint formidoloſi, qdã cauſam non veram adducunt.

Melancholici nõ oẽs timidi sũt, ſed quibus frigida melãcholia acceſsit.

Propter q̃d aqua, & lac nõ inebriet ſicut vinũ.

A calor naturalis regere posſit, tum quidem funditus iudicium tollit, & caſus fit, & vocata epilepſia. ſi vero non repente multa incidat, ſed tamen tanta, quæ perturbare ſpiritus poſſit, & inquietos facere, atque inquinare, tum multipliciter offendere rationem poteſt. nam & applicatio animæ in multis impeditur, & coniunctorum plurima deperduntur: figuræ mutantur, & ſimilitudines, & loca, et ordines (vt dictum eſt) ꝓpter quod nec recte iudicant melancholici, nec recte interrogant, nec interrogati recte reſpondent, ſed de uno genere in aliud tranſeunt: inquieti prꝫterea non mente ſolum ſunt, & corpore, propter continuam nouorum oblationem. omnia enim ferè ſub diſplicentia recipiunt, & loca, & perſonas, & actiones. quare ad noua vertuntur. componunt autem, et quꝫ nō ſunt, quoniam propter celeritatem motionum, apparentiā omnem recipiūt. apparent autem multa extranea variatis ſimilitudinibus, & figuris, & rerum ordine, & coniunctis. ſuſpicioſi præterea ſunt propter timiditatem, & obliquum diſcurſum. vnde ſemper imaginantur ſibi tēdi inſidias. maxime vero circa electionem, faciendaq; & non facienda falluntur, quoniam duobus concurrentibus ad rectam electionem faciendam, altero quidem vniuerſali propoſitione, in qua conſiſtit iuſtum, honeſtum, & vtile, altero vero re oblata, fit quidem, vt aut obliuiſcantur vniuerſalis ꝓpoſitionis, aut, etſi nō ſint obliti, non tamen pareant, ſenſu, & corrupta B phantaſia aliter dictante. quare nullo habito loci, temporis, & perſonarum reſpectu inuerecundi aut in templis clamant, aut nudi incedunt, aut ſuppellectiles proijciūt, & id genus. Refert præterea plurimum, qua quiſque melancholia teneatur. hunc enim feruens et accenſa agitat, illum triſtis, & frigens occupat. quare hi triſtes, ſolitarij, timidi, ſine ſpe incedunt: illi furentes minantur, feriunt. exardet enim in ijs cor, & cerebrū: & omnia ſub ſpecie iniuriæ recipiunt.

Cur melancholici ſint inquieti.

Melancholici ſuſpicioſi ſunt.

Non vnius eſt generis melancholia.

Thelamonius Aiax

Arma rapit, ſuperoſq; furens in prꝫlia poſcit.
Iamq; hominum hos nunc inſequitur, nunc percutit illos.
At tacitus mœrenſq; hominum conſortia vitans
Bellerophon ſolos errat male ſanus in agros:
Bellerophon, quem Martis honos, quem gloria currūm
Per deſerta fugit, nec amor comitatur equorum.

Quas ob cauſas & non nulli ſibi ſæpe mortem conſciuere tædio vitæ affecti, alij propter furorem, alij propter triſtitiā & timorem omnia deſperantes. eſt autem miſera atque infœlix omnibus vita, quoniam in primis dormire non poſſunt propter ſiccitatem humoris eius, à quo & cerebrū exiccatur, & nerui, & membranæ ita, vt ne leteſcere poſſint, & laxari, quꝫ

Quas ob cās melancholici tædio vitæ ſępenumero affecti mortem ſibi cō ſciuerint.

quæ neceſſaria ſunt in ſomno.adde,quòd & propter timorem continuū aut furorem ſemper præſentem corā anima habent certā ſpeciem,in quā vel inuiti ſemper intenti ſunt,nec obliuiſci poſſunt.vnde,etſi cupiat dormire anima,non tamen poteſt.atque ita exiccatio continenter maior,& maior fit.ergo die noctuq; ea perpetua moleſtia,& miſeria affecti vitam odere:qua tandem cariturі ſeſe aut præcipitant,aut interficiūt, aut aliud quid tale committunt. Sed illud dignum inquiſitione videtur, quo pacto fiat,vt ſenſu aliter etiam dictante adeo aperte falſa recipiant:vt habere cornua,naſum vitreum,eſſe mortuos,eſſe aues,& ſimilia. Horum igitur in vniuerſum tres cauſæ ſunt,vna eſt obliquus diſcurſus,alia eſt corporis diſpoſitio,tertia eſt occaſio aliqua ita imaginandi. voco autem occaſionem,ſibilare aures,pondus aliquod percipere,obtuſe videre, & vniuerſaliter apparentias ſenſuum. Diſpoſitionem vero corporis voco irā, timorem,triſtitiam,deſperationem, & eiuſmodi affectus. ergo ſæpe ex occaſione aliqua vel leui accidit ijs apparentia aliqua,quam corporis diſpoſitio adauget,ratio vero obliqua aut non diſſuadet, aut magis cōfirmat.quare apparētia illa recipitur vti vera. vera enim diximus ea videri, quibus nec ſenſus,nec ratio contrarium offert.percepto igitur,verbi gratia,pondere aliquo ſupra caput,quæret melācholicus,quidnam ſit.ſi igitur forte ſomniauit ſe habere cornua,aut obliqua ratio ita perſuaſerit, tū pertinaciter cenſebit ſe habere cornua:& ſibilantibus auribus cōceptum faciet de tibicinibus in ſcena,& ita credet:adeo refert non conſtare mentem.maxime autem in omnibus diſpoſitio corporis facit, vt diximus de timore. qualis autem in vnoquoq; ſit & diſpoſitio,& occaſio,et obliquitas rationis,& quomodo apparentias recipiat,quę ita videri faciant,ſigillatim quidem impoſsibile eſt ſcire,& parum prudentis inquirere. atque hoc pacto de melancholia,quomodo deceptiones,& inſaniam faciat,ſatis pro tempore dictum ſit.

Melancholici ſenſu ēt aliter dictāte cur adeo falſa recipiant: vt ſe habere cornua, vitreū naſum, eſſe mortuos,aues,& ſiſia.

De eadem vero,quomodo & ſapientes,& excellentes viros facere cōſueuerit,nunc eſt perquirendum. Conſtat enim,quotquot ſummos fuiſſe viros accepimus ſiue in artibus, ſiue diſciplinis, ſiue circa imperatoriam,ſiue circa Reip.adminiſtrationem,omnes ferè melācholicos etiam fuiſſe:non quidem eo morbo affectos,ſed humore illo præditos. indicāt hoc & pueri,& nationes.puerorum enim quicunque hac natura tenentur,omnes maxime vegetam mentem habent. è nationibus maxime tales ſunt Græci,& Itali,& Hiſpani.atque hi quidem & ſciētijs,& artibus, & imperatoria,& reipublicæ adminiſtratione reliquis præſtitiſſe magna ex parte videntur.cur autem ita eueniat,conſiderandum. Quoniam igitur ad hęc bene obeūda perſpicaces in primis oportet eos eſſe,qui ad hęc ſint

Melancholia qūo ſæpenumero ſapientes & excellentes viros reddere ſoleat.

Excellētes viros,& ingenio pſpicaces, ad ſcientias,

C

D

A ſint nati,at vero & robore quodam corporearum uirtutum pollere, ne
in obeundis muneribus diſſoluantur,& deficiant, mànifeſtum . quòd ſi
perſpicaces ingenio eſſe debent,operationes illas intellectus obire poſſe
excellenter neceſſe eſt.dico autem & ſimplicia primum, ac ſenſibilia re-
cte apprehendere,& ſeruare:tum & in ſubnotionibus prompte atque or
dinate ſe habere,coniuncta perpendere,& diſtinguere: deinde & recte
componere nõ publica ſolum,ſed & abdita magis: imaginariq; optime,
& iudicare:tum vero & abſtrahere,& vniuerſalia facere, & memorari :
ad hæcautem & probe,& ſubtiliter ratiocinari,& diſtinguere, quid ve-
rum,quid falſum,quid probabile,quid neceſſarium,quid per ſe : tum &
altiſsimas cauſas poſſe perquirere,& obſeruare.ad hæc vero recte,& ma-
gnifice obeunda & organũ in primis,vbi ſedes eſt intellectus,bene diſpo
ſitum eſſe oportet,& particulam ipſam,quæ intelligit,nec non , & me-
dium ipſum,per quod ferũtur ſpecies,& in quo ſunt.organum igitur erit
amplum,& bene capax,& potens.paruum enim,& anguſtum conden-
ſos ſpiritus habet,& inquietos.particula vero,quæ intelligit,calorem ha
bebit multum,ſed naturalem,non extraneum:tum & ſyncera erit,bene
purgata,tenuis,non pinguis & oppleta.ſpiritus vero,qui medium dicun
tur,multos eſſe oportet,ſed naturales,non turbidos,non agitatos.præter
hæc autem requiritur et applicatio naturaliter prompta,et intentá, non
B diſtracta.atque hæc ferè ſunt,quæ habere illum oportet,qui à natura per
ſpicax ingenio eſſe debet.nam,quæ à fortuna dãtur,vt educationes,præ-
ceptores,& alia cõmoda, communia eſſe poſſunt.Hæc autem omnia , ſi
recte conſideremus,natura melancholiæ maxime præſtare poteſt . nam,
quibus vocati phlegmatis abundat plurimum,ijs friget mens, ac torpet:
medium ipſum inquinatum eſt, particula vero cognoſcitiua pinguis .
quare & pinguis eſt illis(vt dicitur)Minerua.Qui vero calidi ſunt & hu
midi,vt,quibus abundat ſanguis,hi quidem ad ſocietates,& vitæ trãquil
litatem valde idonei ſunt,et amabiles,et grati:neq; certe hebetes, vt præ
dicti,verum ad ingenij excellẽtias non magnopere apti ſunt. partim er-
go diſtrahuntur à ſenſibus,ad quorum voluptates ſunt nati, et propenſi:
partim ſtudij , et eius perſiſtentię, quæ ad cogitationes requiritur , pa-
tientes non ſunt:fortaſſe autem & ijs cerebrum ſubpingue eſt,ꝓpter hu-
miditatem.Qui vero cholerici dicuntur,calidi quidem et ſicci , ipſi qui-
dem propter ſiccitatem aptiores ingenio ſunt , ſed & hi plurimum ſunt
impatientes contemplationum : quippe qui celeres motibus ſunt, et ad
multa ſtatim feruntur,multorum ardeliones.quapropter et horum inge
nia fallacia ſępiſsime ſunt.adde,quòd et facile reſolubiles ſunt virtutibus
corporis propter ſubtilitatem ſanguinis,et ſpirituum. at vero melancho

entias,& ad honores idoneos qualis diſpõnis eſſe oporteat.

Particula,q̃ intelligit,q̃lis eſſe debeat.

Rudes homines cui' diſpoſitiõis ſint.

Affabiles viri cuius ſint diſpõnis.

Cholerici pollẽt ingenio,ſed contẽplationũ impatiẽtes.

lici prædicta omnia melius præſtare poſſunt, non autem omnes.non.n. C
eadem eſt in omnibus menſura,et conditio melancholiæ, neq; vno etiã
modo melancholicos dicimus.quandoq; enim melancholicos appella-
mus,quibus membra ipſa talia ſunt,hoc eſt frigida,et ſicca. quandoq; ve
ro,quibus ſanguis multus eſt,craſſus autem et ſiccus.qui igitur membris
melancholici ſunt,ij ad nihil pene vtiles ſunt,neque ad ea,quæ ſunt cor
poris,neque,quæ ſunt ingenij munia:ſed timidi,et ſegnes, et ingenio du
ri.qui vero abundantia craſsioris ſanguinis melancholici dicuntur, hi et
ad animi,et corporis excellentias ſunt nati. ſed neque hi etiam omnes,
quoniam non omnibus ineſt ea natura melancholiæ,quæ ſolet excellen
tes facere.ſiquidem humor hic et calidiſsimus,et frigidiſsimus poteſt ac
cidere:poteſt et temperatior.refert etiam non parum,multus'ne, an par-
uus acceſſerit,et magis,et minus craſſus. Quibus igitur plurimus ille ac-
ceſsit,ſi et craſſus etiam fuerit,atque ardens,et accenſus, hi furentes eua-
dunt:triſtes vero,ſolitarij,formidoloſi,ſegnes,amenteſq;, quibus pluri-
mus,et fęculentus,et frigens aduênit.at,quos temperatior in omnibus ha
bet melancholia,hi et ad animi excellentias et corporis bene nati ſunt.
in primis enim multum caloris habent,et ſpiritus,quoniam ſpirituoſiſsi
ma eſt,(vt diximus)melancholia:tum vero et fortes ſunt, et conſtantes,
et non reſolubiles propter denſitatem.at vero organum habere amplum
intellectus poſſunt,quoniã calor eſt ipſis multus.multus autem calor am D
plum ſibi locum facit.porrò particula ipſa cognoſcitiua, ac medium ip-
ſum purgata ſunt,non pinguia, nõ lutulẽta,quoniam ſiccitas lentorem
tollit.multus item calor bene concoquit,et ſuperflua expellit. quare om
nia bene purgata ſunt.multus item potens etiam eſt.vnde omnem eua-
porationem regit,nec quicquam ſinit tumultuarie agi.vnde cõſtant om
nia,vt par eſt.applicatio quoque animæ tum ad multa eſſe poteſt, tum et
valde intenta,quoniam potens eſt obire,et in ijs,quę conſequi poſſumus,
delectari etiam ſolemus.ad hæc et perdurare poſſunt iſti, quoniam ro-
bur in materia denſiore eſt. ſegnes porrò non ſunt propter caliditatem.
neque à ſenſibus diſtrahuntur,aut longe minus,quàm ſanguinei, quo-
niam ad ſenſuum oblectamenta minus diſpoſiti ſunt, magis autem ad
intellectum.accedit quoque,quòd et corporis viribus etiam pollent,tum
et animi magnitudine quadam.vnde et magnorum gloria accenſi ma-
gna etiam audent,quòd ſe poſſe obire cognoſcunt.quæ omnia vbi in ali
quo cõiuncta fuerint,quis dubitet,ſiue ille artes calluerit,ſiue diſciplinas:
ſiue imperatoriam geſſerit,aut Remp.adminiſtrauerit,longe alijs præſtã
tiorem fore?

Melancholia varie affecti ad diuerſa ſunt inclinati.

Temperata melãcholia valet plurimum ad vires corpis, & ingenii.

Habent autem,quæ dicta ſunt,dubitationem quandã propter ea,quæ

Ariſtoteles

A Aristoteles reliquit in ijs, quæ de animalibus. sanguinem enim dicit aliũ subtilem esse, alium crassum: vtrunque autem aut calidum, aut frigidũ. ad vires igitur corporis valere sanguinem crassum, et calidum, ad ingenium autem subtilem: è subtili vero, qui etiam calidus est, tum ingenio, tum et corporis viribus conducere. quæ ijs videntur aduersari, quæ dicta sunt, crassus enim, et non subtilis videtur melancholicorum sanguis. ad quod dicendum (vt arbitror) comparare illic Aristotelem animalia inter se, non homines inter animalia. siquidem homo proprie sanguinem subtilem habet et calidum. quare et ingenio, et viribus corporis valet. aliorum vero quædam crassum habent, et calidum: vt tauri, qui'ue corporis uiribus pollent, alia subtilem, et frigidum. Inter homines vero eadem ratio nõ est, vt, quibus sanguis subtilis est, et calidus, ingenio, et uiribus præstent. possunt quidem præstare ingenio, uiribus autem non. Melancholici vero, qui temperatam habent melancholiam, ad vtrunque sunt nati.

Sanguis calid⁹ & crassus ad corporis vires, subtilis vero ad vires ĩgenii quõ valere dicatur.

Vtrum autem et Sibyllas, et Prophetas hæc eadem melancholia efficere posit, ut multi dixere, fortasse quæsiueritis et vos. qua in re eadẽ mihi dicenda videntur, quæ supra de diuinationibus somniorum diximus. naturaliter enim, et per ea, quæ sunt in nobis, neque melancholia, neque vlla dispositio alia facere põt, vt per nos futura, et longe sita diuinemus, nisi casu fortasse, et fortuna quadam. ꝙ si diuinare quædam eiusmodi cõtingit, et non casu, necesse est separatum aliquem intellectum, aut Deũ,
B aut Angelum, aut Dęmonẽ eam diuinationem nobis immittere. quocũque autem modo contingat hominem prophetam fieri, aut casu, aut susceptione separati intellectus, aptisima mihi videtur melancholia ad id præstandum. si enim furor est quidam hæc diuinatio, apta nimirum est melancholia ad hũc furorem. Quòd si Deus, aut Angelus se admiscet nobis, rationabile est ijs maxime se miscere, qui ingenij magnitudine, et excellentia quadam actionum præstant. si vero, et Dæmon est, qui hæc operatur, in ijs operari præcipue censendum est, qui facillime et in furorem, et in omnem insaniam uerti possunt, et phanatici fieri: quales dicuntur omnes fuisse, qui uaticinari solebant, vt Pythiæ, et Sibyllæ.

Prophetam fieri humore quodam melancholico non inconuenit.

De tota igitur intellectione, quid sit, et per quæ fiat, et quomodo: & quot sint, et quæ intellectus omnes operationes, et à quibus potẽtijs fiãt: amplius et de figmentis, et deceptionibus, et somnijs, et postremo de melancholia hactenus dictum est pro tempore satis. reliquum est determire, qua cerebri parte singula hæc fiant: et vtrum omnia in vna parte, an hæc quidem in una, illa in alia: et quomodo distinguantur potentię, quę istæc faciunt, utrum ratione tantum, an et locis: et quæ particula in animali ijs potẽtijs donata sit, vtrum spiritus, an neruι, et membranæ, an cerebri

In qua nam parte corporis, ſeu cerebri fiant tũ intelligẽdi, tũ ſentiẽdi actus: & an aĩa ipſa ſemper ĩtelligat, an aliqñ ceſſet ab ĩtelligẽdo.

rebri ipſius ſubſtãtia. hæc enim è toto negocio ſupereſſe videntur. C

Supponendum autem, quod in diſſectionibus corporum animalium apparet, tres in cerebro eſſe ſinus, quos alij ventriculos, alij cellulas vocãt: primum, medium, & poſtremum. item & adiacentes his ventriculis partes, coriformem progreſſum, conoidem, glutia, & vermiformem proceſſum. primum autem, & medium ventriculum membranis velatos eſſe, poſtremum autem non, ſed duritia ſua conſtare. conſentaneum igitur eſt circa hos ventriculos, vel in ipſis, vel adiacentibus partibus fieri omnẽ intellectionem. cum uero & in hiſce locis ſit cerebrũ ipſum, tum & nerui, & membranæ, nec non & vocati ſpiritus, dubium in primis eſt, quod nam horum donatum ſit intelligendi functione: vtrum ſubſtantia cerebri, an uel membranæ, quæ ipſum velant, an nerui, qui ad ipſum terminãtur, an ſpiritus, an adiacentium partium aliqua. ſi igitur, quod cognoſcit, animal ipſum eſt, aut animatum, oportet quidem & particulam, quæ primo & per ſe cognoſcit, animatam ipſam eſſe. at ſpiritus animati quidem non ſunt, quia nec aluntur, nec ſentiunt, ſed magis inſtrumenta ſunt animę. porrò cerebrum, quanquam alatur, non ſentit tamẽ per ſe. quare nec per ſe intelligere poſſe videtur. Videtur igitur nerui natura talis eſſe potiſsimum, cui è toto animali donata à Deo maximo ſit facultas tum ſentiendi, tum & intelligendi. eadem autem natura eſt nerui, & membranæ. quare particula primo cognoſcens, & intelligens erit aut membranę, D quæ ventriculos velant, aut aliæ adiacentes partes, aut nerui, qui ad cerebri ſinus pertingunt. at certe nerui hi, qui pertingunt ad ſinus cerebri, facti magis videntur ad deferendas ſpecies à ſenſibus veniẽtes, quàm ad cognoſcendum. neque enim conuenit, vt, quæ ſpeciem defert pars, eadem etiam primo intelligat. quare maxime conuenire membranis hæc facultas intelligendi videtur, membranis autem maxime illis, quæ vocatos vẽtriculos veſtiunt, quoniam in medio earũ ſinus illi pleni ſpiritibus ſunt; in quibus, & per quos ſpecies mouent, & ſedem habent. ad illas igitur reflecti ſpecies, & cognitionem cauſare, non ad partes alias cenſendum eſt.

Oportet particulã, q̃ cognoſcit, aĩatã eſſe.

Aliã eẽ partẽ, q̃ ſpẽs defert, ab ea, quę intelligit.

Neruis ipſis data eſt virtus, & facultas tum ſentiẽdi, tũ intelligẽdi, ſecundũ tñ exigẽtiã obiecti.

Naturæ igitur nerui data eſt facultas omnis tum ſentiẽdi, tum etiam intelligendi, verum non vnum organum datum fuit, ſed diuerſum. ad lucem ſiquidem, & colores percipiendos neceſſaria fuit oculorum forma, quæ ſpeciem temperaret, & particulam cognoſcitiuam muniret. mox per tenuem illam membranã, quæ vocatã cryſtalloydem tegit, ſenſationem colorũ aĩa executa eſt: ſoni vero per aures ea pellicula, quę in fine illarum ſubeſt: odoris vero per nares ea membrana, quæ uocatam carunculam tegit: ſaporis autem ea, quæ per linguam diſſeminatur: aliarũ uero qualitatum neruo omni. ſimiliter autem & interioris animæ facultates

Quod nam ſit ĩſtrm viſus, & reliquorũ ſenſuum.

A tes membranis datæ ſunt,illis quidē,quæ plenos ſpiritibus,& ſpeciebus
circumtegunt ſinus.qua autem in parte ſenſus communis fiat:qua phan-
taſia:qua intellectus,qui & ideas facit,& ratiocinatur : & qua reſeruatio
ſpecierum,nunc eſt quærendum.Videretur autem fortaſſe alicui opera-
tiones facultatum dictarum omnes vna in parte debere fieri,vbi.ſ.intelle
ctus fit: ea cauſa,quòd poſteriores potentiæ ſemper priores includunt,&
continent.Si igitur intellectus omnia poteſt,quæ phantaſia, & commu-
nis ſenſus,non videtur neceſſarium earum operationes alio in loco fieri,
quàm vbi intellectus,prius tamen natura vna,quàm alia. at vero ita fieri
has operationes oportet exiſtimare,vt quodammodo ſit vnus locus om-
nium,quodammodo non vnus.Vnus quidem,quia continuus eſt locus,
vbi principium earum fit,& medium,& finis.Vnus autem non eſt, quia
alibi fit principium,alibi mediū,alibi finis.quippe eius operationis, quæ
eſt ſenſus communis,initium eſt,vbi A:quæ illic non finit,ſed vltra pro-
greditur ad B medium,vbi phātaſia eſt,ac finit ad C,vbi intellectus. vna
igitur eſt actio,& continua,& locus vnus,& cōtinuus,diuiſa tamen per
principiū,medium,& finem.vbi autem principium fit,ſimplex eſt actio,
& vna tantum:at vbi medium eſt,quodammodo duæ ſunt,aut vna prio
rem etiam continens: vbi vero finis, tres quodammodo ſunt, aut vna
priores duas includens. ſuperfluæ autem non ſunt prima, & ſecun-
B da actio, nec loca earum ſuperflua. ita enim inſtituiſſe natura vide-
tur, vt, quæcunque facultates in alijs inueniuntur animalibus,omnes
in homine reperiantur. nam, quoniam animalium quædam ſolum ta-
ctū habent,voluit natura,vt & in homine aliquæ eſſent,quę ſolo tactu eſ
ſent præditæ.quia vero & ultra tactū alia aīalia habebant alios ſenſus, vel
plures,vel omnes,factum eſt,vt in homine ſimiliter inueniātur. Ad hæc
autem,quantum ad interiores potentias ſpectat, quia quædam animalia
tantum ſenſum communem habent,alia & vltra hoc etiam phātaſiam,
ita fuit & in homine,vt pars aliqua tantum cōmunem ſenſum haberet,
aliqua præter hoc & phantaſiam. peculiare vero fuit homini ſoli intelle-
ctu vigere.fecit ergo intellectum,qui & ea noſſet,quæ & phātaſia,& ea,
quæ communis ſenſus.atque ita ſemper natura ab imperfectioribus ad ꝑ
fectiora,& demum ad perfectiſsima procedit.quare potentiæ hæ non ſo
lum ratione,ſed & locis differunt per ſe.vtrum autem eodem momento
fiant omnia,hoc eſt,cum actu fit communis ſenſus,tum ſimul & phanta
ſia,& intellectus actu fiant,ſiquis quærat,dicendum nihil prohibere om
nia momento eodem,ſimul actu fieri,quoniam ſpecies momento ſeſe ꝓ
pagant.quare,cum in ſenſu cognitio ſit,tum in alijs ſimul fit.ſi uero quæ
ratis,qua parte fiat communis ſenſus per ſe,qua phantaſia,& qua intelle-
ctus,

Senſus cōis in qua corporis parte fiat.

B
A——C

Facultates oēs in aliis aīalibus repertę,hominibus ēt datæ ſunt, & quomodo.

In prĩo ventriculo cerebri fit ſenſus cōis.

ctus, consentaneum esse dicimus in primo ventriculo communem sensum fieri: vt & omnes ferè existimant ea ratione, quòd inde nerui illi procedunt, qui visui seruiunt nobilissimo, & præcipuo sensui. tum vero & illuc multi alij relationem habent. vnde illic videtur esse initium cognitionũ. De phãtasia vero, & intellectu dubium esse potest, qua in parte fiat. videtur tamen phantasia non longe à communi sensu fieri, ceu coniuncta potentia. quare aut in fine primi ventriculi sedem habet phãtasia, aut in initio secundi. omnino enim versari videtur circa priorem cerebri partem. cuius signum est, quòd, qui prompte, & fortiter imaginãtur, hi sunt, qui partem eam cerebri anteriorem calidam habent. item, & siquandó bene volumus imaginari, natura ita docente videmur frontem contrahere, & partem illam acuere. porrò læsa ea parte videmus & imaginationem lædi. Qua vero in parte cõsistat ipse intellectus, dubitationem maiorem habet. videretur enim fortasse alicui, oportere illum in posteriori vẽtriculo fieri, quoniam intellectus omnes continet operationes, & exequitur. quare illic maxime locari, vbi omnia maximé vnum fiunt. talis autẽ est coni figura, in qua omnia maxime vniuntur. constat autem figurã postremi sinus in conum terminari, sicut igitur et oculus, et auris ea de causa ex amplo in acutum finiunt, vt melius sentiãt, ita & intellectum videtur esse constitutum à natura. at vero in medio magis ventriculo locatũ fuisse ex his possumus existimare, primum eo quidem signo, quòd læsa ea parte, quæ medium respicit capitis, vbi bregma vocatum, est, constat rationem deficere: postrema vero læsa non rationem, sed memoriã. amplius, si cognitio omnis ad membranam fit (vt supra diximus) manifestũ est in postremo sinu non fieri intellectionem, in quo membrana nõ est, sed duritia sua constat. præterea, ubi reseruatio specierum futura est, illic non conuenienter statui debet intellectio. hæc enim motu fit, illa quiete. in postremo autem fieri reseruationem specierum manifestũ est ex multis. primum, quia læsa ea parte videmus memoriam lædi: tum & posita illic medicamina quædam memoriam augent. at uero & duritia illa postremi sinus non ob aliud facta videtur, nisi ut tenacius conseruentur species. similiter & figura coni data, ut magis uniantur species, & fortius reflectantur ad medium sinum. ac demum, cum volumus memorari, natura nos docente scalpimus posteriorem partem. quæ omnia manifeste mõstrant non intellectum, sed reseruationem specierum in postremo ventriculo fieri. Existimandum igitur est intellectum in medio sinu fieri. qđ iure à natura institutum videtur. primũ, quod principalis potentia maxime collocari debebat, vbi maxime tuta foret. talis autem locus medij sinus. aptissimus præterea est locus ille, & maxime commodus tam ad eas

species,

Phãtasiæ actus in qua cerebri parte fiat.

Imaginari volẽtes frõtem cur cõtrahant.

Intelligẽdi actus i qua parte fiat.

Memorari volẽtes cur scalpam° posteriorẽ cerebri partem.

Intellectus fit in medio sinu.

A ſpecies,quæ in primo ſunt ſinu,quàm ad eas,quę in poſtremo.adde,quòd ad eum locum nerui penè omnes attinentiam habẽt:quod à natura prudentiſsime factum eſt,vt inde officia demandentur, & imperentur,vbi rex eſt.eſt autem intellectus,ceu rex,in humano corpore.Nõ dubium poſtremo ſignum eſt illic intellectionem,& rationem exerceri,quòd videmus læſa parte media capitis rationem offendi ſtatim. Quæſiueritis autem fortaſſe,vtrum,quẽadmodum ſinus poſtremus reſeruat ſpecies, ita & alij etiam reſeruent,an non.ad quod dicimus cõſentaneum eſſe reſeruare & ipſos,ſed recentes magis,& excellentes: in ijs autem ſemper ſpecies eſſe,maxime in medio,nõ quòd reſeruẽt ipſi per ſe, ſed magis, quòd ad illos reflectantur ſpecies cognitionem facturæ.Illud poſtremo videretur quærendum nobis,vtrum ſemper intelligat anima,an & ceſſet quandoque:vt videtur in ijs,qui profunde dormiũt, & in apoplexijs fortibus: quinimmo ſunt,qui putent ceſſare quandoque animam ab omni intellectione,non in his ſolum,ſed etiam ex fatigatione multa. eſſe enim in cõfinio medij ſinus vermiformes adiectiones vocatas, quæ ſe ſe & contrahere ſolent,& protendere:quoties autem contrahuntur ipſæ laxari, apeririq; ſinum vltimũ,ac tum reflecti ſpecies ad mediũ, & fieri intellectionem: quoties vero protenduntur,conſtringi concludiq; ſinum illum poſtremum,viamq; ſpeciebus claudi, & intellectionem ceſſare. Sed de his B certi nihil dici poteſt. nam vermiformes illæ carunculæ poſſunt quidem factæ eſſe,vt conſtringentes ſeſe laxent ſinum poſtremum, quo eluceſcant magis ſpecies,& meliorem intellectionem faciant, non tamen, vt producentes ſeſe,claudant viam illam, & intellectionem tollant.hoc enim incertum eſt.ſimiliter & incertum, vtrum profunde dormientes, & apoplectici nihil omnino intelligant,ob id,quòd dicere non poſſunt, quid fiat,quoniam non recordantur.

Nũ aĩa ſem per intelligat,an qñq; ceſſet ab opere intelligendi.

Verum enimuero ò amici,nolim equidem propter ea,quæ dicta ſunt, quenquam male affectum fuiſſe erga animam, & intellectum noſtrum, vt male forte ſibi perſuadeat de ipſo: quandoquidem nos de intellectu agentes ita illum commiſcuimus corpori,vt non aliud habere eſſe videatur,quàm,quod & phantaſia habet,& cõmunis ſenſus.quippe male ſentire de ipſo propter hanc cauſam haud certe æquum eſt,quoniã nos eas intellectus operationes impræſentiarum ſumus proſecuti, quas exercet in compoſito corpore, toti communes. vtrum autem præter prædictas propriam ipſe operationem habeat,& quæ ſit, noſtra quidem exiſtimauimus non intereſſe nunc quærere.Operæprecium tamen arbitror, ſi & hoc quandoque inquiratur à nobis:verum non hodie,nec à me, qui ſat

oneris sustinui hactenus,sed negocium hoc pertinere ad hunc Fracastorium censeo,aut die crastina,aut in Caphijs suis. hactenus enim auditor tantum fuit,æquum autem videtur,ut & ipse quandoq; loquatur. C

De diuersis hoīum genijs, studijs & īclinatiōnib⁹, qbus capiūtur, & delectātur.

Quæ cum dixisset,oēs in me conuersi ore uno quasi lata sententia eū esse me declarauere,ad quem negocium hoc de anima,& intellectu spectaret:ageretur autem in Caphijs meis.quibus ego quum multa in mei excusationem adduxissem de tanta re, à nullo tamen auditus dixi me in Caphijs consulturum Genium meum,qui mecum illic esse solet:&,nisi ipse retraheret,negocium prosecuturum me fore.quibus dictis in solem cōuersus Turrius,qui iam inclinare videbatur,satis,inquit, ò magni amici hodiernę diei factum arbitror,& prouinciam de intellectione,quæ mihi demandata fuerat,satis pro tempore expeditam esse, & opus omne nostrum peractum,si unum prædictis addiderimus,quod superesse uidetur.est autem hoc,vt Bardulonis problemati satisfaciamus, vnde primo enata sermonum tantorum occasio fuit.quapropter,si placet,iam & poetæ,& philosophi naturam constituamus,ut uideamus,quo pacto contigerit,ut locus unus alium poetam,alium philosophum effecisse potuerit.obiter autem,& aliorum quorundam naturas & Genios referemus: & cur alij mathematici,alii oratores,alii musici,alii pictores, & sculptores,alii scurrę euadāt,& id genus.Ergo, sicuti inter animalia omnia,quę membris,& figuris,& qualitatibus diuersa sunt, diuersa quoque & illa sunt,quæ unumquodque potest,& ad quæ est natum, ita & inter homines, quòd & ipsi inter se diuersi figuris, formis, qualitatibus sint, diuersa quoq; & ea sint,ad quę unusquisq; est natus,& pręstat.q̃ inclinationes naturales dicunt.unde alij natura philosophi sunt,alij poetæ,alij mathematici,alij oratores,alij musici,& sic de alijs. quo uero sigillatim naturæ istorum cōsistant,difficile quidem est exacte dicere,& nosse.si tñ in uniuersum quædam dicātur,non ab re fore arbitror. ergo philosophi natura sunt,qui apte possunt & uniuersalia facere,& obseruare, non publica tantum,sed & abdita quoque:atque in ijs maxime gaudēt. qua de causa & admirabundi maxime sunt.admirari enim solemus ualde noua, & magna.in abditis autem semper magnitudo quædam est, maior autem in ijs,quæ nobilia per se sunt. vnde,& ijs quum potissimum gaudeāt,causas etiam illorum solent inquirere,qui philosophi sunt.atque in hoc præcipue natura philosophi est,quòd abditorum causas maxime amat ꝑquirere.propter quod & natura cogitabundi sunt,& taciturni,in quibus nō nihil potest melancholia.ijs autem sedes illa,in qua præcipue intellectus viget,in sinu medio quā optime disposita est,& capax,& uigens. Poetæ D

Philosophi natura, & dispositio.

vero

A vero his valde proximi sunt,& non dissimili tenentur genio.nam & ipsi valde admirari solent,siquidem magnitudinibus,& pulchritudinibus rerum capi consueuere:vt Naugerius monstrauit.in magnis autem & pulchris admiratio semper quædam est.quapropter & ipsi causas rerum libẽter discunt,& in ijs delectantur.vnde & poetarum multi philosophi etiã magni fuere,sicuti & philosophorum multi simul poetę fuere.differunt autem in hoc,quòd,qui magis philosophi natura sunt quàm poetæ,ij in inquisitionibus causarum plus insistunt,& magis gaudent:qui vero magis poetæ sunt,quàm philosophi,ij pulchritudinibus rerum capti magis, amant imitari illas,& explicare,nec pati possunt quicquam pulchri, & decoris deesse rebus.propter quod,si forte desint,illa addunt ipsi,& fingunt,& quodãmodo res perfectas gignũt. vnde poetæ quasi parere gaudent,philosophi intra tenere fœtum.vnde philosophi ad sciẽdum magis nati sunt,minus ad imitandum : poetæ vero ad imitandum magis. siqui vero æqualiter ad vtrunq; sint apti,hi & philosophi simul & poetæ sunt.

Poetarũ genius, & natura nõ multum diuersa est à natura philosophi.

Inter philosophos vero alij causas,& substantias rerum quærere amant, qui proprie philosophi sunt:alij rationes quorundam accidentium quærẽtes in ijs maximæ versantur,quales sunt numeri,& figuræ,& in vniuersum quantitates.atque hi imaginatione plurimum pollent, & ea parte, quæ in interiori cerebro est.quare & calidam illam habent,& capacem,

Mathematici cuius sint dispõnis.

B & bene conseruatiuam.vnde & optime imaginantur, vt sese res habent in totis suis, & inter se.diximus autem vnumquenq; in ijs gaudere, quæ apte potest obire.quare hi maxime gaudent ea cognitione,quæ in imaginatione consistit,ac mathematici appellantur. Musici vero sunt, qui ea pollẽt imaginatione,quæ circa sonos versatur, quemadmodum mathematici ea,quæ circa quantitates.vnde,& quia pollent imaginatione sonorum,iccirco etiam gaudent plurimum sonis.habent autem purgatissimas aures,& vocis instrumenta idonea.

Musici quales nam viri sint.

At oratores natura sunt,qui sermone plurimum valent.dico autem sermonem,non,qua vox est, & sonus,sed qua in alios potest per significationes rerum. habent autem hãc facultatem,quibus & memoria est dicendorũ tenax, & instrumenta illi memoriæ seruientia commoda:amplius & copia verborum,& delectus, & gloria quædam popularis. Scurræ autem & faceti in eo conueniunt, quòd vtrique argutijs gaudent,& obseruant similitudines rerum,& adducunt:è quibus maxime illæ delectant,quæ aptæ,& concinnę sunt.vtrique igitur finis est delectare,& risum mouere per arguta, sed hoc itereſt, quòd scurræ ex vilibus,& inverecũdis id assequuntur tum gestibus,tum dictis,Faceti vero ex decoris.videte,quàm diuersæ sunt hominum inclinationes,

Scurrę,& faceti qui dicantur.

EEE ij

nationes,& quàm varia sunt ea,quibus capimur,& delectamur, quæ pe C
nè infinita sunt. Vt ergo ad tuum ꝓblema Bardulo reuertamur, ego quidem,cum hęc in loca primum venissem,quòd philosophus quodammodo vel à natura, vel ab educatione talis factus à philosopho patre & fratre,quasi natus in gremio philosophiæ, simulac & vastos hosce montes miratus fuissem,& quàm varia hæc terra esset,quam habitamus, cępi statim ab ea admiratione perquirere,quæ causæ has tantas terrarum moles istuc sustulissent.cumq; uidissem quandoque istic mare ipsum fuisse, & primum montes hosce aggerasse,rursus in alias admirationes,& alias inquisitiones incurri.quarum illa prima,& maxima fuit, quo pacto recessisset istinc mare, tum & ex hac rursus in alia correptus tandem in eam taciturnitatem incidi,ex qua tu primum excitasti me. Naugerius autem, quòd poeta is est,quem noscimus,paucis quidem,aut nullis ex antiquioribus cedens,ubi has solitudines inspexit, vbi tantum silentium, vbi nemora,& luci, loca Dijs syluestribus habitata, tum oriētem solem omnia collustrantem uidisset, tum mugitus quosdam resonos boum audisset, recordatus & pastorum Arcadiæ,in quandam & ipse admirationem incidit,sed dulciorem,& quæ contineri non potuit.primū cœpit paulisper occinere: mox excitato genio poetarum ex pugillari Maronis in eum furorem incidit, qui sæpe solet poetas vexare. Sed nos iam multum fuimus euagati:& multa diximus de intellectione, & ijs, quæ animos nostros impellunt. tempus est diem claudere.& Dij rogandi, vt partem hanc, quę intelligit,si non optimam, at saltem incolumem præstent. D



HIERONYMI FRACASTORII

FRACASTORIVS, SIVE DE ANIMA, DIALOGVS.

AD IOANNEM BAPTISTAM RHAMNVSIVM.

De aiæ humanę quidditate, immortalitate, ac excellentia super oïa à primo opifice Deo creata.



ERACTIS de intellectione sermonibus è Baldo discesimus, ac sub vesperam in Caphios nostros peruenimus, qui mons non procul ab radicibus Baldi inter Athesim, & Benacum iacet. Illum autē Naugerius dulci quadam memoria salutauit, quòd Caphios in Arcadia recordaretur à Theophrasto similiter appellatos fuisse. Ergo illic transacta nocte, serenissima dies cum illuxisset, placuit vicinum in castanetum secedere, vnde prospectus placidissimus in subiacentem Benacum late patebat. Hic ergo, vbi & lacum ipsum, & beatam Catulli peninsulam salutauimus, sub alta castanea consedimus. At Naugerius in me conuersus, Num, inquit, Fracastori consului
B sti genium tuum, quid te ille iubet facere ex ijs, quæ in Baldi recessibus ꝓmisisti? Cui ego, consului equidem, sed ille neque retrahere, neque multum impellere me videtur. Prosequar tamen demandatum mihi negocium de anima, vt morem vobis, vt par est, geram. sed ipse optarim, si ita & vobis videtur, vt Lyricen noster non ad recreandum fessos, vt superioribus diebus est factum, sed ad incitandum segnes præcineret aliquid. De anima enim nostra cum simus habituri sermonem, in quam videtur musica latentem, nescio, quam, vim & consensum habere, apte quidem fiet, si aliquantisper nunc excitetur in nobis. Igitur, puero cum significasset Naugerius, vt caneret, ille accepta temperataq; suauiter cythara, vocem in istæc soluit.

Ne timeas Troiane puer, quòd in ardua tantum
Tolleris à terra: quòd rostro, atque vnguibus vncis
Te complexa ferox volucris per inania portat.
Audisti'ne vnquam sublimis nomen Olympi?
Audisti'ne Iouis, tonitru qui fulmina torquet,
Qui pluit in terras, cui templa arasq; dicatis
Vos homines, taurosq; tua mactatis in Ida,
Quiq; etiam vestri est, si nescis, sanguinis author?

Ille

Ille ego sum.non te hæc volucris,sed Iuppiter est,qui
Haud præda captus,chari sed amore nepotis
In summum amplexu innocuo te portat Olympum:
Astra vbi tot spectare soles,vbi pulcher obit Sol
Ortusq; occasusq; suos,vbi candida noctes
Currit Luna nitens,auroram Lucifer anteit.
Hîc ego te in numero superûm,domibusq; Deorum,
Ver vbi perpetuum,fœlix vbi degitur ætas,
Aeterna & semper viridis florensq; iuuenta,
Consistam:æqualemq; annis pubentibus Heben
Officioq; dabo comitem,qui pocula nobis
Læta ministretis. reliquum cœlestibus unà
Astragalis choreisq; diem exercere licebit.
Pone metum dilecte Ioui,melioraq; longe
Prospiciens,charam puer obliuiscere Troiam:
Ne've Deum te iam, & Diuorum regna petentem
Vlla canum,aut Idæ nemorosæ cura sequatur.

Qui de aīa dignū aliqđ meditari voluerit, humilis, non dur⁹, tū ad diuina eleuatus sit,oportet.

Hæc cum cecinisset puer,laudatusq; à nobis fuisset,quàm bene auspicato,inquam,ò amici videor negocium hoc nostrum aggredi. Nam certe è pueri huius carmine mihi sum visus raptum illum audire, quem sæpe solet Deus optimus animorum nostrorum facere.quod faustum fœlixque auspicium sit nobis. Verum, de animo nostro cum futurus sit hodie sermo,præparandus prius ille est,vt de seipso uerba audiens bene recteq; audiat,atque ijs assentiat,quæ de dignitate illius enarrabuntur. præparatio autem hæc in primis esse talis debet, ut humilitatem quandã īduamur,ne forte persuadeamus nobis de diuinis posse iudicium exactũ facere.Deinde,vt & duritiem seueritatemq; illam vel stoicam,vel etiam Peripateticam exuamus,vt nihil velimus admittere,nisi,quod ijs rationibus assertum comprobatumq; fuerit, quas demonstratiuas cõsueuimus appellare.In omnibus enim illas expetere iniustum profecto est. Præterea,qui de humana Anima,& illius natura recte audire volet,ad eas animas, oportet,vt animaduertat,quæ cœlestes orbes agitant, & tanta moderatione conuoluunt.His si præparati hodie erimus, & ego bono animo,ita meo genio mihi persuadente,mandatam prouinciam aggrediar, & vos iucũdissime audietis, assentietisq; nobis.Verum hac in inquisitione nostra ego comitem mihi dari velim:&, si pro desiderio eligi potest, equidem Rhamundum hunc Turrium opto,ac deligo.Nam & ipse hactenus semper auditor fuit,& his in inquisitionibus vim illi non paruam esse, & ingenium quasi dæmonicũ noui. Laudauere omnes opinionẽ,

&ipse

A & ipse etiam Rhamundus à cunctis rogatus assensit.

F. De anima igitur nostra ò amici inquisituri, qualis nam sit, vtrũ ęterna, & immortalis, an non, videmur quidem non recte id posse exequi, nisi prius de ipsa quęramus, quid sit. non quidem, quòd nouam aliquam de ipsa rationẽ assignare putemus, sed magis, cum multa, et valde diuersa à patribus nostris tradita de illa sint, nunc inter nos constet, quid potissimum recipiendum sit nobis. Videntur autem, quicunq; audiunt nomen Animæ, principium quoddam vitæ intelligere in his corporibus, quæ viuere dici solent. Nam & viuere illa dicimus, cum animam habẽt, non viuere autem, cum illa carent. At vero viuere solũ illa videntur corpora, quæ organica appellantur: & illa quidem non omnia, sed solũ, quæ à natura sunt talia. Nam, quæ ab arte sunt, ut cytharæ, & domus, & alia id genus, nõ dicuntur viuere. Sunt autem organica corpora, quæ, cum è dissimilaribus constent partibus, tanto tamen & tam miro consensu, atque artificio constituta sunt pro certo fine, & operationibus obeũdis, vt uiuere illa dicamus, cum obire illas possunt operationes: quales plantæ sunt, & animalia. Simplicia uero corpora, vt elementa, tametsi operationes suas faciunt, non uiuere tamẽ dicimus. similiter nec ex mixtis illa, quę nullam habent organizationem: aut, si quam habere uidentur, casu quodam acquisitam habent, non per se, & à natura intẽtam ad certum finẽ.

De aĩę q̃ddi tate ſm philosophorũ placita.

Aĩa principiũ vitæ est in his, quæ viuere dicũtur.

B Tria autem corporum organicorum uidentur genera. primum est vniuersum ipsum, quem mundum dicimus: aliud uero cœlestes orbes: tertium plantæ, & animalia. Quòd enim mundus ipse organicum quoddã corpus existat, manifestũ est ex eius partibus, quę cum dissimilares sint, tum tanto artificio, tanto inter se consensu constant, vt nihil sit, quod maiorem admirationem præbeat, si officia earum, si famulatum, si nexum, & ordinem conspiciamus. Quare & hoc vniuersum, tanq̃ animal quoddam perfectissimum, uiuere, & anima sua regi, atque agitari maiores nostri omnes ferè dixere: ac multa quidem de mundi anima theologizantes academici tradidere. Quam rem elegantissime poeta noster notauit, cum scripsit

Tria sũt organicoꝝ genera.

Principio cœlum, ac terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, titaniaq; astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Aĩa mũdi.

Theologi uero nostri de his exactius, & diligẽtius scripserunt. quòd vero & cœlestes orbes organica quoq; sint corpora, manifestũ est, quoniã id ipsa dissimilaribus constant partibus, alijs quidem densioribus, alijs rarioribus, & magnitudine, & ordine, & situ differentibus: verum cõsensu

tanto,

tanto,tam mira virtute ad certos fines,& operationes conſtitutis, vt om- C
nia,quæ in vniuerſo ſunt,corpora inde gubernentur . Quæ uero eos orbes agitat,& regit, Anima ipſorum eſt,quam Philoſophi intelligentiam & mentem vocant.non eſt autem hæc mens,mundi anima, ſed particularis quædam natura,quæ et eſſe,& virtutem recipit à mundi anima,operatur autem ſecundum illam,quam recepit, virtutem.

Tertium vero organicorum corporum genus ſunt plantæ, & animalia,in quibus ſimiliter animæ ſuæ principium ſunt vitę. Verum,multa in his cum concurrant ad operationes eorum,dubitatio maxima ſemp fuit, quodnam ſit hoc vitæ principium.concurrunt autem ad operationes eorum,compoſitio in primis tam mira:deinde temperatura ſeu complexio delicatiſsima:tum & harmonia quædam ſiue conſenſus partium , & ipſius compoſitionis,ac complexionis:nec non & virtus quædam,& facultas,quæ ex vtriſque reſultat.porrò adſunt et uocati ſpiritus,ſeu naturalis calor,qui ubique diffuſus omnia uidetur facere.ac poſtremo eſt forma ipſa,& ſubſtantia totius corporis , à qua prima,ceu à fonte,dependent omnia alia,quæ in his corporibus ſunt. Horum igitur aliquid oportet eſſe principium illud vitæ,quod uocamus animam. At fuere non nulli,qui putarint miram illam compoſitionem & organizationem , non ſine tamen complexione,animam eſſe. Alij complexionem ipſam exiſtimarũt principalius eſſe animam,ſed non ſine compoſitione: qualis Andronicus fuit,quem Galenus commendat.Sed certe neutrum horum uidetur D

Cõplexio, & partiũ organicarum diſpõ, non aĩa,ſed animæ potius ĩſtrumenta ad eius opa obeunda , ſunt.

mihi anima eſſe poſſe,ſed animæ magis inſtrumenta , & cauſæ,ſine quibus anima non operetur.Siquidem de ratione animæ uidetur , ut in primis eſſe,quod habet corpus, ab anima recipiat ſua:ut de anima mundi , & cœleſtium orbium diximus.deinde,ut agitatio tota,& vis, quæ in corporibus viget,ab illo principio pendeat,& emanet:ac demum , ut ab eo conſeruetur corpus in eſſe ſuo,& regatur.quæ certe nec compoſitio,nec complexio habet.nam , tametſi videntur formam tempore quodammodo præcedere, vtpote diſpoſitiones, ſimpliciter tamen non præcedũt,ſed in hoc tantum,& ſemper virtute formę agũt , quicquid agunt,aut huius quæ fit,aut alterius.Porrò nec eſſe dant rebus,nec per ſe conſeruant,nec regunt:niſi quis putet qualitates eſſe formas rerum ſubſtantiales , quod dici non poteſt.Similiter nec earum harmonia & conſenſus eſſe anima poteſt.ſiquidem relatio quædam eſt harmonia , nec principium agendi per ſe eſt,niſi forte,vt cauſa,ſine qua non.virtus vero , quæ ex ijs reſultat, aut accidens quoddam eſt conſequens alia,aut idem re cum ſubiecto, in quo eſt.quare nec ipſa anima dici poteſt.Relinquitur ergo animam eſſe aut ſpiritus ipſos,ſeu calorem naturalem,aut formam,quæ ſubſtantia eſt

Ipſi ſpirit⁹ aĩa prorſus non ſunt.

corporum.

A corporum. ſed certe ſpiritus & ipſi inſtrumentum magis animæ ſunt quàm anima. primum quidem, quia, idem ſpiritus, qui in ſemine ſunt, remanent & in organico facto corpore. at in ſemine non erant anima, quoniam non viuit ſemen niſi potentia. neque ergo anima fiunt in facto corpore organico, ſed aliud quid videtur acceſsiſſe, quod anima ſit, & à quo animatum iam dicatur corpus. Præterea vel ſpiritus partes ſunt animati corporis, vel illi tantum adiacent. at partes per ſe eſſe non poſſunt, quia animati non ſunt, nec nutriuntur proprie, nec creſcunt, ſed ſolum per pabulum multiplicantur: nec item ſentiunt, nec intelligunt. quare in his nec vegetatiua conſiſtit anima, nec, quæ ſentit, & intelligit. ſi igitur partes per ſe non ſunt animati corporis, ſed adiacent ſolum, anima certe nõ erunt, ſed animæ inſtrumenta magis: cuius ſignum quoque eſt, quòd factis ſenſationibus, & imaginationibus in partibus, quæ animatæ ſunt, & ſentiunt, & imaginantur, mouentur ſtatim ipſi modo huc, modo illuc, quo expedit, & bene eſt, ceu inſtrumenta alteri famulantia. Si igitur neq; compoſitio, neq; complexio, neque harmonia, nec virtus, quæ ex his reſultat, nec ſpiritus anima ſunt, relinquitur formam ipſam, quæ eſt ſubſtãtia corporis eſſe, animam. Quapropter maxime laudandus eſt Ariſtoteles, qui animam dixit eſſe actum corporis phyſici, organici, potẽtis viuere. Verum, cum duplex ſit formę ratio, altera, per quam corpus diſtingui-

Aĩa, ſubſtãtia corporis organici ẽ.

B tur ab omni alio, altera, per quam vis quædam, & agitatio in totum emanat, & pendet, quæ propria eſt animæ ratio, Ariſtoteles quidem volens animæ naturam, & rationem explicare, entelechiam vocauit: quam alij agitationem continuam, alij actum tranſtulere. eſt enim anima propria forma corporis organici, naturalis, viuentis, ſed quatenus influit vim, & agitationem in totum. primum enim tum eſſe dat, tum cõſeruationem continuam. per ipſam deinde fiunt attractiones ſimilium, aggenerationes. & alimenta qualitates in virtute illius alterant, miſcent, collocãt, formant, figurant, ut bene eſt. contrahuntur mẽbra, diſtenduntur, ſentiũt: ſpiritus varia exercent. & tandem progreſsiones animalium, generationes ſeminum: & demum ſimilium organizationes. quæ omnia fiunt in virtute animæ & formæ per eam vim, quam à mũdi anima, & à Deo certam & nunq̃ errantem recepit.

De vnitate corporis organici, & eius formæ.

Sed habet ò amici dubitationem nõ paruam, quod diximus, animam eſſe actum, & formam organici corporis, naturalis, viuentis. Videntur enim organica hæc corpora non eſſe vnum quid, ſed ex diuerſis conſtare, ex quibus non poſsit fieri vnum per formam vnam. Nam os quidem, & caro, & neruus, & alia videntur formis diſtare: & magis conuenire os hominis cum oſſe bouis, & equi, quàm cum carne hominis & neruo. Si

igitur nō est vna forma in organico corpore,quomodo anima erit actus, C
& forma eius? Ad quam difficultatem aliqui dicunt formam esse vnam
quidem,sed vnam genere. Nam,quanquam caro,& os,& neruus forma
vltima,& specie differant,genere tamen cōueniunt è mixtione quadam
communi elementorum,per quam omnes hæ partes & nutriuntur, &
trahunt,& expellūt:sicuti equus,& bos, & homo genere quidem vnum
sunt,speciebus vero differunt. Alij dicūt in omni organico corpore sem-
per esse partem,quæ principalis est,propter quam aliæ factæ sunt, & quæ
illas regit.vt in animali neruus,& membranæ,quæ per se sentiunt,primę
& principales sunt partes,vt declarauit Turrius frater:aliæ vero,etsi non
sentiant,factæ tamen sunt propter sensitiuas,& illis ministrant, ac ab ijs
reguntur,& viuunt.quinimmo & quædam sunt partes in organicis cor-
poribus,quæ non solum non sentiunt,sed nec nutriuntur etiā, vt vngues
& dentes,seruiunt tamen,& per alias permanentiam habent. Eandē igi-
tur animam,& formam non necesse est esse in toto organico corpore,sed
satis est esse in principali parte vnam,dum illa vitam det toti. quare ani-
mæ definitionem ita esse accipiendam,vt anima sit prima, & principalis
entelechia & actus corporis organici, naturalis,per ipsam viuentis. Ve-
runtamen,nisi nos fallimur,nihil prohibere opinamur, si dicamus vnam
& eandem formam esse in organico corpore,non quidē in omnibus par
tibus,sed in præcipuis,& quæ pro vita sunt necessariæ, non quæ ad bene D
esse sunt à natura datę. Principales siquidem partes, quanquā plures sint,
sunt per continuationem vnum.omne enim continuum est vnum. Con
tinuatio vero illarum,etsi per apparentiam non videatur, est tamen per
existentiam natura mirando quodam artificio continuante partes secun
dum extrema,quibus sese contingunt. Neq;.n.neruum,aut carnē imme
diate ossi cōiungit,sed cartilagine mediāte, q̄ sensim in os transit ab vna
parte,sensim in neruum ab alia:ita & in alijs fit. quod maxime in primo
natis est videre,in quibus omnia adeo mollia,& tenera sunt,vt possint cō
tinua fieri refractis extremis,quæ sese contingunt. atq; hoc pacto de par-
te in partem continuatio fit,licet vltima & valde distantia videantur plu
rimum distare. Conueniētia igitur ossis hominis cum osse bouis, & equi
non est maior secūdum rem, & essentiam,quàm cum neruo hominis,&
carne,sed solum secundum apparentiam. Sic enim & os cadaueris magis
conuenire cum osse uiuentis videtur. Siue igitur vere continuę sunt par-
tes dissimilares in organicis corporibus,siue nō uere,sed à principalibus
ratio animæ sumenda est,ita quidem videtur existimandum esse de aīa.

De aīę immortalitate.

De qua iam quærendum,qualis sit,non quidem ea,quæ vegetat tantū,
& sentit,constat enim has ex mixtione elementorum consurgere,& cō-

ditionem

A ditionem eorum sequi,sed de illa,quæ intelligit,& sapit,quærēdum est, vtrum & ipsa eodem consurgat modo,& intereat:an aliam, & diuiniorem originem habeat,& incorruptibilis sit,atque æterna. Quoniam vero in his sermonibus,qui in Baldi recessibus habiti sunt, triplicem Turrius intellectum faciebat:vnum,qui ne intellectus dicitur,nisi potentia: alium,qui passiuus dicebatur, & singularium erat:tertiū vero,qui agens appellabatur,& erat vniuersalium factiuus,& circa illū,qui passiuus dicitur,negociabatur:& hic solus æternus ponebatur propter vniuersalia,cū quibus vnum fit, nos quidem nunc hanc æternitatem nō quærimus,nec an anima intellectiua sit hoc pacto immortalis.æternitas enim hæc sophistica quodammodo videtur mihi, & extrinsecus, ac per accidens facta. sed quærimus magis,an secundum se forma illa,quæ est anima,et primo in potentia est ad intellectionem,mox actu intelligit,& vniuersalia recipit,æterna ipsa per se sit,non per vniuersalia,quæ recipit. Atque ego quidem,quando non solum ea pietate,quam debemus erga Deum, & erga nos ipsos,ita semper fui persuasus, vt diuinus, & immortalis sit intellectus in nobis,sed ijs etiam rationibus,quas humanitus habere possumus, nunc quoque, quantum in me erit,partem hāc tueri, & comprobare conabor. Qua de causa tibi Turri,tuoq; Dæmoni libertatem omnem do, non solum interrogandi me,sed respondendi, & opponendi,quæcunq; videbuntur tibi.

Aiç imortalitas sophistica.

B RH. Generose quidem Fracastori.verum de me ita te & alios accipere velim,vt nulla in primis sim taciturus eorū,quæ ad tantæ rei inquisitionem conducant,siue interrogare,siue respōdere,siue opponere contingat.sed ea omnia ita esse accipienda volo,vt non tanquam astruentia,quid ipse sentiam,dicta sint,sed magis vti posita quędā,ex quibus videri possit,quid consequatur.Sed tu rem tuam Fracastori,quando lubet,aggredere. F. Aggrediar igitur,atque initium inquisitionū nostrarū à fine hominis,gratia cuius est factus, auspicabor.Qua de causa, si & altius paulisper exordiamur,non ab re tamen,nec iniucunde, haud ingrate feres. RH. Minime quidem,immo quàm gratissime. F. Illud igitur Turri mihi in primis edicito.Cum magnus rerum cunctarum pater,atque opifex Deus vniuersum hoc,quem mundum dicimus,artificio tanto esset ab æterno fabrefacturus,non'ne putas conueniens fuisse,vt in eo naturam aliquam faceret,quæ & artificium tanti operis,& ipsum etiā artificem atque authorem cognosceret? RH. Conueniens quidem videtur. F. Duæ igitur naturæ cum essent in vniuerso futuræ, altera eorum, quæ incorporea dicuntur,altera eorum,quæ corporea, non'ne putas & illud Deum maximum voluisse,vt in vtrisque ea esset natura, quæ authorem tanti operis posset dignoscere? RH. Et hoc quoq; existimādum est.

Angeli, & hois vn9 & idē finis ē, fœcilitas ipsa,ad quam creati sunt.

dum est. F. In ea igitur natura, quæ incorporea est, fuere illæ mentes, C
quas alij intelligentias, alij angelos vocant: in ea vero, quæ corporea est, fuit homo solus. Non'ne ita tibi videtur? RH. Maxime quidem. F. Cum igitur vtrique naturæ dedisset Deus, vt ipsum possent agnoscere, putandum'ne est ob id eam cognitionem dedisse, vt ab ijs laudaretur, aut esset admirationi: aut magis, vt naturæ illæ Deum cognoscendo ipsum contemplarentur, amarent, colerent, atque imitarētur? RH. Hoc certe magis putandum est. neque enim egebat Deus, vt à quoquam laudaretur, aut esset admirationi: sed magis illius bonitatis intererat, vt omnia faceret bona, & præsertim, quæ ipsum erant cognitura. F. Ita certe. sed & illud dic mihi, in ea cognitione, quæ de Deo habetur, esse'ne potest fœlicitas vlla, & beatitudo? RH. Immo maxima, si perfecta habeatur cognitio. F. Hæc autem fœlicitas, & beatitudo talis'ne est, vt communicari à Deo posit? RH. Quid ni, si ipsi placeat? F. At placere debet, si bonus est. est autem non solum bonus, sed & optimus, & liberalis etiam eorum, quæ possunt communicari. quam ob rem & beatitudinē, quæ in ipsius cognitione consistit, communicandam fuisse statuendum est nobis. RH. Videtur. F. At, si ita statuamus, dicendum nobis erit illi naturæ communicandam fuisse, quæ cognoscitiua facta fuerit. RH.

De Angelorum beatitudine.

Vtique. F. Igitur, cum talis factus fuisset angelus, atq; homo, dicamus primo quędam pauca de angelo: mox & de homine dicemus. Si igitur à D
te petam, nunquid fœlicitas illa angelo fuerit à Deo cōmunicanda, quid dices? RH. Quo pacto dicis communicandam fuisse? non'ne illam cō municauerat Deus angelo, vbi incorporeum, & intelligentem fecerat? quid illi deerat, vt beatus esset in ea cognitione, quæ de Deo habetur? F. Multum profecto deerat Turri, quoniā omnis natura, quæ aliud à Deo est, infinita quadam imperfectione à Deo distat. Quare omnis cognitio illius, si ad Deum comparetur, imperfectissima est: in qua beatitudo esse non potest, nisi maiori quadam donetur. RH. Durum quidem Fracastori videtur, quod dicis. Nam, etsi angelus rursus maiori aliqua pfectione, & cognitione alia donatus fuisset, illa tamen adhuc Deo comparata imperfectissima erit. Quare aut in infinitum eundum erit, aut & in prima cognitione stare poterimus, quæ sufficiat pro beatitudine. F. Apposite quidem Turri addubitas, verum nec prima cognitio talis est ad consequendam fœlicitatem, nec in infinitum est abire: quam rem ita oportet accipere. Omnes quippe naturas, quas in conditura vniuersi fecit sapientissimus Deus, tales quidem fecit, & eatenus perfectas, quatenus cō ueniens erat, & decens ipsi vniuerso. Igitur natura angeli, cum perfecta quidem esset, quantum ad vniuersi rationem pertinebat, ad Deum vero

comparata,

A comparata,& quantum ad consequendam fœlicitatem opus fuerat, imperfecta,& non capax eius beatitudinis,gratia quadam indiguit: illa scilicet,quam Deus optimus ex infinito suo esse,cui vult,& quando vult,largiri potest,& solet. Quare natura angeli,cũ longe abesset ab ea perfectione,& cognitione,quę requiritur ad beatitudinem,qua parte non attingebat ad Deum,errare plurimum,& falli poterat,nisi gratia quadã, & Dei manu adiutus fuisset.quam ob causam nec in infinitũ est abire, sed standum in certa perfectione:siue illa,quæ ab initio data fuerat,siue alia. Verum,quæcunque illa sit,gratia adiutam oportet esse,si peccare nõ debet, & falli,sed beatitudinem consequi. Placet'ne igitur,vt constituamus naturæ angeli non satis fuisse perfectionem illam, qua per se factus fuerat ad consequendam fœlicitatem,sed gratia indiguisse? RH. Nihil quidem prohibet,ne ita constituamus. F. Vide igitur Turri.duo hactenus posita sunt à nobis,primo fœlicitatem fuisse communicandam angelo, deinde & gratiam elargiendam. Iam igitur & de homine dicamus, qui similiter à Deo fuerat factus,vt ipsum cognosceret,cognoscẽdo autem, vt de angelo dictum est,amaret,coleret,atque imitaretur. Si igitur & de ipso à te petam,nũquid fœlicitas illa,quæ in Dei cognitione consistit,atque ab ipso libentissime communicatur,ipsi etiam homini fuerit cõmunicanda,quemadmodum & angelo,quid respondebis? RH. Quid,si

De hoĩs duplici fœlicitate.

B in homine hoc negemus? F. At oportebit rationem afferre,cur angelo id concesserit,homini autem non. RH. Ob id fortasse,quòd homo caro,& terra est,angelus vero incorporeus,& Deo similis. F. Non'ne tamen diximus infinita quadam imperfectione distare à Deo angelum? RH. Dictum est. F. Si igitur & homo Deo comparetur,non'ne & ipse infinita quadam imperfectione à Deo distabit? RH. Vtique. F. nõ ergo magis distat à Deo homo,quam angelus,si imperfectionem spectemus. In infinito enim non est magis,aut minus. Si igitur non obstitit angelo infinita imperfectio,qua ratione datum est angelo beatum fieri posse,eadem & homini dandum fuit. Idem enim in utroq; finis, & ratio cõcedendi. RH. At quis modus erat in homine,nunquid uiuo daretur ea fœlicitas,an mortuo? F. Et viuo quidem,& mortuo. RH. Mira dicis Fracastori. F. Mira quidem.sed statuamus hoc primum,ita homini dãdam fuisse fœlicitatem,sicuti & angelo,si modus esset in homine. Placet ne,vt ita statuamus? RH. Nihil prohibet. F. Modus ergo, quo dari posset ea fœlicitas homini, nec ignotus Deo erat, neq; difficilis, si hominis animum immortalem,atque æternum fecisset, & naturę parte eiusdem cum angelo. Sic enim,vbi separari contigisset à corpore,eodem modo beatus fieri,quo & angelus,& per eandem gratiam poterat.im morta

lem

ſem autem in homine facere animum vel facillimum Deo erat, qui & C
æternos cœlos,& alia multa fecerat,& omnia poteſt. Hoc ergo pacto al-
teri parti,de qua dubitabas,ſatisfactum exiſtimo,quo ſcilicet modo mor
tuo homini poterat ea fœlicitas dari.

Nunc de altera dicamus,quomodo & viuo conceſſa fuerit. Verum,
qui tantum gratiæ habiturus eſſet,vnus tantum ex omnibus hominibus
fuit,is ſcilicet,qui perfectiſsimus omnium futurus eſſet,quiq; eam obitu-
rus operationem,quę poteſt in ea ſpecie perfectiſsima eſſe.talis autem eſt
vita illa,quæ ſpiritus vita dicitur,in qua nihil caro poteſt,ſed ſpiritus tan
tum viuit,& Deo ſimilis fit.Eiuſmodi autem hominem in humana ſpe-
cie fore oportebat, tum quia in omni ſpecie vnum inueniri neceſſe eſt,
quod perfectiſsimum in illa ſit,& perfectiſsimam operationē obire poſ-
ſit:tum quòd,ſi hic nō fuiſſet, fœlicitas illa,quā diximus dādam fuiſſe ho
mini,dari vllo pacto non potuiſſet,ne etiam mortuo. Nulli enim mor-
tuo datur,qui uiuens,ſpiritus vitam non vixerit:quod ſpecies hæc per ſe
mereri atque aſſequi non poterat ſine hoc,de quo loquimur,perfectiſsi-
mo,& diuino homine.

De Chriſti origine, ac eius beatitudine.

De cuius hominis ortu,ſi me percūcteris,ego nihil aliud habeo,quod
dicam,niſi quòd quatuor modis imaginari poſſumus hominem fieri.
Vnus eſt,ſi ſine mare & fœmina oriatur ex ijs ſeminibus,& principijs,
quæ in ſinu,& complexu elementorum ſunt. Alius eſt ortus è mare tan D
tum ſine fœmina,hoc eſt ex ijs principijs,& ſeminibus,quæ iam in homi
ne facta ſunt:in quo & materia,& gignens calor adeſt,nec quicquam de-
eſt,quod ad generationem conducat. Tertius modus eſt ille, qui com-
munis eſt & conſuetus,ex mare & fœmina. Quartus uero eſt è fœmina
tantum abſque mare.Tot ergo & non plures imaginari poſſumus gignē
di hominis modos.At vero tres primi fieri quidem poterant ſecundum
naturam,ſed nullo pacto poterant conuenire perfectiſsimo illi,in quo ca
ro nihil poſſet.Omnes enim cum è facultate elemētorum originem tra-
herent & ſecundum materiam,& ſecundum gignentem ſpiritum, ne-
ceſſe erat,quod factum fuiſſet,naturam elementarem,& terrenam ſape-
re:quæ per ſe imperfecta eſt,nec poteſt illam obire vitam, quæ neceſſa-
ria eſt ad beatitudinem conſequēdam.Solus igitur quartus ſupererat mo
dus:ſed nec ille conuenire poterat ſecundum naturam pro gignēdo per-
fectiſsimo homine.Nam,quanquam forte è fœmina poterat materia cō-
mode ſuppeditari,agens tamen & gignens non aderat.In fœmina enim
ſola non ſunt ea principia,& ſemina,quæ gignere poſsint. Hunc tamen
modum ſapientiſsimus Deus elegit:atque è puriſsima,ac ſanctiſsima uir
gine materiam aſſumens, loco genitiui ſpiritus,qui deerat, ſanctiorem

ipſe

A ipse & magis diuinum spiritum indidit:hominemq; eum fecit, in quo nihil posset caro,nihilq; esset,quod ad terrenos impulsus incitaret. Siquidem omnia in eo perfecta à perfecto parente fuerant data, propter quæ & perfectissime uitam illam exegit,quę spiritus vita dicitur. Hunc ergo Deus optimus,vtpote filium coessentialem sibi,& coęternum,hoc vero modo hominem factum adeo amauit,vt sese illi cognoscendum perfectissime dederit: cognoscendum autem non tantum per species, & rerũ simulachra,vt cęteri cognoscunt homines, sed per substantiam propriã ipsius Dei.in qua cognitione beatitudo consistit.Hic ergo (vt ad rem nostram reuertamur) viuens in Dei maximi cognitione atque intuitu fœlicissimus semper fuit: ac eius vitę,quæ spiritu fit, & exemplum & caput & magister fuit: è cuius meritis & nos alij promereri potuimus gratiam eius fœlicitatis, quam post mortem tantum consequi datum est nobis superstite animo,qui ob id immortalis est factus.Si igitur ratio hæc Turri de anima à fine hominis sumpta in suum ordinem redigenda est, ita quidem constituetur,vt primum conueniens fuerit in uniuerso esse naturam aliquam,quæ Deum maximum eius operis authorem nosceret:nosceret autem,non vt laudaret,aut vt admiraretur,sed vt amaret,coleret, & imitaretur,fieretq; illi similis.Hoc autem si datum fuisset, decens quoque erat,& Dei optimi bonitati conueniens reliqua etiam dari, quæ poterant communicari.

B Poterat autem perfecta cognitio, perfectus amor, & cultus,atque imitatio,& demum beatitudo.Quare & hęc communicanda fuere.Communicari autem ulli naturæ non poterant,nisi æternæ & immortali aut secundum se totam, ut angelo, aut secundum partem sui nobiliorẽ,ut homini. Pars autem nobilior est animus, & intellectus. hic ergo æternus,& immortalis est factus.

Sed nos iam,quia in his multum sumus immorati,ad alia trãseamus, si placet. RH. Placet quidem,quoniã res hactenus bene acta videtur. F. Pertranseuntibus igitur nobis ad alia in primis est statuendum eorũ, quæ mouẽtur,alia moueri,nõ vt hic sit eorum finis,sed vt quiescãt, quasi motus ijs accidat,& non per se insit:alia vero moueri, vt moueantur, non vt à motu quiescant,quibus moueri per se inest,&(vt dicunt)essentialiter. RH. Ita prorsus. F. Quæ igitur mouentur per accidẽs, vt scilicet quiescant,non'ne omnia corruptibilia sunt? RH. Omnino. F. Potes'ne dicere,cur ita sit? RH. Quid'ni? quando omnia hæc,quæ mouentur,vt mox quiescant,omnia vim aliquam passa sunt, & extra naturam propriam sunt constituta. Vnde & ob id mouentur, vt acquirant id sibi connaturale,quo carent. Talia autem, quæ uim pati possunt, omnia corruptibilia sunt. F. Recte dicis omnia,quæ mouentur,vt quiescant, corruptibilia

Rõ secũda hæc à motu sumitur.

Quęcũque mouentur, vt quiescãt, corruptibilia sunt, & econuerso.

corruptibilia esse. Si ergo & conuersum proponã, id est, quæ corruptibilia sunt, omnia moueri, vt quiescant, quid respondebis? RH. Et hoc cõcedam, quia corruptibilia omnia aut elementa sunt, aut ex elemẽtis. hæc autem si mouentur, mouentur. ut quiescant. F. Vide igitur Turri, ex his sequitur, vt, quæ per se mouentur, hoc est, non, vt quiescant, omnia sint incorruptibilia. si enim sint corruptibilia, dictum est corruptibilia omnia moueri, vt quiescant. quare, si aliqua per se mouentur, incorruptibilia esse necesse est. Item & illud sequitur, vt si qua incorruptibilia sint, si mouentur, moueãtur quidem per se vt scilicet moueãtur, non, vt quiescant. Si enim, vt quiescant, dicas moueri, iã corruptibilia erũt per ea, quę dicta sunt. RH. Sequi quidem videntur omnia hæc. Verum cum moueri multipliciter dicatur. nam & quod generatur, & locum mutat, & alteratur, & quod intelligit, omnia moueri dicuntur. statuendum est à te, de quo motu hæc dicas. F. In omni quidem motu vera esse vidẽtur, quæ dicta sunt. In primis enim si motum generationis spectemus, materiam videbimus per se, & semp moueri, & modo hoc, modo illud fieri, & nunquam quiescere, eandem & ęternam, & incorruptibilem esse. At si & locales motus consideremus, deprehendemus, quæ per se mouẽtur, & semper moueri, & æterna esse, quales cœlestes orbes visuntur: reliqua vero, quæ per accidens mouentur, vt quiescant, corruptibilia esse. Similiter, & quæ alterantur, se habent. corruptibilia enim sunt, & mouẽtur, vt quiescant. RH. Enimuero ita est. F. At vero & iis motibus, qui spirituales dicuntur, idem est videre in ijs mentibus, quæ se ipsas mouent, & intelligunt, tum & æternæ quoque sunt. Quapropter constanter possumus in vniuersum statuere, quæ per se mouentur, & iccirco semper mouentur, incorruptibilia esse, quæ vero per accidens mouentur, vt scilicet quiescant, corruptibilia. Tum & incorruptibilia per se moueri, & semper, corruptibilia vero moueri, vt quiescant. RH. Videtur. F. His ergo sic constitutis ad animam nostram descendamus, eam dico, quæ intelligit, & vniuersalia speculatur: & videamus in quo genere ponere illã debeamus. constat enim & ipsam moueri intelligendo. Vtrum igitur in genere eorum illam ponemus, quæ per accidens mouentur, vt quiescant scilicet, an eorum, quæ mouentur, vt moueantur, et per se non quiescũt? Quid ergo uidetur tibi dicendum? RH. Ego quidem nullum horum asseuerare audeo. ponamus autem vtrunque, ut videamus, quid sequatur ex vnoquoque. ac primum, si placet, ponamus animam esse in genere eorum, quæ mouentur, vt quiescant. F. Ponamus quidem, sed nescio, quomodo recte ponemus. Si enim intellectus est omnia fieri, & nullam habet naturam, nisi quod potentia est, videtur quidem talis esse qualis, C D

&

A & materia se habet in generatione. Quare, sicut illa semper moueri dicta est, & semper perfici, semper perfecta esse, ita & intellectus eorum esse dicetur, quorum natura est, vt semper, & per se moueantur. Nullam enim differentiam habet aliam à materia nisi quòd hæc omnia fit generatione, ille omnia ĩtellectione, quæ generatio quædã est. Præterea, si moueretur intellectus, vt quiesceret, oporteret per quietem illam acquirere aliquod esse, in quo cum sit, nihil vltra appetat. At nullum tale esse habere potest intellectus. quolibet enim acquisito, nihilominus inclinatio, & appetitus ad alia non esset. Quare talis videtur esse intellectus, qualis & materia, & cœlum, quæ non vno vnquam in esse, & situ manẽt, sed vno habito ad alia parantur, contrario modo, ac illa se habent, quæ mouẽtur, vt quiescant. quodam enim certo parto non vltra appetunt. Si igitur ita videtur tibi, nos ad aliam partem ponendam transibimus. RH. Videtur quidem. Verum eadem & de sensu, & phantasia dici posse videntur: nam & hęc in potentia sunt ad sua sensibilia, & ab ijs semper perficiũtur, semper perfecta sunt, nec vnquam finem faciunt. F. Minime quidem ita est Turri, sed & sensus, & phantasia mouentur, non, vt semper in motu sint, sed vt quiescant. Nihil enim, quod fatigatur in motu, potest habere motum per se & essentialem, vti finem. at sensus, & phantasiã manifestum est fatigari, & amare quietem: siquidem & multa sensibiliũ per

Intellectus assimilatur materiæ in gñatione.

B displicentiam recipiunt, vt, quæ excellunt, & his receptis inferiora non possunt vltra recipere. Cuius causa est, quòd eorum motus non inest illis per se, vt finis, sed parto vno sensibili in eo quidem ex se quiescerent, nec vltra appeterent. Quòd si ad alia, & alia ferantur, iccirco fit, quod ordinati sunt in intellectum: qui cum ex se finem non habeat, cogit & sensus in alia, atque alia ferri. Propter quod solus ille semper mouetur, & semper perfici vult, nec vnq̃ fatigatur in eo motu per se, nec displicentiã vnq̃ recipit intelligibilium, quæ eo etiam magis appetit, quo perfectiora, & excellentia sunt magis. vnde nec minus iccirco potest inferiora recipere. Quamobrem Turri non possumus partem hãc ponere, quòd intellectus moueatur, vt quiescat, si eius natura est omnia fieri, & parto vno non in eo quiescere, sed perpetua quadam appetitione ad alia, & alia ferri.

Si igitur satisfaciunt hæc, iam ponemus & alteram partem, intellectũ scilicet esse in genere eorum, quæ per se mouentur, vt moueãtur. RH. Ponamus quidem: sed video te id statim illaturum, vt æternus, & incorruptibilis sit intellectus, propterea quod concessimus, quæ per se mouentur, esse incorruptibilia, & corruptibile omne moueri, vt q̃escat: quæ rursus consideranda sunt. Fortasse enim non recte concessimus conuersum illud, quod fuit, corruptibile omne moueri, vt quiescat. Siquidem nihil

Intellectus in eorũ genere esse videtur, quæ per se mouentur, nõ vt q̃escant, sed moueã tur.

forte prohibet aliquid corruptibile moueri in aliquo genere motus, vt C
quiescat, in aliquo, vt non quiescat. Nos autem simpliciter concessimus, quod in vniuersum concedendum non erat. Quare potest intellectus motu alterationis moueri, vt quiescat, motu vero intellectionis, vt non quiescat: ex quo tamen non sequitur, vt incorruptibilis sit, nisi simpliciter talis sit, vt moueatur propter quietem. Nam videmus & cor motu locali moueri semper, corruptibile tamē esse, quòd motu alterationis quiescit. Similiter &, quod nutritur, se habet. Semper enim mouetur, & tamē corruptibile est, eo quòd motus alterationis ad quietem fit. F. Ita'ne Turri illudit Dæmon tuus, & nunc negat, quod tu paulo ante cōcessisti, sperans obiectis quibusdam tenebris euadere, velut loligo, et non euadet tamen? Monstro enim simile est, quod dicis, aliquid esse, quod in vno genere motus moueatur, vt quiescat, in alio, vt non quiescat. Sic enim vnū & idem haberet conditiones corruptibilis, & incorruptibilis: quod esse non potest, præsertim si alter motus sit eius rei finis per se, & essentialis. Si enim huius finis sit moueri, vt quiescat, corruptibile id erit: si vero vt non quiescat, erit incorruptibile. Igitur propria intellectus operatio cū sit omnia fieri per intellectionem, & semper perfici, semper perfectum esse, & nunq̄ quiescere, proculdubio idem de intellectu dicendum erit, quod de materia, & vtrunque incorruptibilem, & æternum esse. Quæ vero de corde, & nutritione dicebas, nihil nos oppugnāt. Cor enim duos D
habet motus, & vtrisque finis est quiescere: ac quiescit etiam quātum datur: sed noua necessitas extrinsecus veniens facit, vt non diu quiete illa frui possit. quare rursus mouetur. vnde videtur semper moueri. Non est autem hoc nisi per accidens, non per se. Nutritio vero & ipsa quanquam semper aliqua in parte fiat, finem tamen habet vnaquæq; pars, ad quam fit aggeneratio, & quiescit. Quare in vniuersum Turri verum est, omne, quod ex natura mouetur, vt quiescat, corruptibile esse, & omne corruptibile moueri, vt quiescat. Item omne, quod per se mouetur, vt nō quiescat, incorruptibile esse, & omne incorruptibile, si mouetur, moueri, vt non quiescat. Quibus ita se habentibus, si natura intellectus consideretur, videbimus ipsum in genere illorum esse, quæ per se mouētur, vt nō quiescant in aliquo eorum, quæ acquiruntur. acquiri enim in omni motu aliquid necesse est. sed vltra appetere consueuere, quæ per se mouentur, vt moueantur. quare & incorruptibilem ponere intellectum debemus, & parem habere cum materia conditionem. Hæc ratio Turri ab Aristotele verbo vno tacta videtur, ꝗ forte vulgatissima inter Academicos esset ab Alcmeone in ipsos deriuata, verum ab ijs adeo accepta, & approbata, vt semper, vti inconuincibilis, habita sit: quanq̄ illam aliqui

A alio modo deducant minus (vt arbitror) efficaciter.

Peripateticorum sñia de animorũ imortalitate ex ꝓportione intellect⁹ ad materiam accepta.

Sed nos iam & peripatetice quædam referamus, quę video à vobis fortasse desiderari. RH. Ita sane. F. Potes'ne igitur Turri dicere, quænã sit natura materiæ? dico autem materiam illam, de qua paulo ante diximus, quæ subiectum generationis est. RH. Possum equidem, si verum est, quod aiunt, nullam aliam habere naturam, nisi quòd potentia est. F. Ad quæ autem est potentia? RH. Ad susceptibilia per generationem. F. Nullum igitur habebit ipsa susceptibilium per generationem. RH. Sequitur. F. At quænam susceptibilia sunt per generationem, non'ne formæ, quæ materiales dicuntur? RH. Omnino. F. Nullam ergo habebit per se materia materialem formam. RH. Nullam prorsus, si addas omnes formas materiales esse susceptibiles. Si enim non hoc addas, sequitur tantum, vt materia nullam habeat materialium formarum, quę susceptibiles sint. F. Recte dicis. Si ergo & de intellectu, proportione quadam petiero, quam nam ipse naturam habeat, quid dices? RH. Nullam habere aliam naturam dicam, nisi ꝙ & ipse potentia est ad susceptibilia per intellectionem. F. At quænam susceptibilia sunt per intellectionem, non'ne formæ materiales? RH. Vtique. F. Sequitur ergo, vt intellectus nullam habeat materialem formam. RH. Sequitur quidem, si & hic addas, omnes formas materiales esse susceptibiles ab intellectu: alioquin non sequetur, nisi illas nõ habere, quę susceptibiles sunt.

Intellectus quidditas.

B F. Quid ergo prohibet, ne addamus omnes formas materiales esse susceptibiles? RH. Hoc quidem prohibet, quod susceptibiles tantum sunt formæ illæ, quę species proprias habent: Quę vero non habent, si intelliguntur, intelliguntur per species alienas. Multæ igitur sunt materiales formæ, quæ species non habent: qualis forte est substantia, quatenus substantia, vt declaratum à Turrio fratre in recessibus Baldi fuit. Si igitur ponamus intellectum esse substantiam, & materialem formam, susceptibilis quidem non erit, eo quòd speciem propriam non habet, sed intelligitur per alienas. Quare, si accipias omnem materialem formam susceptibilem esse, male quidem acceptum erit, siquidem nõ tantum intellectus; sed neque vlla substantia susceptibilis est. Si vero accipias formam omnem, non sequitur intellectum nullam esse materialium formarum. Præterea formarum, quæ sunt in materia, aliæ sunt singulares, aliæ vniuersales. ad singulares autem non est in potentia intellectus, sed ad vniuersales tantum, contrario modo, ac materia se habet, quæ ad singulares quidem potentia est, ad vniuersales non nisi per accidens. Nihil igitur ꝓhibet materialem formam esse intellectum, sed singularem. quare nec ipsam suscipere, sed vniuersales tantum formas.

Num ꝑ intellectione obeũda melius ſit ĩtellectũ omni carere forma, an partim habere, partim nõ habere.

Poſtremo & illud operæprecium eſt conſiderare, vtrum pro intellectione obeunda melius ſit intellectum carere forma omni, & ſpecie, ceu tabulam (vt aiunt) eraſam, in qua nihil depictum ſit: an partim habere, partim non habere, eſſe autem potentia ad omnes naturas, & formas, ſed qua non habet, non autem qua habet, quemadmodum & ſenſus. Si enim tactum conſideremus, ille quidem ex calido, & frigido, & humido conſiſtit: idem quoque calidum, & frigidum, & humidũ recipit, & dijudicat, ſed qua non habet, quo ſcilicet vel gradu, vel parte nõ habet. Oculus porrò luce multa, & colore participat, qui nihilominus lucẽ ſuſcipit, & colores. Lingua quoque, quæ ſapores omnes percipit, ſaporis expers non eſt. Quid ergo prohibet, ne & intellectus quoque ſit talis, & partim formæ materialis ſit particeps, partim non: ſitque in potentia ad naturam illius formæ, ſed qua non habet, qua vero habet non ſit in potentia? quod iure factum à natura videtur. ſic enim maxime poteſt intellectus cognoſcere ſpecie, quæ extrinſecus eſt, veniente ad ipſum, quæ vnũ facta cum ſpecie, quæ introrſum eſt, excitat animam, & intellectionem cauſat. propter quod videtur Plato facere animam ex omnibus conſiſtẽtem.

Aia eſt oĩa quodãmodo, & non oĩa quodãmodo.

Ad propoſitum igitur reuertentes dicimus quodammodo verum eſſe omnem materialem formam ſuſceptibilẽ eſſe, qua ſcilicet parte non habetur, quodammodo non verum, qua parte habetur: & ſic intellectus omnia quodammodo fieri poteſt, quodammodo non omnia. F. Egre D gie quidem Turri fungeris officio tuo. ego itidem conabor, vt meo fungar & ipſe. Nam primum nihil officit, quod dicebas, ſubſtantiam non habere ſpeciem propriam: quare nec intellectum eſſe ſuſceptibilem, quanquam forma materialis ſit. Nam, quamuis detur hoc, quod nihilominus dubium eſt, ſemper tamen cum forma qualibet materiali coniuncta eſt ſua qualitas propria, & inſeparabilis. Scis enim, quantum de qualitatibus inducitur in ſubiectum aliquod, tantundem & de elemento proprio induci. Si igitur intellectus ſit forma materialis, ſiue ſubſtantia habeat, vel non habeat ſpeciem propriam, ſequetur quidem non poſſe fieri omnia, nec in potentia eſſe ad omnia: ſiquidem ad eam qualitatem, quæ coniuncta eſt cum ea forma, & inſeparabilis eſt, non eſſe poteſt in potẽtia, quam iam habet. propter quod recte Ariſtoteles dicebat, ſi intellectus abſtractus non eſſet, eſſet vtique calidus, aut frigidus, innuens non poſſe eſſe in potentia ad qualitatem, quæ inſeparabiliter ipſum conſequeretur. Neq; eadem ratio eſt ſenſuum, & intellectus. ſenſus enim natura nõ eſt, vt omnia fiat, ſed certa tantum. quare conſtare poteſt è calido, & frigido, & rurſus calidũ & frigidum ſuſcipere, que non habet. ſat enim ſenſui eſt, ſi non ſuſcipiat, quod habet, nec ſimile, ſed hoc iudicet alius ſenſus. neque enim

vnuſquiſq;

A vnusquisq; sensus habet omnia suscipere, & iudicare, sed sensus in genere. At intellectus non talis est, sed vnusquisq; sigillatim intellectus ex se in potentia ad omnia esse debet, & omnia posse suscipere, quoniam simpliciter est in potentia intellectus ad omnia non ad certa solum. Ex quo etiam sequitur, quòd pro cognitione obeunda longe melius sit intellectum esse tanquam tabulam rasam, & nihil habere materiale, quàm partim habere, partim non habere: de quo dubitabas. Si enim partim habeat alicuius formæ, ad illam non esse potest in potentia, neque ad consimilē: quod contra naturam intellectus est, cuius est omnia fieri susceptibiliū. Si igitur susceptibilis per naturam est ea, quæ habetur, pars formæ, cur suscipi non debeat, et posit? Quare, si natura intellectus talis est, vt à principio dixisti, vt in potentia sit ad omnia susceptibilia per intellectionem per se, cōcludendum est nobis per se nullum habere susceptibiliū: quod quidem non erit, si calidus, vel frigidus per se sit. Quod vero dicebas ad singulares formas non esse in potentia intellectum, ex dictis à Turrio fratre conuincitur non esse verum: Siquidem vniuersale abstrahitur à singularibus, quæ nota esse oportet. Constare autem intellectum ex perfectionibus rerum omnium, vt Timæus videtur significare, bonum habet sensum, vt talis sit excellentia quadam, & virtute, non ꝙ cōstetur ex mixtione rerum. Quod vero dicebas conferre ad intellectionem, vt partim habeat, partim non habeat qualitates rerum, eo quod extrinseca specie, &

B intrinseca vnum fiat, quod excitet animum fortius, nullam habet necessitatem, quin potius impedimentum. Quod enim intus est, prohibet nō solum se recipi, sed & omne consimile: vt in sensibus apparet. Quod si ex ijs duabus speciebus vna fieret, quæ fortius moueret, & excitaret, oporteret & idem in sensibus fieri, & similia posse apprehendi: quod quidē minime fit. Si igitur omnia fieri debet intellectus, & in potentia esse ad omnia susceptibilia, separatum & abstractum esse necesse est. Atque hæc quidem sunt, quæ de peripateticorum penu educi posse videntur: in quibus siquid addubitas, ꝓferre profecto licet. RH. Non pauca certe sunt Fracastori, quæ, si contentiosi esse velimus, posint adhuc in dubium verti: verum & hæc, & alia quædam ego vno, vt dicitur, in fasce collegi, quæ ad postremum reseruabo, ne sermonem tuum tam crebro interrūpam. Quare interea, siqua alia habes, quæ ostendant animi æternitatem, illa ꝓsequere. F. Bene est Turri, vt ita faciamus. ego autem & alia multa habeo, quæ adducam. Verum, ne plus æquo molestus videar, multa censeo esse prætermittenda, quædam tamen prædictis annectenda. Neq; enim nunc referam, quòd facultatis materialis non est posse se supra seipsam, & supra propriam operationem reflecti, vt in sensibus est manifestum.

Intellectus abstract⁹ ē.

Immortalitatis aīorū collige rationes.

Nec

Nec dicam, quę è materia sunt, singulare quidem ipsum apprehendere, vniuersale autem non posse. Nec adducam ingenitum illum appetitum animi nostri ad altissimas causas, & ad diuina tum inquirenda, tum & fruenda: indicia quidem manifesta supra elementorum conditionẽ esse, quod tanta appetit, quasi propensione quadam in propriam patriam feratur. propter quod nec contemnendum est, quod physiologi dicunt, figuram soli homini fuisse erectam à Deo datam, quo perpetuo videret, et cognosceret patriam, atq; originem suam. Tacebo etiam signum illud, quod Plato solebat dicere indicium animum nostrum per se abstractum esse à corpore, quòd tum maxime lætatur, cum maxime separatur à sensibus, atque in se ipsum redit. Nec repetam, quæ Turrius tuus tam mira de somnijs retulit, de vaticinijs, & præsensionibus alijs: quæ quidem neq; à nobis inficianda sunt, neq; in casum, & fortunam referenda, sed in altiorem certe causam: quam si fuerimus recte cõtemplati, aperte quidem videbimus affinitatem quandam & cognationẽ habere cum diuinis animum nostrum. C

Aristo. sñia de aĩæ sempiternitate ex primo libro de Aĩa.

Quæ vero prædictis annectenda videntur, & nullo pacto prętereũda, duo sunt. Alterum est, quòd, si ostendero operationem quandam in homine esse, in qua nihil communicet corpus, sed propria animi sit, procul dubio confitendum erit naturam animi seiunctam per se, & abstractam esse à corpore. Alterum est, quòd, si & illud mõstrauero, omnia, quæ sub Luna sunt, corpora, & omnia quæ supra, gratia intellectus humani facta esse, & hunc esse illorum finem, neminem fore arbitror, qui opinari possit tot & tanta gratia rei vilis & caducæ facta esse, sed magis diuinum esse, quod illorum sit finis. Sed iam age istæc demonstremus. Primum autem non negare te existimo, si vlla erit animi operatio, in qua non communicet corpus, naturam animi per se abstractam esse à corpore. RH. Minime quidem negabo, quando & hoc philosophi omnes concedunt. Sed quænam erit illa animæ operatio, in qua non cõicet corpus? F. Illa ò Turri, de qua paulo ante dicebamus, vita spiritus, per quam homo renasci, & nouus fieri dicitur, quasi corporeum omne exuerit, ac totus spiritu quasi Deus, viuat. Vitam autem spiritus dico virtutes ipsas, non quidem illas, quas solemus nobis aut propter gloriam quandam, aut vtilitatem parare, satis quidem infirmas ac labiles, sed heroicas illas constantes & inconcussas, proprium virtutum finem habentes: per quas corpus hoc Deo mactantes, quasi extra corpus, cum illo viuimus, & semper sumus: cum illo ambulamus, loquimur, comedimus, & omnia facimus: nobis natos non arbitramur, sed illi soli: nobis nihil tribuimus, sed omnia illi, & gloriæ eius: in paupertate diuites, in diuitijs pauperes, nobis in tormẽ- D

Vita spũs, & sanctoꝝ.

tis, &

A tis,& cruciatibus,& ignibus exultantes:propter ipsum rerum omnium ac vitæ etiam prodigi:nihil amantes,nihil odio habentes , nisi quod ipse amarit,aut oderit:in simplicitate prudentes,iustitiam,pietatem,& veritatem colentes:ꝑpter quæ multi meruere ab hominibus sancti,& diuini vocari , à Deo autem multipliciter donari , alij prophetandi gratia , alij morbos,& dęmones eijciendi,alij miracula etiam faciendi . Talis in primis fuit sanctisimus ille,de quo à principio diximus , Dei filius : post ipsum,quicunque illum secuti , atque imitati potuere hanc vitam spiritus viuere,in qua caro,& corpus nullam Turri societatem habent,immo naturam,& propensionem prorsus contrariam . Reliquum esset alterum etiam illud, quod promisimus , demonstrare,omnia scilicet alia corpora propter humanum animum esse facta:sed hoc ad postremum relinquemus,vbi de nobilitate animi nostri differemus. Atque hæc sunt,quæ de animi nostri æternitate dicenda pro tempore mihi visa sunt.Reliqua silẽtio inuolui miro,nescio quo,desiderio affectus audiendi illa,quæ tu vno in fasce collegisse dixisti. Veruntamen,quoniam pugnandum nobis video , bene erit , vt per pueri nostri musicam aliquantisper reassumamus vires,quo alacriores pugnam sustineamus. Igitur,cytharam cum accepisset puer,ac suauiter tetigisset,mox in hunc modum cecinit.

PSICHE.

B Huc Amor ò dilecte,ades ò dilecte Cupido,
Formosum tua te Psiche formosa requirit ,
Et poscit te Dia Deum,puerumq; puella.
O tibi tam similis si te peramatq;, cupitq;,
Non'ne & amabis Amor illam,cupiesq; Cupido?
Est eadem nobis patria:est cœlestis origo
Ab Ioue:nos terris pariter,nos æthere in alto
Versamur pariter,coniunctaq; munera obimus.
Ipsa bonum pulchrumq; modis in pectora miris
Insinuo,tu corda feris,tu suggeris ignes,
Accendisq; ardore nouo:genus vnde animantum
Concipitur,crescitq; , sua& connubia iungit.
Me miseram,quòd & ipsa meis in me artibus vsa
Ah nimium tenera,& pulchro nimis apta moueri ,
Vt te conspexi,vt noui ,pulcherrime rerum,
Continuo facibusq; tuis,& amoris amore
Exarsi.iuuat hoc,paribus si & tu ignibus ardes.
Tolle puer vittas , atque in me lumina solue ,
Nempe & amabis Amor pulchram, cupiesq; Cupido.

Ipsa

Ipsa tibi tenuem, qua cingas tempora, vittam
Intertexam auro, & molli bombyce laboro:
Pictus vbi Narcissus hiat, Meander oberrat.
Hic ego te latas terras, atq; alta volatu
Nubila tranantem fingo, & maria vda secantem:
Cuncta tibi imperio subdentem, hominesq;, ferasq;,
Et pictas volucres, &, quæ nant æquore, monstra.
Dijs quoque nec parcis. curru rex Iuppiter aureo
Inuehitur, cinctus humeros & brachia ferro.
Quos inter tua Psiche etiam religata cathenis
It mœrens, sequiturq; tuos captiua triumphos.

Eorum argumentorũ solutio, per q̃ alicui videri posset nõ esse aĩos ĩmortales

Hæc cum cecinisset puer, nos rursus sermonem suscepimus. F. Iam ergo Turri tuum est ea proferre, quæ ad postremum vno in fasce reseruari dicta sunt. Ego enim iam explicaui ea, per quæ vnusquisq;, vt arbitror, bene instituti animi persuaderi posit diuinum immortalemq; esse intellectum in nobis. Superest nũc, vt & ad ea respondeamus, per quæ dissuaderi quis posit. RH. Hoc quidem superest, verum, quæ ipse adducam, Dijs testibus syluæ huius ita adducta esse volo, vt non ostendant, quemadmodum prædixi, quid animo ipse sentiam, sed vt à te ex umbra quadã educta animi nostri dignitatem valeant demonstrare. Quæ vero Fracastori negocium mihi hac in re faciunt, hæc ferè sunt. In primis enim, si æternus ponatur intellectus in nobis, quærendum illud est, vtrum ille assistat nobis, quemadmodum nauta, vt aiunt, naui, an magis nostri sit ita pars, vt esse illud, quod quisque habet, ab illo detur. tu ergo quid horum putas? F. Nihil asseueremus Turri, sed more inquirentium ponamus vtrunq; seorsum, vt videamus, quid inde sequatur: quemadmodum sæpe est factum. Quare, si placet, ponamus primum assistere. RH. Placet quidem: sed illud primo sequetur, vt duo illa distincta sint, qđ assistit, & cui assistit, vt Socrates, &, qui Socrati assistit, intellectus. F. Omnino. RH. Socrates igitur, qua Socrates est, & esse suũ per se habet, periturus'ne ipse est, an & ipse immortalis? F. Periturum arbitror. si enim sit æternus, rursus de intellectu eius proprio quærere habebimus, vtrum assistat, vel non. RH. Recte dicis. Si igitur periturus ipse est Socrates, in primis spes illa perijsse videtur, quam pauloante dicebas esse hominis finem. Si enim Socrates, qua Socrates est, interiturus ipse est, quid ad ipsum, quod intellectus, qui sibi assistebat sit saluus? quemadmodum ad nauim, quæ in profundum mergitur, nihil facit, quòd superstes sit nauta. F. Videtur. RH. Præterea assistens hic intellectus, aut ergo vnus in omnibus, & cõmunis, vt quidam è peripateticis tradunt, vel suus cuique est assistens intellectus.

Num intellectus coniungať corpori, vt nauta naui, an sicut forma.

C

D

A telleḛus. Si igitur est vnus in omnibus, monstrum profecto maximum audire mihi videor, quod etiam absque necessitate inducatur. Quid.n. monstruosius dici pôt, q̃ intelligere me per aliquid, qđ non sit mei pars? de quo dici fortasse possit quomodo ipsum intelligat, quo autem pacto intellectionem suam mihi communicet, nec dicere quidem possumus, nec imaginari. Induci præterea absque necessitate videtur. Si enim Socrates, qua Socrates est, & ipse intelligit, quærere licet, vtrum eadem intelligat, quæ & intellectus ille assistens, an alia. Siquidem eadem intelligit, superfluus est alius intellectus: si vero alia intelligit, quæ nam ea sunt? Si enim dicis vniuersalia ea esse, hoc certe verum non est, quando satis declaratum à fratre Turrio fuit nos posse vniuersalia per nos facere absque vllo forinsecus assistente intellectu. Quare, quoniam & per hæc, & ꝑ alia monstrum hoc satis explosum fuit à Baldo, nunc quoque explodatur è Caphijs tuis, si placet. F. Placet quidem. RH. Si vero non vnus est & communis omnibus intellectus ille assistens, sed cuique assistens ponatur, easdem quidem & alias habet difficultates. Nam & hoc monstrũ est per hoc extrinsecum nos intelligere: tum & dicta prius fœlicitas perit. Porrò & intereuntibus in prælio decem millibus hominum quærere licet, quid de eorum intellectibus fiat, qui singulis assistebant, num ociẽtur, an alia expectent corpora, quibus denuo assistant, an aliud interea

B agant: quæ certe adeo ridenda sunt, vt vix audiri possint. Quare partem hanc, quòd assistens vllo pacto sit intellectus in nobis, ponere nec possumus nec debemus. F. Ita quidem videtur. quare, quoniam nec ipse induci vnquam potui, vt monstra hæc reciperem, non magnopere curabo, vtrum positio defendi possit.

Ponamus igitur alteram partem, intellectum scilicet, quem immortalem statuimus, non assistere vllo pacto nobis, sed esse nostri partem, per quam vnusquisque id est, quod per se est. RH. Ponamus quidem. sed illud primum statuamus intellectum hunc substãtiam quandam esse, & non corpus, sed actum simplicem, seu mauis formam appellare. F. Ita quidem constituẽdum est. RH. Igitur & de hac substãtia primo quærendum videtur, vtrum diuisibilis per se sit, an indiuisibilis. dico autem diuisibile, quod partem habet extra partem, copulatas inuicem per communem terminum. Quid ergo dicendum tibi videtur? F. Quid prohibet vtrunque poni, vt consueuimus? quare primum ponamus esse diuisibilem, ne quicquam prætermittatur, quod ab aliquo dici possit. RH. Si ergo diuisibilis sit hæc forma, ceu lumen quoddam, illud quidem primo quæremus, an in materia & subiecto, in quo semel fuit, semper maneat, an de subiecto in subiectum migret. Siquidẽ enim semper manet, & So-

Intellectus vnitur corpori, vt forma.

crates quidem,& Plato,& alij erunt æterni etiam ipsi.si vero de subiecto C
in subiectum migret,mortuo Socrate,& separata ab ipso hac forma non video,quomodo moueatur non motis subiectis ipsis.corpus enim nō est. Tum & illud est querere,quomodo se habeat in diuersis illis subiectis,in quæ migrat,vtrum vt substantia eorum,an vt accidens. At substantia esse non potest,cum subiecta illa suas habeant formas.Sed nec accidens.qđ enim per se substantia est,accidens in alio esse non potest.Atque hæc quidem è multis,quę adduci possunt,satis esse arbitror ad tollendam positionem hanc.Quare ponamus alteram partem,substantiam scilicet, quam intellectum dicimus,esse formam indiuisibilem. F. Ponamus. RH. Si ergo indiuisibilis ponatur,illud primo se offert dubium, quomodo ex ipsa,& materia,cui aduenit,vnum fieri posit:tum & vnum diuisibile. Nā materia,cui aduenit,vel diuisibilis est,vel etiam ipsa indiuisibilis.Si quidem diuisibilis dicatur,non video,quomodo ex vno indiuisibili, & alio diuisibili fieri vnum posit.Quod enim in alio recipitur, recipi quidem oportet secundum naturam,& conditionem recipiētis:& quod est actu, proportionem habere cum eo,quod est potentia.diuisibile autem nullā habet proportionem,nullam cum indiuisibili rationē,nec recipere quicquam potest nisi diuisibiliter & per partes.indiuisibile autem partes nō habet.Neque vnum igitur fieri potest, nec Socrates diuisibilis. Si vero etiam materia indiuisibilis statuatur,minus uideo,quomodo ex duobus D
indiuisibilibus vnum diuisibile fiat,vt Socrates.Deinde & illud est quærere, vtrum forma hæc indiuisibilis recipiatur mediante quantitate. per partes igitur recipietur.si vero non mediante quantitate recipitur, mirū certe videtur,quo pacto homo diuisibilis fiat.Ad hæc autem,si indiuisibilis sit hæc forma,erit etiam incorporea.ex quo sequitur, quòd modis omnibus sit immobilis. Dico autem modis omnibus,quod nec per se, nec ꝑ accidens mobilis erit.per se mouentur corpora,per accidens autem,quæ sunt in corporibus inhærentia,& extenta,vt qualitates.hęc autem forma nec corpus est,nec in corpore extenta.Sicut igitur intelligentia,& orbiū formæ nullo pacto mouentur in suis orbibus nec per se,nec per accidēs, ita nec anima hæc vllo pacto moueri poterit.Quid igitur de illa fiat moto Socrate de loco ad locum? Sequi enim non potest immobilis existēs. minus autem potest remanere.Quæ dubitatio maior etiamnum est mortuo Socrate.Si enim remanet,non video,quid agat: si inde mouetur,nō video,quomodo.Indiuisibile enim,si moueri debet,oportet per indiuisibilia moueri,& transire.hæc autem infinita sunt. Difficile præterea est, aut imposibile imaginari,quod nam esse habere posit hæc forma indiuisibilis in corpore.Si enim in qualibet parte est,& in pedibus,& manibus,

Intellectus est indiuisibilis.

A bus, mirum profectò est non intelligere & illa. Aut, si pars aliqua magis intelligit propter dispositionem meliorem, vtrum ergo & huius partes omnes intelligant, & harum partes? aut, si nulla demonstrabilis est, quæ per se intelligat, mira res videtur totum aliquod intelligere, vt Socratem, cuius pars demonstrabilis nulla intelligat. aut, si aliqua intelligit, cum illa extēta sit, & quantitatis particeps, vtiq; & forma ea talis erit. Hæc ergo Fracastori sequi videntur, si ponamus indiuisibilem formam esse animam, & incorpoream. At vero, si & incorruptibilem ponamus, sequitur quidem, vt nec generabilis sit. si enim sit generabilis, corruptibilis etiam erit. quòd si non generantur animæ, æternæ autem sunt, necesse erit nobis certum & definitum numerum earum statuere, quæ perpetuo quodam circulo abeant è corporibus, & rursus in illa redeant. Dicemus'ne igitur illas in Elysio potare lethen, & post mille annos redire in lucem ad noua corpora, vt fabulantur Poetæ, an brutorum animaliū corpora subire, & statuto tēpore in hominem redire, & modo Gallum, modo Megillum fieri? Quæ omnia vt etiam demus, assistere nobis animas fatendum erit, quod supra improbatum à nobis fuit. Ad hęc ergo respondere si primum placet, ego mox & alia adducam, quæ non minores difficultates apportent. F. Immo Turri totum fascem dissolue, & omnia explica, dum concitatus videris. Ego enim curabo, vt nihil de memo-

B ria decidat mihi. RH. Pergam igitur, & alia in medium adducam, quę materialem ostendant eam formam, quæ in nobis intelligit. è quibus primum & maximum argumentum est, quòd enasci illā per materiales dispositiones manifestum est, per illas conseruari, per illas demum immutatas interire. indicia hæc sunt à materia dependere illam, & cognatam habere naturā cum alijs. Tu præterea assumebas. Si anima propriam habet operationem, cum qua non communicet corpus, abstracta est per naturam à corpore. Ego vero oppositum nunc assumam. Si anima nullam habet propriam operationem, cum qua non communicet corpus, abstracta per naturam esse non potest. Atqui nullam talem habet operationē, si vera sunt, quæ Turrius frater de operationibus intellectus exactissime disputauit. Quippe cum non solum operationes sensuum, & phantasiæ, sed ipsius etiam intellectus omnes cum corpore ipso fiant, & in ipso sedē habeant. Intellectio siquidem ipsa per species fit. species autem in spiritibus, vel ipso in cerebro, aut eius membrana recipi constat, & ex ijs omnis cognitio fit. Habitus porrò in memoria locari manifestū est. memoria vero per cerebri dispositiones & conseruatur, & augetur, & perit. Quin & ipsum etiam vniuersale, non quà repræsentat, sed quà existit, eadem species est, quæ & in sensu fuit, vt & concessum, & receptum fuit.

Rō suadēs mortalitatē aīæ ab ipsa proprii operis carētia.

Quare operationem omnem animæ communem eſſe cum corpore ſatis perſpicuum videtur. Quod & definitio quoque animæ apertiſsime monſtrat. ſiquidem eſt actus corporis phyſici, organici, viuentis. Oportet ergo, vt & intellectus vtatur organico corpore: alioquin rationem aſſignatę definitionis non habebit. Quinimmo & operatio illa Turri, quã tantum animæ propriam faciebas, quæ vita ſpiritus appellatur, non ſine ſocio corpore fieri uidetur: tum quia non dicimus animam iuſtam, aut prudentem & fortem, ſed Socratem, & Platonem: tum quia vita illa nõ aliud tandem eſt, quàm virtutes ipſæ, quas exercemus. Virtus autem per aſſuefactionem, & opinionem fit. vtraque autem cum corpore, & in corpore fit. Porrò, quas heroicas appellabas virtutes, & ſolum ſanctis viris attribuebas, paſsim fieri & ab alijs manifeſtum eſt. quandoquidem, cum virtutes faciant opinio & vſus, multi quidem opinionibus etiam falſis decepti, & melancholijs, iuſtiſsimi, & continentiſsimi viſi ſunt: alij ita longo tempore perſuaſi, quod leges oſtendunt etiam barbarorũ. Apud Indos legimus mira fortitudinis, & contemnẽdæ mortis exempla, vt de Calano, & alijs, qui aut glorię ſpe, aut immortalitatis, conſtructis pyris ſeſe proiecerunt in ignes. vnde & illud. C

Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Inſiluit.

Qua de re, & alia multa exempla proferre poſſem. Sed redeo ad faſcem meum dubitatorũ, quę multa adhuc ſuperſunt, niſi tu quid habes, quod interponere velis. F. Nihil quidem nunc eſt, quod interponam, ſed proſequere. RH. Proſequar igitur, atque illud ſtatuam tecum. Si intellectus phantaſia quædam eſt, aut non ſine phantaſia, vt Ariſtoteles ait, immaterialis eſſe non poteſt. Nam & phantaſia materialis eſt forma, & ſiquid eodem modo recipit, quo ipſa: quod certe intellectus facere videtur. eadem enim recipit, quæ prius phantaſia receperat, et eodem modo, hoc eſt, vt ſingularia: circa quæ mox negociatus abſtrahere dicitur vniuerſale. Ad hæc autem quærimus, adueniente intellectu quid de ſenſitiuo fiat, quid de phantaſtico, nunquid remaneant hæc, an corrumpantur. Nam, ſi remanent, ſubſtantia eſſe non poteſt intellectus, niſi forte aſsiſtens, quoniam aduenit ſubiecto iam actu conſtituto. At, ſi corrumpi dicantur, quærimus, à quo & quando corrumpuntur: tum & quomodo, ſi corrupta ſunt, fiat Socrates ſenſitiuus, & phantaſticus. dari enim hæc ab intellectu non poſſunt, ſi ĩmaterialis eſt, nec à formis, quæ corruptę ſunt. Illud præterea dubitationem vel maximam facit, quòd videmus intellectum induci certo inducto gradu qualitatum, certa temperie elemẽtorum. D

Alia rõ apparẽs ad animi mortalitatẽ aſtruẽdam.

A torum. Quærimus ergo, vtrum illi gradui, illi temperiei correſpondeat ſua forma, quæ in ſinu, & potentia elementorum conſiſtat, an non. Siquidem ſua correſpondet forma elementaris, illi autem ſuperueniat intellectus, vtiq; is aut ſubſtantia nō erit, aut aſsiſtet tantum. Si vero illi gradui, illi temperiei nulla correſpondeat elementaris forma, nunquid ergo hoc erit, quia in tota potentia & natura materiæ, & elementorum repugnat eſſe formam eiuſmodi? an non repugnat quidem, ſed ſuſpenditur à Deo? Repugnare autem naturæ materiæ & elementorum induci formam, cuius diſpoſitiones iam ſint inductæ, abſurdum certe videtur: magis vero, ſi dicamus ſuſpendi à Deo formam genere, & natura conueniētem cum diſpoſitionibus, vt inducatur forma alieni generis, & naturæ, ad quam ne analogiam quidem habeant diſpoſitiones præparātes ad formam. Quare, cum videamus in alijs omnibus eiuſdem eſſe naturę diſpoſitiones, & finem, ob quem inducuntur, rationabile ſatis videtur & intellectum eiuſmodi etiam eſſe. Poſtremo & illud quærēdum arbitror, quoniam in nobis anima per ſpecies rerum intelligit, vtrum ſecundum ſe alium habeat intelligendi modum, dum in nobis eſt, an non alium habeat. Siquidem enim alium habet, puta eum, qui dicitur per eſſentiā, qui proprius eſt abſtractorum, mirum profecto eſt, quòd intelligens per eſſentiam ſuam anima, & futura etiam & imminentia pericula nobis non
B prouideat, nec indicet illa nobis. non enim videtur eſſe, quod prohibeat. Si vero hunc ſolum modum intelligendi habet, qui per ſpecies fit, mirū primo videtur abſtractam ſubſtantiam non intelligere niſi per ſpecies rerum. Deinde ſeparata à corpore quomodo intelligit, & reminiſcitur? ſpecies enim non reſeruantur, & non mouent niſi compoſitum corpus. Atque hæc Fracaſtori ſunt ea dubia, quæ ad poſtremum reſeruare cōſtitui. tuum erit ea diſſoluere, ac pro virili eniti, vt ijs diſcuſsis illuſtratisq; poſſimus nobis, & animo noſtro congratulari. F. Enitar quidem Turri. & niſi me fugiet veritas, ita etiam me facturum ſpero, vt animus noſter de ſe ipſo pie recteq; audiat, ac gratuletur ſibi.

In primis autem, vt diximus, ad eas animas ſpectare oportet, quæ orbes cœleſtes mouent, ijsq; eſſe illud dent, quod quilibet eorum habet. Ita enim multi philoſophorum putant, nec adeo mirantur, quomodo in ijs vnum fiat, quemadmodum video te nunc mirari, quo pacto ex indiuiſibili anima, & materia vnum fieri poſsit. Quod autem in primis quærebas, vtrum materia, cui forma hæc aduenit, diuiſibilis ſit, an etiā ipſa indiuiſibilis, dico eſſe, qui putent materiam ipſam per ſe indiuiſibilem eſſe, fieri autem diuiſibilem per coęternam ſibi quantitatem, quam interminatam vocant. quòd quidem ſatis durum videtur mihi. Quod enim per ſe indiuiſibile

Prima qō. Nū materia, cui aduenit forma ſit indiuiſibilis, vt diuiſibilis.

ſe indiuiſibile eſt, per nullum ſuperadueniens accidens diuiſibile fieri poſſe videtur. C Quare arbitror ipſe diuiſibilem per ſe eſſe materiam, vt pote continuum quoddam. continuitas autem nihil aliud eſt, niſi modus quidam eſſendi: quam ſi volumus quantitatem interminatam vocare, nihil quidem prohibet, dummodo accidens nullum intelligamus, ſed modũ eſſendi tantum, qui idem eſt cum re. Quare ponemus materiã, cui aduenit, intellectus indiuiſibilis forma, diuiſibilem ipſam eſſe per ſe eo pacto, quo intelligentia orbi ſuo dicitur aduenire.

Secũda qõ. Qũo ex materia, & forma: aĩa, & corpore vnum fiat.

At tu dubitabas, quomodo vnum fieri poſſet ex indiuiſibili actu, & diuiſibili materia. Ad quod nos dicimus vnum fieri, multipliciter dici, ſicut & totum. Eſt enim totum & vnum, quod per accidens tale dicitur: eſt & totum, quod integrale & continuum vocatur: eſt etiam totum & vnum, quod eſſentiale appellatur, ad hoc igitur totum & vnum eſſentiale cõſtituendum non aliud certe requiritur, niſi quòd hoc quidem ſit actus, illud potentia. ex ijs enim vnum in eſſentia fit, ſiue actus ſit diuiſibilis, ſiue indiuiſibilis. Ego autem hoc valde animaduertendum aſſero, tum maxime et proprie vnum fieri, cum totus actus in toto ſubiecto eſt, & totus in qualibet parte: quòd plane accidit, cum actus indiuiſibilis eſt. ſic enim & totus in toto eſt, & totus in qualibet parte. quare maxime vnum fit ex intelligentia, & orbe: & ex anima intellectiua, & corpore ſuo. In alijs autem, quæ vnum faciunt per continuationem, non vere vnum fit, quia totum nõ eſt in toto, & in qualibet parte. D quapropter diuiſibiles formæ non proprie vnum faciunt cũ materia ſua, quia non totus actus eſt in tota materia, & in qualibet parte eius. Minime igitur mirari debes, ſi anima indiuiſibilis ſit, quomodo vnũ fiat cum materia diuiſibili. Siquidem maxime vnum fit, & vnio illa maior eſt, quàm eſſe poſsit.

Recipiť oẽ ſm naturã recipiẽtis, ſi fiat receptio, nõ aũt ſi fiat vnio.

Quod vero dicebas, recipi omne ſecundum naturam & conditionem recipientis, verum eſt in ijs, in quibus proprie receptio fit. hic autem nõ proprie fit receptio, ſed vnio magis, in qua & analogia ſua eſt, quantũ ad eſſentiam cõſtituendã, tametſi non ſit analogia in modo receptiõis.

Tertia qõ. Num intellectus recipiať in materia aliqua quantitate affecta.

Cum vero quęrebas, vtrum intellectus adueniat materiæ mediãte quantitate, an non, dico, ſi tu intelligas mediante quantitate, vt diſponente ad receptionem, ſic quidẽ non aduenit mediante quantitate. hoc enim eſt formarum materialium, quæ per partes recipi debẽt. Si vero intelligas mediante quantitate, id eſt poſt ipſam, ſic quidem dico aduenire intellectum mediante quantitate. aduenit enim poſt ipſam. & non ſolum poſt quantitatem materiæ, ſed poſt quantitatem elementorum. ac ſic fit Socrates & Plato diuiſibiles, quorum diuiſibilitas ex parte materiæ & elementorum eſt, eſſentia vero actu indiuiſibili: quæ maxime vna eſt propterea, quòd totum eſt in toto, & totum in qualibet

parte.

A parte. Ad id vero, quod aſſumebas, ſi indiuiſibilis, & incorporea eſt anima, erit omnino immobilis, hoc eſt per ſe, & per accidens, dicimus minime ſequi. quando & incorporea eſſe poteſt, & moueri per accidens. At tu dicebas, quæ per accidens mouentur, ea ſunt, quæ inhærẽtia ſubiectis, vt qualitates, mouentur ad motum eorum: quod quidem non recte aſſumitur. Non enim ſolum hæc mouentur per accidens, ſed & alia, vt quæ ad motum producentis mouentur, & quæ ad trahentis motum. Lumen quippe in aere mouetur non per aeris tractum, ſed per motum producentis Solis: ſimiliter & ferrum ad motum magnetis. Anima igitur non mouetur ad motum ſubiecti, à quo portetur, ſicut qualitates ſe habẽt, ſed mouetur à trahente. Si vero quæras, quid ſit hoc trahens, meminiſſe te arbitror aureæ illius catenæ, quam Homerus ſcribit è cœlo dependere, & cuncta alligare. Hæc autem catena nihil aliud eſt, quàm aut anima mũdi, de qua diximus, aut Fatum, aut Dei nutus & voluntas, quæ totũ per vniuerſum permeat, & cuncta mouet, & alligat: mouet autem, & trahit ꝑ fine illi primo motori cognito. ergo & anima ſuo corpori, dum viuit, alligata mouetur non ab eo, ſed cum eo, quò expedit. ipſo vero emortuo relinquit & anima ipſum, non derelicta ab ea, cui alligatur, catena, quæ illam mouet, quò placet motori primo, fines rerum omnium noſcenti. *Quarta. q. Nũ aĩa ſit ĩmobilis, et quõ moueatur.*

Quo autem pacto moueatur ipſa, & loca mutet inuiſibilis exiſtẽs, difficile tibi videtur imaginari: & difficile eſt propter modum cognoſcendi noſtrum. quia cognitio omnis noſtra per ſpecies rerum fit, ſpecies autem à corporibus emanant, quæ magnitudinem habent, & finita certis claudũtur terminis. Quam ob rem, quæ corpora non ſunt, & magnitudinem non habent, nec ſpecies, non poſſumus per ſe intelligere, ſed ſolũ per ſpecies alienas, & aut per ſimilitudinem quorundam, aut per quorundã negationem. ſic & Deũ, & immaterialia omnia cognoſcimus. Quare nec eorum motus attingere valemus. Motum enim non cognoſcimus niſi per mutationem locorũ, quam faciunt corpora, quę in ijs mouẽtur. Abſtractorum vero motum, & eorum, quæ magnitudinem non habent, cognoſcere quidem non poſſumus niſi per ſimilitudinem quandam eorũ, quæ loca mutant. Nam, ſicuti hæc, quæ loca mutant, & proprie mouentur, præſentia ſunt modo huic, modo illi loco: & modo in hoc operãtur, modo in illo, ita & abſtracta, & ĩdiuiſibilia modo præſentia ſunt in vno, modo in alio loco non per loci circumſcriptionem, ſed per operationẽ. Igitur, ſicut difficile eſt imaginari ipſa incorporea, ita & eorum motum imaginari difficile eſt. Nec oportet eorum motum menſurare per ſpatia correſpondentia rei motæ. hoc enim eſt corporum, non eorum, quæ magnitudine carent, mouentur tamen ſuo modo, & loca per præſentiã, & *Perdifficile ẽ animæ motum ꝑcipere.*

operationem

operationem mutant propter eandem causam. Difficile etiamnum est imaginatione comprehendere, quod esse anima in corporibus habeat: per similitudinem tñ aliorum cōprehendimus, quæ esse dant. Verum differt animę esse ab alijs, quia ipsa tota in toto est, & tota in qualibet parte. quare & in pedibus, & manibus eadem est forma, quæ & in intellectiua particula: non operatur tamen in omnibus partibus, quando aliud est essentia, aliud operari. Ad essentiam enim non aliud requiritur, nisi vnio formæ: ad operationem vero requiritur organum, & dispositio, quæ nō est vbiq;, sed in certa solum parte, quæ primo intelligit, & eius pars omnis, per quam & totum denominatur intelligens: sicut & sentiens dicitur, quanquam pars omnis non sentiat. Nec inconuenit pro operatione obeunda indigere corpore animam, materialem tamen non esse, quando secundum se aliam habet operationem, quæ non indiget corpore. C

Quinta. q. Num, si aīa sit incorruptibilis, ingenerabilē illā esse oporteat, & quomodo.

Ad hæc autem & alias dubitationes apponebas, illud statuēs, si incorruptibilis est anima, etiam ingenerabilis est. recte quidem, si intelligas eodem modo esse ingenerabilem, quo incorruptibilis est per actionem qualitatum contrariarum, eodem modo & ingenerabilis est. Neque enim generatur per hāc actionem, sed per longe nobiliorem, et per principiū, quod supra qualitates se habet: siue illud sit Sol, siue idea aliqua, siue ipse magis, qui finis hominis noscens Deus ea ordinat, & præstat, quæ ad eū finem faciunt. Quinimmo, vt minus Turri admirere Deum animas pro creare, fuere philosophi, & quidem magni, qui putauerunt nedum humanas animas Deum producere, sed & omnem mixtorum formam. Generabilis ergo est hoc pacto anima, & hoc pacto etiam incorruptibilis, si (vt inquit Plato) placeat authori illius. Ac sic quidem euitamus certum illū numerum animarum, ac ridiculum earum ingressum, & regressum circularem in noua corpora. Si vero durum cuipiam videatur à Deo creari animas, sciat ille & conueniens hoc Deo esse, & decens. Conueniens quidem, quia illius bonitati conueniētissimum est perpetuo aliquid nouum in vniuerso producere, quemadmodum & vniuersum ipsum produxit. Decens quoque, tum vt, cum supra naturam sit semper, etiam ostēdat se supra naturam esse: tum & gratiam illam monstret atque expleat, qua hominem elegit ad cognitionem, & cultum sui. Ex his & aliam obiectionem tuam tollere non est difficile, qua dicebas ad animæ generationem, & conseruationem requiri dispositiones, & conditiones materiæ: quibus sublatis interire hominem. Nos enim dicimus duplex esse habere animam: vnum simpliciter & secundum se: alterum in hoc, id est, in corpore. Quātum igitur ad esse simpliciter eius, nulla indiget dispositione materię: quippe quę & sine corpore esse, & absq; eo etiam fieri possit. D

Aīas à deo creari cōueniens, ac decens est.

A Quantum vero ad eſſe, quod in corpore habet, nihil inconuenit, ſi diſpoſitiones quaſdam corporeas requirat. Propter quæ & aliud tuum dubium ceſſat, cum dicebas nullam propriam habere operationem animã, in qua nõ communicet corpus. ſiquidem ſecundum eſſe ſimpliciter ſuũ, quo eſſe ſine corpore poteſt, intellectionem longe perfectiorem habet. Quod ſi & eſſe quoq; illud cõſideremus, quod habet vnita corpori, operationes quidem nonnullas inueniemus, quarum natura nullam habet cum corpore cognationem. quippe cum earum tum finis, tum & efficiens, tum & effectus ſupra corpus ſit. Siquidem eius vitę, quæ vita ſpiritus dicitur, finis eſt Dei maximi fruitio. Illa etiam fieri perfecta non poteſt, niſi ipſo mediante & coadiuuante. Porrò effectus, qui ab illa fiunt nihil corporeum ſapiunt: vt prophetiæ, miracula, & præſenſiones aliæ. adde, quòd & ad eandem vitam corpus & caro nihil conferunt, immo repugnant, & contrariam naturam habent. Propter quæ dicere conſtanter poſſumus hanc vitam propriam animæ eſſe, & nihil in illa corpus cõmunicare. Quòd vero virtutes quædam magnæ videantur fieri à quibuſdam, qui vel melancholijs decepti ſunt, vel ſpecie gloriæ cõcitati, vel alijs de cauſis, neq; ipſe negarim. Sed illæ virtutes non ſunt, ſed vitia potius, & errores, quarum nec finis, nec efficiens, neque effectus, qui inde fiunt, diuinum quicquam ſapiunt, quemadmodum illæ, quæ à ſanctis viris profi-

Aię quoddã propriũ opus eẽ cui non cõicet corpus neceſſariũ ẽ.

B ciſcuntur. Porrò neque illud tacebo, quod multæ intellectiones, tametſi quantum ad receptionem ſimplicium corpore indigeant ſocio, tamen quantum ad compoſitionem extremorum ſupra corpus ſunt, & diuinũ quiddam habent: vt diuinationes, & miracula. Quapropter & diuinam putandum eſt eſſe animam per ſe, & ſigna eius diuinitatis etiam in corpore dare. Per hæc & illud infringitur, quod tu aſſumebas. Si intellectus phãtaſia quædam eſt, aut non ſine phantaſia, abſtractus eſſe non poteſt. Fatemur enim & nos intelligere animum hic per receptionem phãtaſmatũ, & quantum ad hanc operationem vti ſocio corpore, ſecundum ſe tamẽ abſtractum eſſe, & corpore nullo pacto indigere. Nunc ad alia transeamus. nam cum quærebas, in intellectus aduentu quid de ſenſitiuo, quid de phãtaſtico fiat, Ego quidem corrũpi hæc dico eo in momento, quo aduenit intellectus, ſicut & vegetatiuum corrumpitur adueniente ſenſitiuo. Corrumpitur, dico, quãtum ad vltimam formam, quæ tunc inerat, & vegetatiuum includebat: non corrumpitur autem ſecundum genus, quoniam potentia inferioris ſemper remanet in perfectiori, quod ſit. Intellectu igitur adueniente prior forma, quæ ſenſitiuum, & phantaſticum includebat, corrumpitur, remanente tamen ſenſitiui potentia, & phantaſtici. At tu hic acrius inſtabas, & rem vrgebas. nõ enim videtur, quomo-

Sexta qõ. Nũ intellectus ſit phãtaſia, vel nõ ſine phantaſia.

Septima. q. Num in aduentu intellectus ĩ corpus corrũpantur formæ omnes p̃cedentes.

do remanere poſsint virtutes ſenſitiui,& phãtaſtici,cum materiales ſint, nam à quo dari poſſunt? non quidem ab intellectu,qui immaterialis ponitur:non à forma materiali,quæ iam corrupta eſt. Ad quod nos dicimus ſenſitiui virtutes partim remanere poſſe in elementis, quæ ad perfectiorem gradum reducta poſſunt vim ſenſitiuam præbere,quanquã corrupta ſit præcedens vltima forma.remanet enim forma,& mixtio generica.partim dari poſſe ab anima nuper inducta,quanquam per ſe immaterialis ſit.poteſt enim recipere ſpeciem,in quantum ſpeciem, & iudicare.quare & ſenſitiui ſpeciem poteſt apprehendere. eadem enim anima eſt,quæ & ſentit,& imaginatur,& intelligit. G

Octaua. q. Num gradus vltimi ĩſtãtis, quo intellect9 inducitur in corp9, diſtĩguatr ab ipſo ĩtellectu an corrum pat,& q̃uo.

His autem Dæmon tuus non cõtentus aliam obiecit difficultatem ſuper gradu illo vltimo,qui pro intellectu inducẽdo diſpoſitio eſt:ac quærit,nunquid gradui illi,ſit forma vlla in tota natura,in toto elemẽtorum complexu,quæ correſpõdeat,& rationem proportionemq; habeat. Cui dicimus non eſſe formam vllam in tota materia,quæ illi reſpondeat gradui.Si enim vlla eſſet,illi quidem ſi ſuperueniret intellectus, aut accidẽs quoddam illius eſſet,aut aſsiſteret tantum.At tu quærebas. ſi nulla gradui illi correſponderet forma è tota materia,nunquid repugnat naturæ elementorum habere formam diſpoſitioni ſuæ reſpondentem, an ſuſpẽditur à Deo forma eiuſmodi? Ad quod dicimus non ſuſpendi à Deo formam illam.ſic enim perpetuo fruſtrata eſſet potentia aliqua, ſed magis eſſe non poſſe in ſinu materiæ & potentia elementorum formam, quæ correſpondeat: diſpoſitiones autem illas inductas eſſe, & ordinari in formam alieni generis,& nobilioris.quod nec mirum videri debet, ſi eorũ reminiſcaris,quæ à Turrio fratre dicta ſunt in receſsibus Baldi de ingenio brutorum,& ſpiritu genitiuo. Quippe ſpiritus is, qui genitiuus vocatur,duas habet rationes.vnam quidem,quatenus particularis quædã natura vna eſt,quæ per ſe non aliud intendit, quàm calefacere, miſcere, attrahere,& expellere ſic,& ſic. Quòd ſi formam ſimul animatam, & tam artificioſam conficit,vt dentem,oculum,& alia,hęc quidem per accidẽs quodam modo facit. Aliam porrò rationem habet,quatenus pars eſt totius vniuerſalis naturæ, in qua Deus anima eſt, & principium omnium & fines noſcit.ac ſic quidem idem ille ſpiritus per ſe intẽdit dentem, oculum,& alia,in quæ ordinatur.ita & in propoſito noſtro ſe habet. Gradus enim ille,qui pro intellectu diſpoſitio eſt,ſi conſideretur, vt particularis forma & natura vna,per ſe quidem non intendit formam immaterialẽ, ſed ſolum talem & tantum calorem inducere,ita & ita miſcere, & ſimilia.Idem ille ſi conſideretur,vt pars totius naturæ,quę à Deo diſponitur, & ordinatur,ſic quidem ille in intellectum refertur,& ordinatur in for- D

A mam superioris generis:quam educere materiale nullum potest, sed aut idea sua,aut Deus. At Deus certe magis, è cuius esse & potentia prodit omne,quod est,quiq; à principio(vt diximus) ad id hominē fecit,vt tandem beatus fieri posset in Dei ipsius cognitione.quod non aliter contingere poterat,quàm intellectum hominis immortalem & æternum constituendo.

Quod vero postremo quærebas,vtrum anima per se alium habeat intelligendi modum,quàm per species,& simulachra rerum,dicendum arbitror coniunctam corpori animā non habere aliā per se cognitionem, quàm per species.quanq̃ sint,qui aliter putēt,separatam vero superacquirere aliam nobiliorem per eam gratiam,qua Deum cognoscere posse datum est ipsi.in quo omnia,quæ ad beatitudinem satis sunt,intueri valet. Quæ gratia ēt viuenti Dei maximi filio concessa fuit. Verū de his ad plenum loqui posse non est cuiusq;,sed eorū tantū,qui ea donari gratia,quā dicimus,digni habiti sunt. Atque hæc sunt amice Turri, per quæ satisfactum arbitror fuisse toti tuo fasci dubitationū, si postremo & illud ostenderimus,omnia,quæ in vniuerso hoc sunt sub Luna & supra, corpora ꝓpter intellectum facta fuisse. Verum,si placet,hoc ad meridianas horas remittemus.multum enim hactenus locuti sumus,&,quod dicendum superest,suum ēt tēpus exposcit.Si igitur & tu & alij his,quæ dicta sunt,acquiescitis,ego Deo optimo gratias agam,& animo nostro vobiscum, & nobis ipsis,& humano generi gratulabor. RH. Acquiescere quidem & æquum est,& debemus.atque huic diei maxime me debere fatebor, quæ mei ipsius me & maxime cognoscentem,& maxime amātem fecit. Omnia vero bene peracta videbuntur,si et hoc postremo discutias.Quoniam enim dictum est animas nostras à Deo maximo procreari, videtur quidem sequi,vt omnes illæ æquè perfectæ sint,vtpote ab eodem authore perfectissimo factæ. Nunquid igitur omnes tandem beati erimus in Deo ipso? F. Extra promissa me rapis Turri.neq; enim istuc venimus, vt hæc perquireremus,quæ magis ad sanctos viros pertinere videntur.Si tamen placet,vt referam & ipse quædam,quæ ab ipsis audiui, equidem neque hunc laborem effugiam. RH. Placet quidem: vt pro omnibus dicam. F. Certissimū quidem est,quòd absq; diuinæ gratiæ auxilio nemini ad fœlicitatem patet accessus.Hoc igitur sicuti liberalissime Deus optimus præparat atque largitur,ita non nulli hoc ipsum neglexerunt, qui peruersa voluntatis desideria,& corruptæ impulsus naturæ varios secuti,longe prolapsi sunt,& diuersimode peccauere.propter quod longe à Deo constituti vitam infœlicem cum ijs infœlicibus angelis degunt, quos dæmones appellamus.Quare pœna non parua ijs est,non ęqualiter

Nona. qō. Num aīæ sit alius ītelligendi modus ab eo, quo ꝑ rerū simulachra & spēs intelligit.

Decima.q. Nunquid aīæ oīum à Deo createę æternā assequātur fœlicitatem.

autem omnibus data. Siquidem alij maiori, alij minori torquentur. maiori quidem, qui plus ſcelerum, virtutum autem minus commiſere: minori vero, qui vitia quidem minora, virtutes autem maiores complexi ſunt. Qui vero à Deo electi fuere, eiusq; gratiam non ſpreuerunt, & Deũ ipſum, quantum ſatis eſt creaturæ pro conſequenda beatitudine, cognouere, & pie ſancteq; coluere, ac vitam illam exegere, ſine qua Deo placere nulli eſt datum, ijs ergo pientiſsimus pater non deeſt tum ad finem conſequẽdum, qui fruitio ipſius eſt, tum ad ea, quæ ſunt ad finem, vt media. Hæc autem ſunt virtutes, non quæcunque, & quas parare nobis nos per naturam poſſumus, ſed longe præſtantiores. Iis enim ornatum eſſe vnumquenque oportet, qui cum Deo viuere, atque ipſo frui debet. Atq; ita de electis exiſtimare debemus, de quorum numero vnuſquiſque non ſolum optare, vt ſit, ſed ſperare poteſt, & debet: ſcire autem, & certũ habere nemini hac in vita datũ eſt, niſi cui forte Deus ipſe manifeſtare voluerit. Sed nos iã multa diximus. imponẽdus eſt tandẽ finis, ac reliqua in meridiẽ remittemus. Placuit omnibus ita agendum fore, ac ſurreximus. C

De omniũ rerũ à primo principio naturali ꝓductione, origine, numero, & ꝑfectione.

SOL cum ad cœli medium aſcendiſſet, nos ad conſtitutum caſtanetum rediuimus. vbi placidiſsimam vmbrã nacti, quæ in ſeptentrionẽ protendebatur, in corona omnes conſedimus. atq; ego, cuius alij orationem expectabant, ſic ſermonem ſuſcepi. Nunc ò magni amici, quod poſtremum ſupereſt, & promiſimus, dignitatem excellentiamq; animi noſtri demonſtrare, quoad dabitur, enitemur. quod certe recte fiet, ſi nobilitatem præſtantiamq; corporis, in quo ille ſedem domiciliumq; poſsidet, oſtenderimus, cuius gratia reliqua alia, quæ hic ſunt, corpora à Deo maximo facta, & ordinata fuere. Quod magnum indicium eſſe poteſt animum noſtrum præſtantiorem quidem eſſe, quàm fragilia illa, quę ab elementis ortum habent. Oſtenſuri autem ordinem, & rationem eorũ, quæ ſub Luna facta à Deo fuere, à primis & imperfectioribus incipiemus, quę contrario modo ſe habent ac incorporea. Hæc enim quanto ſimpliciora ſunt, tanto perfectiora redduntur: illa vero quanto magis compoſita. D

Igitur vniuerſum hoc, quem mundum dicimus, cum eſſet Deus maximus conditurus, oculos primum in medium iecit, punctumq; illic ſignauit, vbi centrum totius futurum eſſet: tum ab eo puncto lineam rectam ducens in immenſum valde protraxit, punctoq; alio terminauit: à quo rurſus & aliam lineam ducens, vndiq; à centro æquè diſtantem circulum maximum deſcripſit, in quo ſpatium omne vniuerſi concluderetur. Hoc cum ſtatuiſſet, priorem rectam lineam, & ſpatium totũ in duas

regiones

A regiones diſcreuit:quarũ ſuperior longe maior altera eſſet,exceſſus vero illius homini non eſſet notus,in quo cœleſtia locum erant habitura: atq; in illa orbes 75 deſignauit,quorum 8 tantum ſenſu perceptibiles fuere, reliqui vero intellectione magis,quam ſenſu,noti. Regio vero alia minor,& menſurabilis etiam homini,data ijs corporibus fuit,quę mutationem omnem eſſent ſuſcepturæ:quando ſuperiora non niſi eam mutationem,quæ ſecundum locum fit,erant ſubitura. Inferioris igitur regionis ſpatium totum Deus optimus ſubſtantia quadam repleuit, quæ propter imperfectionem vix entis nomen recipiebat.Cæterum neq; formam vllam,neq; figuram,neq; colorem,nec motum , neq; vllam actionem habebat,ſed tantum pati ab alio poterat,& formari , & figurari, & colorari,& moueri,& breuiter omnia fieri,quæ eſſe dicuntur. Per ſe autem nihili habebat,niſi quòd continuum quiddam erat, quòd totum id ſpatiũ replebat.quam alij matrem omnium,alij chaos,alij materiam appellauere.Informe igitur corpus hoc cum feciſſet,ſpatium totum, in quo erat, in duas regiones ſecauit,quarum ſuperior decuplo maior erat inferiore: atq; in his duo prima pulchra,& formata collocauit . in ſuperiori quidẽ innominatum illud , quod nos per conſuetudinem calorem appellauimus,in inferiori autem , quod algorem: ſeu frigus nominare ſolemus. Atque hæc duo cum informi illo corpore commiſcens duo prima entia
B conflauit,quæ iam & formata erant,& cerni poterant,& ſe mouere, atq; agitare. Vix autem orta hæc fuerant,cum & amor proprius congenitus in ipſis fuit. Nam & partem materiæ, quam nacta erant,tueri,& terminos conſtituere cæpere:tum & cupiditate ſeſe propagandi atque extendendi agi,iamq; & vicini ac fratris ſedes,& partes aggredi. Dederat autẽ Deus vtrique non ſolum deſiderium ſeſe propagandi per ſimilis generationem,ſed & virtutem, ac potentiam agendi, ſenſimque corrumpendi vicini partem,quam tangebant. Ad quam inimicitiam Deus animaduertens,id cauit,ne ſeſe penitus interimere poſſent,poſſent aũt gradibus quibuſdam miſceri.Hoc enim maxime conducebat ad generationes perfectiores mixtorum. Quapropter actiones eorum æquauit, fecitq;,vt,quanto alterum agendi potentia alterum ſuperaret,tanto patiendi,& reſiſtendi debilitate ab alio vinceretur.Igitur,cum mutuo vtrunque ſeſe propagaret in partes alterius,miſceri inuicem cępere, &,in qua materiæ parte erat frigiditas ſumma,corrupto gradu vno cępit illic eſſe & gradus vnus caliditatis:qui nec repelli,aut extingui poterat ab alijs gradibus frigiditatis,quoniam,qui erant in eadem materia,non poterant ſeſe propagare, cum iam eſſent,nec in poteſtate eſſent quicquam gignendi , quod erat, ſed id tantum,quod non erat. Sed neque gradus,qui erant in vicina ma-

teria,

teria,poterant gradum illum caliditatis deſtruere,quanquam eſſent vt & C
& ſummi.quoniam gradus ſeptem nihil poterant in ipſum agere, ob id, quod diximus iam eſſe in materia eadem. Quare relinquebatur gradus ſolum vnus,qui agere poſſet:at illo potentior tota caliditas vicini tangentis erat,quæ ſecundum gradus omnes actionem habebat in frigiditatem inducere. Idem & econtra eueniebat in gradu frigiditatis primo in caliditatem introducto,qui pariter repelli non poterat propter eaſdem cauſas.Quare vtrobique actio continenter procedebat, donec vterq; vel ad æquales gradus perueniſſent, vel alter alterum ſuperaret. Quare ex hac prima miſcella coniugationes tres factæ ſunt.vna,in qua vtrinque pares facti eſſent gradus:vna,in qua calor ſuperaret:vna,in qua frigus.Erat autem commixtio hæc vtilitatis non paruę ad ea mixta producenda,quę perfectiora futura erant.Quoniam enim calor raritatem ſibi ſummã exposcebat,frigus vero ſummam denſitatem,propter quæ neutrum poterat nec videri,nec audiri,nec odorari,nec in ſumma quicquam bene obire,fiebat quidem,vt ex admixtione contrarij & raritas & denſitas temperarentur.Ita igitur ſe habentibus duobus primis cõtrarijs & alia duo cõtraria fecit ſapientiſsimus Deus,quorum alterum ſiccitatem, alterũ humiditatem vocauimus. quę inter ſe quidem contraria erant, & ſe ſe deſtruebant,& propagabant:cum alijs vero duobus nullam habebant inimicitiã.Miſcuit igitur & hæc Deus cũ prioribus alijs, & ſiccitatis partẽ D
cum calore iunxit,partẽ cum frigore.ſimiliter et de humido fecit,verum humidum nõ ſeparauit, ſed in medio collocauit ita,vt partim calori,partim frigori admiſceretur.ſiccitatẽ vero diuiſit,& partẽ vnam dedit calori,aliã frigori ita, vt quatuor fierent coniugationes.vna & ſuprema, quæ calida erat,& ſicca: alia conſequens,quæ calida erat & humida : tertia vero,quæ erat humida & frigida: quarta vero & ima, q̃ erat frigida & ſicca:quæ magno quidem nexu totam illam regionem cõiungebat. Quod igitur calidum & ſiccum fuit,nos appellauimus ignem : quod vero calidum,& humidum,aerem:quod humidum & frigidum,aquam:quod vero frigidum & ſiccum,terram: quæ mox & elementa mixtorum omniũ ſunt vocitata.Præbebant autem duo hæc contraria noua magnam futuris mixtis vtilitatem.Nam,quod humidum erat,bene miſcibile, & bene diuiſibile,beneq; figurabile etiam erat, tum & bene continuabile cum alijs.Siccum vero propriam conſiſtentiam dabat,& figuras ſeruabat. Ex his ergo cum prima quatuor corpora feciſſet, miſcuit etiam ea inter ſe: primum duo inuicem,mox tria inuicem,mox & omnia quatuor. ac primo quidem ignem & aerem miſcens per æquale & inæquale, tres fecit coniugationes:mox ignem cum aqua commiſcens ſimiliter per æquale

&

A & inæquale, tres alias conflauit coniugationes: tum & alias tres cōmixto igne cum terra. tum aerem & aquam miſcuit, & tres alias fecit coniugationes. deinde & aerem cum terra ſactis alijs tribus coniugationibus. ac poſtremo aquam & terram miſcuit, tresq; alias cōiugationes fecit. Quare è duobus commixtis 18 in totum coniugationes formauit, ex quibus diuerſa mixta emicuere. Mox vero & omnia tria inter ſe coniunxit: primum quidem ignem, aerem, & aquam: deinde ignem, aerem, & terram: deinde aerem, aquam, & terram. quæ omnia conſimiliter per æquale, & inæquale diſcreuit: primum quidē faciens omnia æqualia, è quibus quatuor fiebant coniugationes. Deinde duo æqualia, & aliud inæquale accipiens coniugationes 24 fecit. Poſtremo ex vno ęquali, & duobus inęqualibus coniugationes quadraginta octo conflauit. In totum vero, quæ è tribus fieri poterant, ſeptuaginta ſex. quas ſi ſingulas referre velim, & moroſus fortaſſe ſim, & nobis memoria non ſuggeret orationem. Erant autem mixta hæc multo perfectiora, quàm prima illa, quæ è duobus facta fuerant. Gauiſus igitur opere ſuo opifex maximus, iamq; & alia maiora & perfectiora animo agitans miſcuit poſt hæc & omnia quatuor ſimul, per æquale & inæquale ſingula diſſecans. Ex quibus coniugationes 99 confectæ ſunt: vna quidem ex omnibus æqualibus: 6 vero è tribus æqualibus & vna inæquali: 12 autem è duabus æqualibus & duabus inęqualibus: & ex vna æquali & tribus inæqualibus 80: in totū vero 99. Magna vero vtilitas & perfectio ex eius commixtione dabatur futuris rebus.

B

Morte præuentus, atq; ad ipſam accitus immortalitatem, quod ſero inceperat abſoluere non potuit.

HIERONYMI FRACASTORII
DE VINI TEMPERATVRA
SENTENTIA. *Cap. I.*



TSI nulla penè alia res nobis æque familiaris habeatur, atq; vinum: quòd tamen natura eius non planè in aperto posita sit, sed in abscondito magis, nemi nem quidem mirari par est. Duæ enim sunt, quæ id efficiunt, causę. quarum aliæ ex ipso pēdent vino, alię ex ijs, qui de ipso scripsere. Primum enim, si ea spectemus, quæ à vino in nos fiunt, & varia profectò, & magnopere contraria prospiciemus: nam & calefacere, & frigefacere, & siccare, & humectare nos solet. vnde & aliqui pinguiores, aliqui extenuati magis ex vsu vini redduntur: quosdam porrò furentes fieri, alios torpidos & taciturnos, alios eloquentes & dicaces, nō nullos mites misericordesq;, quosdam feros & immanes & Aristoteles refert, & quotidie videmus. Qui verò de vini natura scripsere, ex antiquis quidem omnes obscuritatem quandam iniecisse visi sunt. nam alij per fabularum velamenta eam naturam significare voluere. quod vetus epigramma demonstrat. Alij breuitate sermonis non se se satis explicauere. Alij alijs contraria tradidere. Non nulli & sibi ipsis non constare videntur. quas ob res in posteros nō varię solùm opiniones ꝓpagatæ sunt, sed sæpe & controuersiæ non paruę. quod nuper medicis nostris Antonio FVMANELLO, & Bartholomæo GAIONO contigit. quorum hic quùm forte vinum calidum atque humidum assereret, ille impugnaret, vtpote siccum facultate existimans, eā excitarunt quæstionem, quā ad arbitros, & iudices deduci necesse fuerit. Quatuor.n. illi definiendæ dijudicādæq; præpositi sunt: e quibus & ego vnus, quanquam inuitus, fui. Coactus igitur ea in re sententiam dicere: tametsi scio non facile esse certum quicquam in tanta difficultate ꝓferre, quid ipse sentiam, quid iudicandum putem (auditis lectisq;, quibus se se vterq; tuetur, rationibus) per hæc exponere incipiam.

D

Quid vini nomine audiendum, & quis quæst. sensus. Cap. 2.

IN primis autem Vini nomine nullum eorū recipiemus, quæ nec simpliciter vina dicuntur. quale œnāthinum è labrusca, omphacinum ex immatura vua, melinum è pomis, oxiacanthinum è vocatis Berberis, & quale mulsum, & sapa, & mustum, & quod lora dicitur, & zitū, & eiusmodi,

A modi, sed id solum audiemus, quod simpliciter vinum appellatur, è domestica vite sua maturitate & purgatione profectum.

Illud etiam recipiemus in ꝓposita nobis quęstione, de vini natura simpliciter quæri. ita enim & philosophi, & medici intelligere solēt, quum de aqua, aut aere, aut homine, aut absinthio, & lactuca, & agarico, qualia sunt, inquirunt. quinimmo & de ipsomet vino non aliter intelligūt, quicunque de ipso quærunt.

In genere autem vinorum quædam consensu omnium calida sunt facultate, vt antiqua, & fuluorum nō nulla: quædam verò aut frigida sunt, aut non manifeste calida, qualia, quæ aquosa, vocantur à Græcis olygophora, alba, tenuia, aquæ similia. Hæc enim Galenus quādoq; non manifeste calida dixit, quandoq; frigida appellat. Nonnulla porrò exiccatiua sunt, vt antiqua, & quæ pontica & austera vocātur: quædam postremo & humida, vt alba, & aquosa, quæ aquea à natura sunt. Igitur in genere vini quum hæ differentiæ visantur, & vtrunq; contrariorum insit, alterū duorum dicere necesse est, aut scilicet, quòd vino accidunt calidum, & frigidum, humidum, & siccum, quemadmodum album, & nigrum: aut ꝗ alterum contrariorum per se inest, alterum autem per accidens. Si ergo hæ differentiæ vino accidunt, & ea natura nō magis calida est, quàm frigida: humida, quàm sicca, sed indifferens, tunc de vini natura non pos-

B sumus quærere qualis sit, nec certe aliud dicere, quàm, quòd vinorū quædam frigida, quædam humida, quædam calida sunt, quædam sicca. Verū sic Medicus ille, qui dixit vinum calidum & humidum, male protulisse videtur. quoniam ea natura non magis calida est, quàm frigida: humida, quàm sicca. at vero, si vini natura vnum aliquod contrariorum per se sibi determinat, quanquam per accidens alterum esse posit, tum de vini natura, qualis sit, inquirere satis possumus, calida ne, an frigida, humida ne, an sicca: atque ego quidem sic esse quærendum existimo. neq; enim has differētias vino accidere arbitror, sed magis certam qualitatem per se inesse, quòd & Galenum, & alios existimasse video. Sub hoc igitur sensu de vini natura inquiremus.

Quod vinum nobis proponendum. *Cap. 3.*

SEd quod nam vinum nobis ꝓponemus, si aliqua calida sunt, aliqua frigida, aliqua verò humida, aliqua sicca? horum enim aliquod per se tale esse necesse est, aliquod verò per accidens, siquidem non vtrunque contrarium per se inesse potest. Illud certe nobis factitandum erit, quod Aristoteles sæpe præcipit, respiciendum scilicet ad id, qđ in eo genere optime constitutum est. In omni enim genere aliquod vnum est, in quo ratio generis optime se habet, quodq; veluti regula est, & mensura omniū

aliorum,ac quale hoc est,tale & totum genus per se existimandum est. C Videntur autem Græci optime significare,quod vinum proprie vini naturam & rationem sortitum sit per distinctionem,quam faciunt. E vinis enim quoddam œnode vocant,hoc est vinosum,quasi vini naturam pro prie habens: nos meracum possumus appellare. quoddam verò vocant hydatode, hoc est aquosum,quasi aquæ potius, quàm vini naturã referens:quod nos dilutum solemus dicere.atque hoc neq; simpliciter vinũ vocant,in quo aquam superare vinum Galenus dicit, quemadmodum in œnode vinum longe superat aquam.In vini igitur natura perquirẽda œnode & meracum vinum nobis erit proponendum. hoc enim solum in eo genere optime cõstitutum videtur.quod enim hydatode vocãt,ex loco à propria vini natura quasi degenerasse certum est. nihil enim ꝓhibet,quemadmodum ex arte vina frangimus,& à propria natura deponimus superiniecta aqua,ita ex loci conditione vina adeò immutari, vt ne vini quidem naturam retineant.Alia porrò ob vetustatem naturam quodammodo commutauere: alia propter nouitatem nondum perfectionẽ recepere. quamobrem nec antiqua,nec admodum recentia, nec aquosa appellata,sed quæ vinosa & meraca dicuntur,ætate perfecta,nobis ꝓponemus consideranda, &,qualia hæc reperiemus,tale etiã totum genus per se vinorum dicemus. Eiusmodi autem apud antiquos erat Aruisiũ in Chio,Methymnæũ in Lesbo,apud Romanos Falernum, Cecubum, D & Sentinum,in agro nostro Rheticum: nostris autem temporibus tale erit,quod nos item Rheticum,apud Tuscos Trebianum: Romæ, quod Corsicum,& Græcum appellant:& in vniuersum,quodcunque & generosum dici meretur,siue Fuluum,siue Ruffum,aut Nigrum fuerit.quod in ætate etiam secundum antiquos media accipiendum foret, nisi ætatũ ratio apud nos iam exoleuisset.

Quòd calidum,frigidum,humidum,siccũ multipliciter dicũtur. Cap. 4.

RVrsus verò, quoniam calidum,frigidum,humidum,siccum multipliciter dicũtur,distinguenda quidem & hæc sunt nobis.non vt nouum quid adducere videamur, sed vt sublatis æquiuocationibus conueniat inter nos,quo sensũ de his loquamur.

Primum igitur tale dicitur,aliud formaliter, aliud virtualiter. vti.n. his nominibus necesse est.tale formaliter appello,quod qualitatem illam in se habet,aut habere potest, vt ignis caliditatem: virtualiter autem tale, quod ipsum quidem nec habet,nec habere potest, producere tamen in aliud potest æquiuoca(vt aiunt)generatione,si modo talia aliqua sunt. quo pacto solẽ,& lumen calida solemus dicere,non ꝙ talia ipsa ꝑ se sint, sed quod possint in aliud caliditatem producere. Porrò,quæ formaliter

talia

A talia ſunt, alia ſimpliciter & abſolute talia dicuntur, quædam per comparationem. abſolute quidem calida, frigida, humida, & ſicca ſunt ſola elementa ſimplicia. calida quidem ignis, & aer: frigida verò aqua, & terra. reliqua omnia per comparationem ſunt talia, & horũ quædam dicimus talia comparando contraria inter ſe, à ſuperante & vincente rem denominantes: calidum quidem, quod ſupra medium habet caliditatem: frigidum, quod ſupra medium frigiditatẽ habet: ęquale verò & temperatũ, in quo contraria æquantur. Quędam verò talia appellamus comparãdo ad humanum corpus, non quidem omne, ſed tẽperatũ. eſt.n. & ſua quoque cõparatio in hominum genere, & hũc calidum, hunc frigidum, illũ temperatum vocamus cõparando homines inter ſe. ſunt & aliæ comparationes, quæ ad propoſitum nõ ſunt. Quod verò ad hominem tale dicitur, aliud actu tale eſt, aliud potentia. &, quod actu tale eſt, aliud per ſe tale eſt, aliud per accidens. Rurſus, quæ potentia talia ſunt, alia in potentia actiua ſunt, alia in potentia paſsiua. potentia verò actiua, alia accidentalis, alia eſſentialis: paſsiua verò alia propinqua & per ſe, alia remota & per accidẽs. Nemo autem tędio tot diuiſionibus afficiatur, aut eas impertinentes, & ab re inductas putet, quoniam neceſſariæ ſunt omnes, & ſine quibus nemo poſsit exacte planeq; negocium hoc pertractare. Quod igitur ad hominem dicitur actu tale, illud eſt, quod per id, quod exiſtit, tale

B eſt, qualitercunq; exiſtat, ſiue per ſe, ſiue per accidens. At verò per ſe actu tale eſt, quod proprijs principijs, & inquantum ipſum, tale eſt (& ſi hîc actus, & potentia non diſtinguũtur, ſed eſſe actu, & potentia) & ſemper tale eſt, & per ſe, & ſimpliciter: vt lactuca, & portulaca tum actu, tum potentia, & ſemper frigida ſunt. at quod per accidens actu tale eſt, hoc quidem nec eſt ſimpliciter & per ſe tale, &, cum actu vno modo ſit, alio in potentia ſe habet, & ſimpliciter tale eſt, quale eſt in potentia. vt aqua calefacta actu quidem calida eſt, & dicitur, ſed per accidens, potentia verò, & per ſe frigefactiua eſt. quę vero potentia talia ſunt, ea ſunt, quæ in actu quidem non ſunt, poſſunt autẽ eſſe, ſed diuerſimode. alia.n. actum in ſe, & inquantũ ipſa, habent, ſed impeditum: alia verò non habẽt, poſſunt tñ ab alio recipere. Quæ igitur in ſe actum habent, impedita autẽ ſunt, ea in potentia accidentali eſſe dicuntur, quoniã per ſe quidem actu forent, & agerent, quoniã ex ſe habent actũ, ſed per accidens impedita ſunt, & ob id facta in potentia. quòd.n. in potentia ſint, per accidens habent. vnde & potentia illa accidentalis vocatur. vt ignis per ſe quidẽ ſurſum eſt, niſi impediatur, impeditus autem potentia fit: ſed igni accidit ſurſum eſſe potẽtia, ſiquidem per ſe ſurſum eſt. ita & aqua per ſe frigida eſt, & actu, per accidens autem impedita in potentia fit. eodem modo et Piper, & Euphor-

bium potentia calida dicuntur accidentaliter.per se.n.& ex ꝓprijs prin- C
cipijs,ex quibus constant,calida sunt:& actu forent,nisi per accidens im-
pedirentur:impedita vero potentia fiunt.cum autem dico calidum potē
tia per accidens,verbum illud per accidens determinat potentiam,& nō
calidum.neq;.n.Piper,& Euphorbium calida sunt per accidēs,sed in po-
tentia per accidens,omnia aūt hæc indigent aliquo,quod remoueat acci
dens illud, impediens. amoto aūt statim actu fiunt,& agunt, quoniam
per se talia erant.In aqua quidem calefacta aut exhalant vapores calidi,
aut alterantur à continente,aut à partibus aquæ nihil passis:in Pipere au
tem,& Euphorbio remouetur accidens à calore nostro.constāt.n.hæc ꝑ
se ex particulis calidis multis.verū illę in illa mixtiōe adeo diuisæ sunt,&
ad minima redactę,sepultæq; in frigidis,vt non agant,& actu nō sint.in-
sunt tamen,et, si accidens remoueatur,actu statim fient.remouet autem
calor noster,qui soluit mixtionem,& partes separat. Vnde,quæ calidæ
erant,separatæ à frigidis,atq; vnitæ,& nequaq̄ minimę,actu fiūt,& agūt.
Nō solū autē calor noster potest res actu facere,sed & multa alia.nam et
humiditas relaxans potest separare mixtionem,vt saliua in Pipere,& Eu
phorbio.admota.n.hæc linguæ statim actu fiunt,& non quòd calefiant à
calore nostro solum,sed quòd humefiant magis. vnde calidæ partes su-
perficiales sese ad actum efferunt soluta compagine. Pōt & contusio, &
fractio,& friatio actu res facere,vt in Iride,& cępa,quæ aut contusa, aut D
fracta,aut friata lachrymas & sternutamenta mouent non ob aliud, q̄ ꝙ
actu fiunt particulæ quædam calidæ,quæ prius potētia inerāt. Quinimo
& antiparistasis videtur actu calorē facere: quod in calce est videre sup-
iniecta aqua.qm̄.n.foraminulēta est calx,imbibitur quidem aqua in fora
minibus omnibus,succedens loco aeris abeuntis: ꝓpter contrarietatē ve-
ro vnit calorē calcis,& humida existens relaxat mixtionem. vnde actu
fiunt calidæ calcis partes,& calorem tantum excitant,quantū videmus.
sic & motus,& collisio calefacit,& ignem ex lapide pyrite suscitat.Hoc
ergo pacto se habent,quæ talia sunt potentia accidentali. omnia aūt hęc
& per se,& simpliciter talia sunt,quoniā in se ipsis habent actum, quanq̄
impeditum.In potentia verò essentiali sunt,quęcunq; in se quidem actū
non habent,sed in potētia sunt ad aliquid,quod per se habet. vt Lactuca
calida dici potest potentia,non quia per se ipsa calida sit,sed quoniam po
tentia sanguis est,qui per se calidus est.dicitur autem potentia hæc essen-
tialis,quoniam,quæ eiusmodi sunt,per se non habent actū illum,sed per
se & essentialiter sunt in potentia.quod.n.non habet,in potentia est.quā
re & quod ꝑ se non habet,per se in potentia est.Omnia autē hæc per acci
dens,& secūdum quid talia sunt.si quis.n.Lactucam hoc modo calidam

dixerit,

A dixerit, per accidens erit: si quidem non inquantum ipsa, sed inquantū aliud. s. inquantum sanguis. Lactuca. n. inquantum Lactuca calida nō est, sed si, quatenus fieri potest sanguis, calida dicatur, per accidens est, & nō simpliciter. Frigidum. n. inquit Arist. 8. phy. calidum potentia est, calidū autem factum actu fit, & calefacit. si igitur frigidum calefactiuū esse dicamus, per accidens certe dicemus. quinimo omnia, quę hoc modo talia dicuntur, & hac potentia, actū oppositū per se habēt. In potentia verò passiua sunt, quæ nec ipsa per se actū habent ex principijs ꝓprijs, & inquantū ipsa, sed possunt ab alio recipere alterata & mutata. vt sulphur in potentia ignis est, cera potentia calida. differt aūt potētia hęc à potentia essentiali, quoniā & illa per transmutationem actum recipit, sed considerabatur, quatenus actiua erat recepto actu, hæc vero per se non aliud dicit, nisi passionē. vt cera calida dicitur, ꝙ calefactibilis sit. ꝙ si cera potentia calefactiua dicatur, ꝙ prius calefactibilis sit, mox calefacta actiua sit, & calefacere possit, sic in potentia essentiali dicetur. quare idem re est esse in potentia passiua, & in potentia essentiali, q̃q̃ ratione quodāmodo differat. calidū igitur potentia passiua idē est, quod calefactibile, queādmodū potentia actiua calidum erat, quod calefactiuū. calefactibile autē dicitur, & quod pōt calefieri, & quod non solū potest, sed aptitudinem habet, & dispositionē, vt prompte calidum fiat. lignum. n. viride calefieri quidem

B potest, & ignis fieri, aptitudinē autem, & dispositionem ad hoc per se nō habet. At siccum lignū, & fomes, & sulphur, & bitumen non solum fieri ignis possunt, sed ēt & per se habent ad hoc aptitudinem quandam, licet non proprie sit aptitudo. nihil. n. aptitudinē habet ad sui corruptionem, sed præparatio magis quædam illa est. quę igitur aptitudinem habent, vt calida fiant, illa solemus per se calefactibilia dicere, quę verò non habēt, calefactibilia quidem dici pcssunt, per se autem non. Ea porrò, quæ per se calefactibilia dicuntur ꝓpter eam aptitudinem, & ꝙ potentia propinqua calida sint, & quasi sub ipsum actum, solemus ēt calida appellare. nā & ceram, & adipē, & sulphur, & bitumen res calidas dicimus, volentes significare calefactibilitatem, & promptitudinē eorū, vt talia fiant: vsurpamusq; actum pro aptitudine. sed certe oēs eiusmodi appellationes abusiuæ sunt, & improprię, ac per accidens. Calidū. n. quum quid dicimus, proprie quidem intelligimus, quod caliditatē in se habet: sicut & sanū, quod sanitatē habet. ꝙ si & illud sanum dicamus, quod proximū est, vt sanum fiat: & calidum, quod proximū, vt caliditatem recipiat, improprie quidē dicemus. actus. n. extra est, & ab alio datur, ipsa verò per se ipsa, & quatenus ipsa, talia non sunt: quippe cum sub opposito actu sint. nec sequitur, hoc calefactibile est, igitur per se & calidum. hoc. n. actū dicit, illud aptitudinem.

tudinem.aptitudo autem in re eſt,actus verò non.neq;.n.ſi ſulphur igni- C
bile ſit, ſequitur,vt & ſit ignis,niſi addatũ potentia.ſic.n.exprimimus aptitudinem. quã ob rem improprie omnia hæc dicũtur,licet per modum loquendi,& abuſum interdum ita dicamus:quam rem Gal.ſignificauit 3.de temperamentis.quũ.n.duos modos enarraſſet, quibus aliquid dicitur potentia tale,quorum prior erat de potentia actiua,alter de potentia paſsiua,quam potentiã materiæ vocant,comparans vtrumq; modum, ille, inquit,qui eſt ſecundum priorem modum,primario & proprie talis eſt: qui verò ſecundum alium modum,non primario talis eſt, ſed abuſiue. Auic. quoque,quum omnes modos diſtinxiſſet,quibus calidum, & frigidum dicuntur,loquens de eo,qui eſt in potentia paſsiua,ita dicit. Quũ verò calefacere dicimus, nolumus iſtud calefacere,ſed illud, quod prouenit ex qualitate rei,ſpecie eius remanẽte. vnde manifeſtum eſſe debet,quæ paſsiua potentia ſunt talia,ſecundum quid & per accidens talia dici:quanq̃ nonnunq̃ per conſuetudinem ita ea appellemus,quæ aptitudinem habent,& ꝓpinquam potentiam,vt talia fiant. Duo autem ſunt, quæ præcipue faciunt,vt vnum in aliud promptum ſit & aptum verti:alterum eſt diſpoſitio ſubſtantiæ eius,quod patitur,q liquida ſit,bene miſcibilis,aut ſubtilis,aut rara,aut ad paruas partes redacta: alterum eſt ꝓpinquitas gradus,hoc eſt pauca cõtrarietas. vbi.n.multa eſt contrarietas, actio multum tempus expoſcit. ſunt & aliæ concauſæ, de quibus lõgum D
eſſet dicere.ac de paſsiua quidem potentia tot dicta ſint.

Quis prædictorum modorum dicendi quidpiam aliquale noſtræ quæſtioni ſeruiat. Cap. 5.

HIs igitur modis cũ dicatur calidum,frigidum,humidũ,ſiccum,videndum tamen eſt, quonam horum modorũ quæſtio intelligenda ſit. ac in primis clarum eſt illud non quæri,an vinum calidum & humidum ſit virtualiter eo pacto, quo Solẽ & Lunam calida dicimus. Itẽ certum eſt non quæri,an abſolute & ſine vlla comparatione tale ſit vinum.quod de ſolis elementis dici ſolet.ſimiliter & illud manifeſtum eſſe poteſt non inquiri in hac.q.quæ qualitas in vini mixtione dominetur. primum quidem,quoniã propoſita nobis.q.ſub titulo & forma quæſtionis eo pacto à nobis accipienda,atq; iudicanda eſt,quo quæſtio eſt,ac difficultatem,& controuerſiam habet,non quo nemini dubia eſt,& à nullo vnq̃ adducta. At certe,quæ qualitas in vini mixtiõe pręſtet,nemini dubium vnq̃ fuit nullum eam quæſtionẽ facere.quod verò ſemper dubitatum à pleriſq; fuit,quod multi perquiſiuere,illud certe fuit,quam actionem vinum in corpus humanũ efficiat, præſertim circa paſsiuas qualitates:humectet'ne,an exiccet:in qua re & multi etiam ſcripſere.non.n.nũc

primum

A primum ea.q.tentata est. Præterea inquirere, quæ qualitas dominetur in vino, Philosophi vniuersalis negocium est, Medici autem magis, quid in humanum corpus vinum efficiat. At certe quæstio hæc & inter medicos orta est, & occasione rei medicæ, & medicis definiri commissa. quare & nos, quatenus medici, eam audimus, & diffinimus. q̃ si sub eo sensu diffinire cogamur, vt quæramus, quæ in vino prædominet qualitas, dicemus medicum illum, qui asserit vinum calidum & humidum, male profecto asserere, quoniam sic humidum est vinum quidē, calidum autē nequaq̃. aquea.n.est, quę in eo dominatur humiditas, cum qua & frigiditas necessario coniuncta est. Si.n in vino maior esset caliditas, q̃ frigiditas, & supra medium insisteret, vtiq; actu calidum esse vinū oporteret, quemadmodum & aqua calefacta actu humida est. sed re vera quęstio hæc sub illo sensu dijudicanda à nobis non est. Superest igitur, vt calidum, frigidum, humidum, siccum per cōparationem ad hominem audiamus in hac quęstione. sic.n. & ambigua est, & quæsitu digna: & sic semper intellecta, & ab alijs tentata fuit. sub hoc igitur sensu de vino agemus, primum de caliditate & frigiditate inquirentes, mox de humiditate & siccitate.

An vinum sit calidum, vel frigidum. *Cap. 6.*

IN primis igitur dicimus vinum, quatenus actu est, frigidū esse, & nos frigefacere, quod vel sensu ipso manifestum est. sed ex hoc solo rē non B esse denominandā talem secundum naturam supra demonstratum est, quoniam sæpe talis actu, per accidens est, & secundum quid. neq;.n. si hęc aqua calefacta calida est, iam & aqua simpliciter calida est, nisi tale actu per se sit. sic.n. & actu, & potentia, & semper tale erit. at vinum, tametsi actu frigidum sit, constat tamen aliter potentia esse. quare actu per se frigidum non est, sed per accidens. In proposita igitur.q. cum de vini natura quęratur, qualis sit, actualis quidem operatio abijcienda erit à ꝓposito nostro. nulla.n. natura determinari talis potest per ea, quæ sunt per accidens. relinquitur igitur, vt de vino quæramus, quale potentia sit.

Quoniam autē duplex erat potētia, actiua, & passiua, prius de actiua dicamus: quæ rursus duplex erat, accidentalis, & essentialis. igitur potentia accidentali vinum dicimus calidum proculdubio esse. constat.n. per se ex particulis calidis multis, per quas quidem per se actu esset, & calefaceret, nisi impeditum per accidens foret. quare potentia fit, sed per accidens. impedimentū autem inde est, q̃ in vini mixtione particulæ illæ calidæ diuisæ sunt, redactęq; ad minima, ac in frigidis humidis sepultę, quē admodum in Pipere, & Euphorbio diximus. quam ob causam, si actu fieri per eas debet vinum, remoueri necesse est accidens impediēs: quod fit à calore nostro, qui soluit vini mixtionem, ac separat calidas partes: quæ

separatæ

ſeparatę à frigidis,atq; inter ſe vnitę,nec iam minimę,actu fiunt,& agũt, C
quod per ſe erat:humidarum verò partium aliæ abſumuntur, aliæ cũ ſan
guine admiſcentur,&,vtcunq; aliquæ remaneant,minoris actionis ſunt,
q̃ calidæ,quum actu fiunt.Quòd autem ex multo calido conſtet per ſe vi
num, nemo eſt,qui dubitet, quum videat vini generationẽ per tantum
æſtum atq; ebullitionem fieri,videatq;, quod ab eo exhalat. Idem oſten-
dit,ꝙ celeriter vinum in ſpiritus,& ſanguinem vertitur. diximus.n.quæ
talia ſunt, oportere non longe gradu diſtare.Oſtendit & illud, ꝙ per ve
tuſtatem videmus vinum ardens fieri:quod cũ extrinſeca nulla de cauſa
cõtingat, neceſſe eſt euenire ob continuam calidarum partiũ actionem,
quæ introrſum fit.neq;.n.vnum quid eſt vinum,quanq̃ vnum videatur,
ſed diuerſis cõſtat, quorum hoc agere illud pati poteſt.ex quo fit,vt mul
tæ aqueæ partes euaporent,multæ terreæ vrantur,multæ igneæ vniãtur.
vnde tandem quaſi ardens fit vinum.Fit præterea è vino aqua illa,quę a-
qua vitę vocatur,notiſsimæ caliditatis,ardetq; more olei.quę omnia oſtẽ
dunt vinum ex multo calido per ſe conſtare.quare & in potentia accidẽ-
tali calidum eſſe,remoto autẽ accidente actu fieri,vt dictum eſt. Inſuper
dicimus vinum eſſentiali potentia,tum & paſsiua non ſolum calidum eſ
ſe,ſed eo gradu calidum,quo & ſpiritus noſtri.manifeſtum eſt autẽ hoc,
quoniam ex ſe quidem tantã caliditatem non habet,quantã ſpiritus: trãſ
mutari autem poteſt,ac conuerti in ſpiritus,ac ſic calidum fieri:quæ potẽ D
tia eſt paſsiua:factum autem calidum,vt ſpiritus,agit iam:quæ erat poten
tia eſſentialis.idem.n.re ſunt paſsiua potẽtia,& eſſentialis. Quoniam au
tem,quæ paſsiua potentia erant talia, alia aptitudinem habebant, & per
ſe calefactibilia dicebantur,alia talia erant potẽtia remota, manifeſtum,
ꝙ vinum ex his eſt,quę per ſe calefactibilia ſunt.nam nihil penè eſt,quod
tam prompte in ſanguinem mutetur,quoniam & liquidę ſubſtantiæ eſt,
& totum cum toto bene miſcibile,& gradu propinquũ ſatis. Nulla præ-
terea in ipſo eſt ſpiritualis qualitas,quæ aut attractionem prohibeat, aut
contactum.propter quæ q̃ citiſsime in ſanguinem verti natum eſt. Di-
ximus autem,quæ habent propinquitatem hãc & aptitudinem,talia etiã
denominari ab actu. quare & vinũ, ꝙ celerrime calefactibile ſit, calidũ
etiam dici nonnunq̃ ſolet. ſed hęc appellatio ꝙ non per ſe ſit & proprie,
ſed per accidens & abuſiue, dictum eſt ſupra.Nemo autem decipiatur vi
dens Gal.3. de temperamentis dicentem vinum calefactum à nobis reca
lefacere nos,nec calefacere,niſi conuerſum in ſanguinem:atq; ẽt per cali
ditatem in nos non agere,vt medicamentum.quaſi non per aliam calidi
ditatem agat in nos vinum,q̃ per acquiſitam,& quatenus factum eſt ſan
guis,& alimẽtum.quæ omnia,ſi ſuperficietenus accipianꝰ,& falſa quidẽ
erunt,

A erunt, & ijs contraria, quæ Gal. alibi de vino scripsit: falsa quidem, quoniam non calefacere vinum per propriam caliditatem, & calidum non esse potentia accidentali, vt dictum est, lõge alienum est à veritate. sic. n. frigidum per se vinum foret, calidum verò non, nisi potentia essentiali, & per accidens non, suapte natura, vt omnes volunt. Contrarium præterea est ijs, quæ Gale. scribit & eodem tertio de temperamentis, & 8 de simplicibus. hîc. n. inter medicamenta vinum ponit: illic vinum dicit esse magis alimentum, q̃ medicamentum. esse igitur medicamentum vult. sunt ergo intelligenda, quæ Gale. hic scribit, vt nil aliud velit, q̃ significare celerem vini alterationem, & conuersionem. adeo. n. cito alteratur, vt non sine acquisita caliditate agat: quinimo & maxime calefacit, vt conuersum in sanguinem, non ita tñ, vt calefaciat per sanguinis caliditatem, sed per propriã, quæ in sanguine remansit. aliqua. n. sunt, quæ, quum conuertuntur in sanguinem, augent solã quantitatem: & hæc calida sunt per accidens, & calefaciunt inquantum sanguis, & per caliditatẽ sanguinis. aliqua verò simul augent & qualitatẽ: & hæc sunt per se calida: quæ licet conuersa sint, tamen eorũ caliditas in sanguine permansit, et per illam calefaciunt: ac tale est vinum, quod simul & quantitatem, & qualitatẽ sanguinis augumẽtat, & calefactio, quæ inde fit, propria vini dicitur. quare vinum plus agit, vt conuersum, q̃ ante, & maxime calefacit, inquantum B factum sanguis. sic autem & rationem habet alimenti magis, q̃ medicamenti, nec ex hoc sequitur, vt vinum per se frigidum sit, & ꝙ sit calidum in potentia essentiali, sed magis in potentia accidentali, vt dictũ iam est. Reassumendo igitur, quæ dicta sunt, tripliciter calidum potentia dici potest vinum, potentia accidentali, & potentia essentiali, & potentia passiua. Ex his vero tribus quum ꝓprius & per se sit solus ille modus, qui est in potentia accidentali, certum est, ꝙ vinum non debemus calidum pronunciare, nec ꝙ sit tale potentia essentiali, nec tale potentia passiua, sed solum, ꝙ potentia accidentali tale sit. hoc. n. est esse per se, & simpliciter tale. Ac de frigiditate, & caliditate vini hactenus dictum sit.

Quot modis dicatur quidpiam exiccare, & humectare, & vtrum faciat vinum. Cap. 7.

DE humiditate verò, & siccitate nunc dicamus: sed prius, quot modis dicatur aliquid exiccare, & humectare, particularius explicemus. non. n. vno modo dicimus, sed multipliciter, & quod distinguendũ sit. Exiccant igitur alia formaliter. ita. n. vocemus claritatis gratia, quęcũque per qualitatem ipsam, quæ est siccitas, exiccant: alia vero exiccãt quidem, sed per aliud, q̃ per siccitatem, inter quæ cõmunissima, & efficacissima est caliditas. nam & ipsa exiccat, sed per accidens. per se. n. nõ nisi ca-

lefacere poteſt. quoniam vero cum frigido, quod calefit, & euaporat, con C
iuncta eſt & humiditas, & ſimul abit, hac de cauſa caliditas dicitur exic-
care. alia vero exiccāt per imbibitionem. ita.n. vocare poſſumus. talia au-
tem ſunt, quæcunq; foraminulenta exiſtentia humidis corporibus cohę-
rent. in foraminibus.n. eorum loco aeris abeūtis ſuccedit humidum cor-
pus ob vacuū: ſiue abeat aer, ꝙ denſetur, ſiue pellatur à contrario: ſiue at-
tractio aliqua fiat humidi à re foraminulenta: ſiue aliter cōtingat. clarum
.n. eſt per huiuſmodi imbibitionem exiccationem multorū fieri. ita exic-
cant, quæcunq; puluerulenta, & in farinam redacta ſunt. Sal verò omni-
bus exiccat modis, nam & formaliter per ſiccitatem, & per accidens per
caliditatem, & poſtremo per imbibitionē exiccat, maxime autem ꝑ im-
bibitionem: cuius ſignum eſt, ꝙ in eo humidum alienū, non vapor, ſicut
à caliditate fit, ſed actu humidum imbibitur, atq; extillat. Nonnulla exic-
cant exprimendo humidum, vt frigus. quædā poſtremo congelādo. Ex
his aūt modis oībus ſolus primus proprie exiccare dicitur, reliqui ꝑ acci-
dens ſunt: quanq̄ exiccationem, quæ à calido fit, ſolent nōnunq̄ tum Me-
dici, tum Philoſophi ceu propriā accipere, quoniam in generationibus,
& mixtionibus caliditas multum operatur exiccando, & maxima pars
exiccationum ab ea fit. ſiccitas.n. formalis paruę ſatis actiōis eſt reſpectu
caliditatis. Humectant verò conſimiliter alia formaliter per humiditatē
ipſam, alia per caliditatem: quod fit vel liquando concreta, vel extenden- D
do humidum, & penetrare faciendo. interdum & per prædictam imbibi-
tionem humectatio fit. Sicut.n. id exiccatur, à quo humidū aufertur, ita
id humectatur, in quod imbibitur, licet formaliter res humectata nō ſit.
Aliqua verò humectant prohibētia humidum exhalare: vt frigus. Ex his
verò omnibus, quę formaliter eſt, humectatio propria, & per ſe eſt. Verū,
quoniam & hæc paruæ actionis eſt in mixtionibus, ſolent philoſophi &
eam humectationē, vti per ſe, accipere, quæ per imbibitionem fit. His ſic
cōſtitutis dicimus primo vinū actu humidum eſſe tum formaliter, tum
etiam imbibitione: quod nemini dubium eſt. Verum ex hoc naturā eius
accipiendam non eſſe dictum eſt ſupra, quoniam poteſt eſſe tale per acci-
dens, vti certe eſt, quēadmodum nunc oſtendemus. Dicemus præterea
vinū potentia accidentali, & per ſe ſiccum eſſe eo pacto, quo aquæ ther-
marū, vrina, et lixiuium potentia ſunt ſicca. omnia.n. hęc ex particulis ca-
lidis, & ſiccis quàm plurimis conſtant, per quas actu per ſe forēt, niſi per
accidens impedirentur. impediuntur autē valde diuiſis particulis, & reda-
ctis ad minima, ac ſepultis in humidis, vt ſupra de calidis dictum eſt: re-
moto aūt accidente, & ſoluta mixtione actu fiunt. ꝙ autem ita ſit, & au-
thoritates in primis ſunt illuſtrium omnium medicorum, & rationes ad

hæc,

A hæc,vt arbitror,demõſtratiuę. Hipp.primum in de victus ratione vinũ,
ĩquit, calidum quid,& ſiccum eſt.Gal.8.ſimpl.vinum vetus calidum ex
3.ordine dixit,medium in 2.nouum in primo,caliditati autẽ proportio-
ne reſpondere ſiccitatem.ꝓpter quod & in de virtutibus naturalibus di-
uidens vinum in florem vocatum,& fecem,comparat fecem melancho-
liæ,florem verò choleræ.Paulus etiam ipſe,vbi naturam ſimpliciũ proſe
quitur, vinum vetus calidum & ſiccũ in 2.nouum calidum & ſiccum in
1.Oribaſius,vbi de ſiccis in 3.agit,vinum vetus enumerat:vbi de ſiccis in
2.medium:vbi de ſiccis in primo,nouum.ita & Aetius eodem penè ordi
ne.ita & Serapio,& Iſaac,& Conſtãtinus,& Haliabas,& multi alij:quos
omnes vt oſtendamus non temere loquutos, iam rationes oſtendamus:
inter quas illa prima,& ſola ſufficere poſsit,ꝙ ſupra demõſtratum eſt vi
num per ſe calidum eſſe.qua igitur ratione calidum eſt, eadem & ſiccũ
eſſe conuincitur.omnis.n.caliditas aut ignea eſt,aut aerea. At,ſi oſtende
mus vini caliditatem igneã eſſe, vtiq; manifeſtum erit & ſiccitati coniũ
ctam eſſe.Quare,ſi potentia calidũ eſt vinum, ita & ſiccum eſſe neceſſe
erit.At,ꝙ ignea ſit,quæ in vinum accedit caliditas,oſtendit primo Gale.
in 3.de acutis ſuper textu 20.quum inquit,alteratio vini aquoſi,dum vua
eius eſt in vite, parua admodum eſt : et admiſcetur ei parua quantitas &
ſubſtantia terræ,& ignis. Vini autem vinoſi diſpoſitio non eſt talis.mul-
B tum.n.abeſt ab aqua,& quãtitas caliditatis,quam acquirit,multa . eſt vn
de & odorem habet. Ariſt.quoque in proble.eo præſertim problemate,
quo quæritur,cur poſt fructus aut aqua,aut vinum potens ſuperbibendũ
eſt,igneam vocat vini caliditatem.ita & Plato in ijs,quę de legibus,cum
vino pueris interdicit.nec alia loca adducam,cum multa alia etiã eiuſdẽ
ſententiæ ſint,quoniam rationibus agendum eſt:ijs dico, quæ ex poſte-
rioribus ſumi poſſunt.quæ.n.è prioribus ſunt,naturæ ipſi, quæ facit, &
gignit,notę ſunt.Primum igitur,ꝙ ignea ſit vini caliditas,id oſtendit,ꝙ
maxime inebriat.Lac autem,& aqua, inquit Ariſt.non inebriant,ꝙ ſpiri
tuoſa non ſunt.Eſt autem aliud ſpiritus, aliud vapor. vapor quidem ille
dicitur,qui ab humido exhalat,ſpiritus,qui à terreo aduſto. hic autem ſo
lus inebriat,quoniam ſiccus eſt,& acris,& multæ materiæ . vapor autem
non inebriat,vtpote lenis,& rarę materię.propter quod vinum inebriat
magis ſpirituoſum exiſtens,lac autem,& aqua non,vtpote vaporoſa ma
gis.Signum quoq; præbet effumatio, quæ à vino ebulliente exhalat.tã-
tæ enim acrimoniæ eſt,& auſteritatis,vt nec ferri poſsit. Idem monſtrat
& aqua illa,quæ aqua vitæ vocatur,è vino ſtatim confecta,ſiccisſima om
nium liquidorum. monſtrat & vini mordacitas, ſiue in oculum iniectũ
ſit,ſiue & intra aſſumptum.omnes.n.hauſto vino,ſi meracũ ſit,ſentimus

non ſolum caliditatem,ſed etiam acrimoniam eius: acrimonia autem à C
ſicco igneo eſt. Vetus præterea vinum idem oſtendit. ſiccißimum.n.cre-
ditur,& ſupra,q̃ naturæ vini conueniat. Vnde & amarum fit,& odorē,
& ſaporem vini amittit:quod non alia de cauſa fit,q̃,vt diximus,ex actio
ne ignearum partium,ex quibus conſtat. quam naturam & antiquos phi
loſophos voluiſſe ſignificare per fabularum velamenta antiquum mon-
ſtrat epigrāma:vt intelligere liceat non temere ab antiquis fabulatū fuiſ-
ſe Baccum ex igne ortum cōbuſta Semele matre. Quamobrem, vt ad ꝓ
poſitum reuertamur,ſi ignea eſt vini caliditas,vtiq; & ſicca erit. quare,&
ſi actu ſit per caliditatem per ſe,vtiq; & actu fiet per ſiccitatem per ſe. Ad
hæc autem, ꝙ ſiccum potentia ſit, & alia ratione videri poteſt,via.ſ.illa,
quam ſolam infallacem Gal.dixit,hoc eſt experientia. tripliciter autē ex-
perientia hæc de vino fieri poteſt,tactu,per intra aſſumptionem, & per
extra applicationem. at tactus, & intra aſſumptio fallacia magis ſunt, vt
Gal.docet:tactus quidem,quoniā iudicat ſolum rem actu talē. hoc autē
ad demonſtrandā naturam fallax eſt,quoniā ſæpe eſt talis per accidēs. Aſ
ſumptio verò,quæ intra fit,ēt fallax eſt,quoniam per accidens multa pati
tur. ſæpe.n.res aſſumpta nimis diuiditur,& diſsipatur quodāmodo: ſæpe
alteri rei admiſcetur. propter quod propriā naturam non mōſtrat. vnde
nec Sinapis,nec Cœpe intra exulcerāt. At applicatio,quæ extra fit,mini
me omniū fallit,ſed maxime propriam naturā oſtendit,præſertim ſi diu D
perſeueret applicatio. propter quod in dignoſcendis naturis in hac potiſ-
ſimum innitendum eſſe Gal.iubet:& hinc experientia ſumenda lauādo,
rigādo,fouendo. At certe, ꝙ vinum & oculis applicitum lachrymas exic
cet,& toti corpori manifeſtā inducat ſiccitatem,demōſtrari nō indiget.
propter quod & vlceribus vtile Gal.dixit. tum & metallica vino lauari
docet,ꝙ ſic multo ſicciora reddātur,ꝙ ſi & eam quoq; experientiam,quę
per intus aſſumptionē fit quis deſideret,non deſunt certe indicia multa,
ꝙ vinum potentia exiccet. ac primū,ꝙ meracum vinum,ſi multum hau-
ſtum ſit,non ſolum ſitim non tollit,ſed auget magis. Item & ebriorum
labia ſemper exiccata videntur. quod verò idem maxime oſtendit,illud
eſt,quòd morbos frigidos,& humidos,quos per actualem humiditatem
ſæpe inducit vinum,vt ſpaſmū,paralyſim,& id genus,eoſdem mox inna
ta ſua caliditate,ſiccitateq; potentiali tollere ſolet:quod Gal.ſuper apho.
v. quintæ particulæ probe declarat. Item & 8 de morbis ſecundum par-
tes de cura paſsionum hepatis,optime,īquit,operātur ea, quæ cum hoc,
ꝙ ſanant diſcraſiā,etiam nutrire poſſunt. propter quod vinum optimum
eſt eis,qui abſque phlegmone, aut eryſipelate,aut dyſcraſia calida labo-
rāt. etenim & nutrit,& digerit,& vigorat,& putredini reſiſtit,et ſi diſcra
ſia

A sia facta fuerit secundum humiditatē,& frigiditatē,instanter, & infallanter eam curat.porrò macilenti quicunq; sunt,si nimio vino vtantur,non modo macriores redduntur,sed & sæpe consumpti pereũt: quod & Aristo.tradit circa problemata.Ex quibus omnibus manifestum esse potest vinum eo modo,quo potentia calidum est,eodē, atq; eadem de causa & siccum facultate per se esse.quare,actu quum humidum esset,per accidēs esse tale certũ est.Insuper & illud dicimus,tametsi vinum potētia hac accidentali siccum sit,potentia autē essentiali,& passiua humidum dici pos se.per se.n.quum humidũ non sit,sed siccũ,potest tamen conuerti in sanguinem,& quantitatē eius augere.qui per se humidus est.sed hoc per accidens esse supra monstratum est,siquidem non inquantum ipsum, sed inquantum aliud,tale est.Verum illud intelligēdũ est,ꝙ,quę in aliud cōuertuntur,& talia ob id dicuntur,alia augent solā quantitatem illius,alia simul quātitatem,& qualitatem.quæ igitur solā augēt quātitatem, & ob id dicuntur calida,aut humida,ea proprie sunt talia potentia essentiali,et per accidens,ac secundum quid,quoniam per nihil sui sunt talia, sed per aliud,in quod conuersa sunt.vt si palea cōbustiua dicatur,ꝙ potētia ignis est,qui per se comburit,palā,ꝙ hoc non inest paleæ per se, sed inquantũ ignis fieri potest.quæ verò simul augent quātitatem, & qualitatem, hæc nec sunt in potentia essentiali,nec per accidens agunt: sed talia sunt per

B se,licet conuersa agāt,quoniā per aliquid sui agunt,per qualitatem.s.quę reseruata fuit in conuersione.non.n.quando aliquid conuertitur,necesse est pati secũdum omnia. Vinum autē,quando in sanguinem vertitur, in caliditate quidem auget tum quantitatē eius,tum qualitatem, in humiditate autem non auget,nisi quantitatem.qualitatem.n.exiccat,quoniam per se siccum est,& sanguis,qui ex eo fit,siccior est per se,q̃ prius.dico autem per se,quoniā nihil prohibet,quod exiccatum est in sanguine, à partibus nihil passis reduci ad pristinam humiditatem : sicut aqua calefacta à se ipsa infrigidatur per partes nihil passas.propter hoc igitur,si vinum humidum dicatur potentia, vtiq; potentia essentiali & passiua tale dicetur, ꝙ per accidens est,& secundum quid tale.quare simpliciter & per se vinum calidum & siccum pronunciandum est, quādo tale est potentia accidentali:humidum verò per accidens,& secundum quid,et potentia essentiali,aut actu solum.

Inducuntur duo modi dicendi vinum siccum,licet sit vere humidum: & refelluntur. *Cap.* 8.

SVnt quidam amici nostri,& magni ingenij,& magnæ doctrinæ viri,qui non audentes negare authoritates tantorum hominũ per nos adductas,nec effectus siccitatis,qui in vino apparēt, concedunt quidem

exiccare

exiccare vinum,verum hoc per accidens eſſe.non.n.inquantum ſiccum, C ſed inquantum calidum id facere:nec aliud velle authores,qui vinum calidum,& ſiccum dicunt.quod quidem ſi ignoſcãt,longe eſt à veritate,et ab eo iudicio,quod in alijs præ ſe ferre conſueti ſunt,non ſolum propter prædicta,ꝙ ignea ſit,quæ in vino eſt,caliditas,ſed propter alia multa. primum quis Gal.non rideat promittentem de natura ſimplicium dicere, clamãtem verò,ac proteſtantem naturas rerum non determinandas eſſe per ea,quæ ſunt per accidens, mox ſtatim de vino agentem dicere,quod per accidens ſit? quis non rideat & Hippo.& Paulum,& Oribaſium,& alios de vino loquentes nihil de eo dicere,quod per ſe eſt, ſed de eo ſolo, quod eſt per accidẽs? ꝙ ſi ſiccitatem factam à vino,quatenus calido,veluti per ſe accepere,non diſtinguentes ab ea,quæ proprie fit, ſi & hoc ſufficit ad denominandam rem ſiccam,recte quidem à nobis dictum erit vinum potentia ſiccum eſſe. Præterea perconctemur,an maior ſit ſiccitas facta per accidẽs,an humiditas facta per ſe à vino.ſi quidem maior eſt humiditas per ſe facta,hinc maxime ridendi, ac cachinnis proſequendi erũt Hipp.& Galen.& alij,dicentes vinum ſiccum non ſolum, quia per accidens hoc ſit,ſed quoniam ſit humectatio vini maior,q̃ exiccatio.at,ſi maior eſt ſiccitas,quãq̃ per accidens facta,q̃ humiditas,quid nam per Deos mouet,ac perſuadet magni ingenij viros,vt certare velint vinum humidum potentia eſſe,quum effectus vini videatur eſſe ſiccitas, ratio autem D & authoritas omnis clament vinum ſiccum eſſe facultate: poſtremo & illud animaduertant,quod Gal.in de curandi methodo ſcribit, humidũ nullum vlceribus conuenire, ſiue per ſe humidum ſit,ſiue per accidens? Vinum ergo cum vlceribus cõuenire affirmet,ſequitur,ꝙ nec per ſe, nec per accidens humidum ſit,quatenus vlceribus conuenit. cõuenit autem non,qua actu tale eſt,ſed qua poteſtate tale.quare potẽtia nec per ſe,nec per accidens humidum eſt.

Propter hæc igitur et alia, quæ prolixitati parcentes omittimus, nec collegæ noſtri,nec principalis in cauſa hac Bartholomæus GAIONVS hanc opinionem ſequuti ſunt,ſed ab ea recedentes concedunt vinũ potentia,& per ſe,quantum ad qualitates,& complexionem attinet,calidũ & ſiccum eſſe.Scuto autem alio ſe tegentes confugiunt ad nutrimẽtum. dicunt enim,& ſi vinum,quatenus medicamentum,ſiccum eſt, tamen, quatenus alimentum,humidum eſſe:quod ſatis eſt ad verificãdam quæſtionem propoſitam.quæ cum indiſtincte poſita ſit, ſi ſenſu aliquo verificari poſsit,victoriam ſibi promittit. propter hæc igitur quædam pauca de vino dicemus, quatenus alimẽtum eſt,cum, quæ dicta hactenus ſunt, de vino ſecundum ſe dicta ſint.

Dicitur

A Dicitur ergo proprie cibus,qui futurus est alimentum: alimentum autem,quod aut restaurat,aut proximum est,vt restauret, quod deperditũ est in membris.differt autem alimentum à medicina, ꝙ alimentum per se non agit,nec alterat,sed patitur solum,& restaurat. Medicinæ autem ratio in eo est,ꝙ alterat,& agit. Verum illud bene aduertendum est,ꝙ, licet cibus,& alimentum à medicina differãt, cibus tamen calidus aut humidus,& alimentum calidum aut humidum non differunt à medicina calida aut humida, sed eandem rationem habent:quod multi medici nõ considerant.Id.n.quod alit,quatenus alit,nec calidum est,nec frigidum: quoniam verò cum eo,ꝙ alit,coniunctę sunt qualitates,volẽtes nos temperiem & intemperiem significare appellamus calidum cibum, & calidum alimentum,frigidum cibum,& frigidum alimentum,& temperatum cibum,& alimentum. ita & humidum, & siccum temperatum quidem dicimus,quod corpus nostrum nec calefacit,nec refrigerat: & hoc proprie et solum alimentum est,siquidem non alterat:at calidum cibum dicimus,qui calefacere potest cum hoc,ꝙ nutrit:frigidum,qui frigefacere. quare in hoc non differt cibus à medicina . vtrunque enim considerant,vt alterans. & cibus omnis, qui calidus est,etiam & medicina calida est,omnis quoque medicina,quæ etiam cibus est,si calida est, & cibus calidus est,& nutrimentum ex ea factum est calidum.calidum autem nu-
B trimentum est,quod restaurat,quod deperditum est, calidius, q̃ prius. quare eadem est consideratio cibi humidi,& calidi,& medicinæ calidæ, & humidæ ob id,quod nomina hæc calidum,frigidum, humidum, siccum semper qualitatem significant,& complexionem. Simpliciter igitur cibus calidus, vel alimentum calidum, & medicamentum calidum est,vel fuit: & calidum medicamentum,calidus etiam cibus,& alimentum,si cibus,& alimentum sit.Sed illud repetẽdum est,quòd illud,quod conuertitur,& alimentum fit,vel auget quantitatem solam,vel simul auget quantitatem,& qualitatem. si quidem vtrunque augeat, simpliciter talis cibus,& tale alimentum dicitur.Si verò solam augeat quantitatem, in potentia essentiali tale est,& per accidens tale dicitur. vt lactuca calida potentia essentiali est,& cibus calidus per accidens,& ex ea factus sanguis calidus quidem quantitate est solum,non autem qualitate. Quum igitur dicunt collegę nostri vinum humidum,vt alimentum,quęrimus, quo pacto intelligunt. Vtrum vinum sit cibus & alimentum humidum per se,& simpliciter,an humidum,quoniam augeat quantitatem sanguinis,qui humidus est. si quidem primo modo dicunt, tunc falso certe dicunt,quoniam cibus & nutrimentum per se tale,non solum quantitatẽ, sed etiam qualitatem sanguinis adauget.Quomodo igitur potest vinum

qualitatem

qualitatem ſanguinis augere, ſi concedunt per ſe potentia ſiccum eſſe vi C
num,& complexione?ſi verò dicunt idcirco humidum dici,ꝙ quantitatem ſanguinis humidi augeat,verum quidem dicunt,ſed hoc nõ per ſe, & ſimpliciter tale eſt, ſed per accidens, & ſecundum quid, vt toties eſt demonſtratum.quam ob cauſam,ſiue vt nutrimentum, ſiue vt agens accipiatur vinum,ſimpliciter ſiccum eſt dicẽdũ,& per ſe. Quapropter nullæ latebræ,nulla diuerticula relinquuntur dicentibus vinum calidum & humidum,ad quæ confugiant.ſupereſt igitur,aut ipſi arma dẽt, aut nos poſtremo arma demamus.dememus autem, ſi tandem adduxerimus tũ autoritates quaſdam,tum rationes,q̃bus,vt exiſtimamus,decepti, & male freti auſi ſunt in pugnam prodire.ſunt autem ferè hæc.

Quòd vinum ſit humidum, contra veritatem,& determinata oſtenditur. *Cap. 9.*

IN primis igitur,ꝙ humidum & actu,& potentia,& ſemper ſit vinum, ex hoc aliquis poſſet exiſtimare,ꝙ in omni prima digeſtione, ſecũda, & tertia,& ante conuerſionem,& poſt,vinum ſemper liquidum eſt.omne autẽ liquidum eſt actu humidum.vinum igitur ſemper humidũ erit. præterea aquã dicit Gal.frigiditatem amittere poſſe, humiditatem autẽ non.vinum autẽ eſt aquæ ſpecies,vt in quarto metho.declaratur.qua igitur ratione aqua humiditatem non amittit,eadem nec vinum. quod cõfirmatur.ſi.n.amittit,quęrimus,à quo: nõ quidem à ſanguine,qui humi D
dus eſt, nõ à calore noſtro innato,qui & ipſe humidus eſt:à membris autem ſi id recipit, quum ſicciora ſint, humidius igitur erit vinum,q̃ membra.Ad hæc autẽ dictum eſt ſupra,quod in aliud facillime vertitur, oportere ꝓximum gradu illi eſſe.at vinum facillime omnium in ſanguinem vertitur.ꝓximum igitur gradu oportet ſanguini eſſe,non ſolum caliditate,ſed etiam humiditate:alioquin,ſi altera qualitate longe diſtet, non cito vertetur in ipſum.igitur,quum ſanguinis longo interuallo humidior ſit,q̃ membra,vinum quoq;, quod ſanguini ꝓximum eſt,humidius erit, q̃ membra.Item vinum aut eſt humectabile,aut humectatiuum. humectabile autem quomodo ſit, quod maxime humidum eſt? Igitur erit humectatiuũ.Adde,ꝙ ſitim tollit,ſomnum & letitiã facit,impinguat, morbos humidos efficit:quæ omnia non niſi ab humido fiunt. Ariſt.in prob. de vino ſcribens,vinum calidũ & humidum pronunciat. Gale.porrò in ijs,quæ de tuenda ſanitate, vinum pueris dandum negat,ꝙ calidi ſint,& humidi.quare, ſi vino vtãtur,plus æquo vtraq; qualitate augeantur.hoc enim facere vinum ſenibus non concedit, ꝙ frigidi & ſicci ſint. per contraria.n.curare eos iubet.talia autem ſunt,inquit,vinum,balnea, & ciborum quicunq; calefacere ſimiliter ac humectare poſſunt. In ijs quoque,

quæ

A quæ de pulsibus, vinum scribit calidum & humidum. Item in de acutis ait vinum humectare magis, q̃ aquã. Auicē. quoq; primo canonum suorum, Vinum, inquit, fortiter humectat. & in regimine siccarum, & frigidarum complexionum vinum conuenire scribit, ꝙ contrarium sit vtriq; qualitati. idem & in capite de melancholia. sunt & alia multa, quæ, quoniam eundem habent intellectum, omittimus. Atq; hæc arma illa sunt, quibus, dum muniti erunt & freti, nunquam manus dent: nos vero & imbecillia satis esse, & quæ primo congressu cito dissiliant, ostendemus.

Soluuntur veritati obiecta. Cap. 10.

PRimum quidem, quod dicit liquidum omne actu humidum esse, vinum verò in omni digestione liquidum esse, peccat nimirũ vtrũque. Liquidum enim omne humidum est non ad hominem facta comparatione. sic. n. & succus nucum, & vinum omphacinum, & acetum, & aqua ardens vocata humida essent. Sed neque illud recte dicitur, vinum in omni digestione liquidum esse, quando pręter primam digestionem, quæ in stomacho fit, nō existit vinum, sed inexistit. admiscetur. n. sanguini secundum diuersas partes, cæterum calidis & siccis præpotentibus. Aquam verò nunq̃ humiditatem amittere verum est, dum aqua remanet, ita & vinum, dum vini prima mixtio manet. & aquę species nunquã
B amittit humiditatē, at, cum actu fit, & soluitur mixtio, humectatio amittitur. Amittitur autem à calore nostro, non ꝙ exiccet vini humiditatem, sed ꝙ separet mixtionem, & eleuet partes calidas, & vniat, vt dictum est. Vinum autem oportere non longe à sanguine qualitatum gradu distare, & si non semper necessarium est in eis, quæ cito transmutantur: sufficit. n. interdum sola posibilitas subiecti, & magna proportio agentis, tamen & nos confiteamur. Verum illud oportet considerare, ꝙ nec vinũ, nec sanguis vnum quid sunt, nec, vt Græci dicunt, homogenea, sed vtrũque è diuersis constat partibus, alijs quidem calidis, alijs humidis. quum autem vinum in aliud vertitur, miscentur quidem, ac separantur partes illę: quæ verò calidæ sunt, vini partem calidas sanguinis facillime transeunt, humidæ verò in humidas. Quare verũ est nō distare gradu vnũ ab alio, sed oportet referre suá suis, & consimilia consimilibus. cum hoc tamen stat plures, & maioris actionis esse in ea miscella calidas & siccas partes, q̃ humidas: quare & sanguinem inde sicciorem reddi, q̃ prius esset, nisi partes sanguinis nihil passæ contra agant, vt dictum est. humectabile vero est vinum, non quatenus actu est, sed quatenus est potentia siccum. quum. n. actu fit per suas partes, agit per illas, & sanguinem exiccat: à quo cum repatiatur, humectabile quidē hoc pacto fit, quatenus quidē

ficcum eſt.ſitim autem tollit,quanq̃ potentia ſiccum ſit,per eam humidi ditatem,quam actu habet,quod & aquæ thermarum faciunt ſufficit.n. humiditas illa,quoniam ſitis appetitus eſt humidi ob deperditum ſuperficiale humidum,quod reſtaurat vinum prius,q̃ actu ſit factum ſiccum. Somnum etiam affert per primam euaporationem,quæ è vino,fit in qua partes tum calidæ,tum humidæ euaporant:ſurſum autem latæ, & à cerebro infrigidatæ caput grauant,& ſomnum adducunt. Lętitiam verò apportat vinum,quoniam tum ſanguinem multum, tum ſpiritus multos facit,quæ animæ ſunt inſtrumenta. Vnde & illa diſpoſitio inducitur, cũ qua anima optime ſe habet:hæc autem ad lęta bene parata eſt.de quo plura dicenda eſſent.Impinguat verò vel maxime vinum,ſi moderate ſumptum ſit. Auget.n.ſanguinem,& pabulum caloris,quatenus vinum eſt: quatenus verò temperatum, & paucum ſumitur, non addit nocumentum in ſanguine propter ſuam ſiccitatem,quoniã cito illa remittitur pauca exiſtens,ſanguine ſeſe ipſo ad priſtinam naturam reſtituente per partes nihil paſſas.ꝙ ſi non moderate ſumptum fuerit,non ſolum non impinguat,ſed emaciat magis,& ſæpe abſumpto pabulo caloris perdit. Humidum verò dicere per ſe vinum,ꝙ humidos morbos faciat,ſic quidem eſt & frigidum dicere,ꝙ morbos adducat frigidos. dicemus autem iam, quo pacto in nobis morbos faciat. Quum verò Ariſt. vinum calidum & humidum profert,illud intelligi oportet,nihil aliud velle ipſum, q̃ ꝙ vinum ex multo calido,& multo humido conſtat. Demonſtraturus enim cauſas quorundam effectuum,qui à vino fiunt,quorum alij à calido, alij à frigido contingunt,duas aſſumit propoſitiones:quarum altera eſt,ꝙ vinum ex multo calido,& multo humido conſtat,altera,ꝙ humidum remanens humidum,aut à quo euaporat calidum, frigidum eſt. quare & humido tunc vtitur per accidens: vt intelligere liceat hic non tradere cõplexionem vini.hauſto igitur vino,ſi non obtineatur,& digerat̃ à calore noſtro,ſed remaneat,quale erat,humidũ.ſ.aut alteretur eò ſolum,quò calidum euaporet,tunc vinum frigidũ redditur. Vnde & effectus,qui conſequuntur frigus,proueniunt. ebrioſorum enim multi & frigent, & rigent,& ſolem amant,& infœcundi ſunt ſemine:quod & Galen.optime 3.de temperamentis declarauit. &, ſi à calore noſtro obtineatur vinum, & in venas diſtribuatur,ac demum actu fiat,potens autem, aut multum ſit,tunc effectus calidi proueniunt.ſic enim & furentes facit,& ſitim auget,& emaciat,ac etiam abſumit conſumpto humido.quare humiditatẽ actualem vult eo loco Philoſophus.Quod verò Gal.vinum pueris prohibeat, ꝙ ijs obſit humectatione:ſenibus verò concedat,ꝙ proſit, & nos recte dictum affirmamus.duos enim in de temperamentis eſſe modos de-

clarauerat,

A clarauerat,quibus aliquid calidum,frigidum,humidum,ſiccum dicitur: quorum vnus eſt de eo,quod auget quantitatem calidi,frigidi, humidi, ſicci:alter de eo,quod ſimul auget & qualitatem. Secundum ergo priorem modum locutus eſt in ijs,quæ de tuenda ſanitate: quod ipſemet declarat in de virtutibus animalibus,vbi reddit rationem,cur eſt, ꝙ Plato vinum pueris negauerit.dicit enim pueros calidos eſſe,nā & multo ſanguine abūdare in venis,et ſi vino vtātur ,plus nimio aucturos eſſe ſanguinem, & ſic calidiores & humidiores futuros, quàm par ſit.humidiores autem non ſolum quantitate,ſed etiam qualitate,quoniam ſanguis plurimus in pueris,quanquam etiam ſiccior primo fiat à vino, mox tamē ſe ſe ipſe ad primam naturam reſtituit.Sed certe propter hoc,ꝙ ita Gal.humectatiuum dicit vinum,quod eſt in potentia eſſentiali & per accidens, accipere vinum per ſe humidum eſſe,eſt profecto,quod per accidens eſt, accipere pro eo,quod per ſe eſt.Quum verò & Auic.dicit fortiter humectare,& ſenibus,& melancholicis,& naturæ ſpirituum conuenire,veriſſima omnia ſunt bono ſenſu.nihil enim eſt,quod humectet nos magis, quàm vinum.primum enim actuali ſua humiditate multum operatur, quæ ſatis longo tempore perdurat. Vinum enim prius actu calidum fit, quàm ſiccum.dupliciter nanque fit exiccatio,& à ſiccitate, & à caliditate.quæ igitur à ſiccitate fit,paruæ actionis eſt:quæ vero à caliditate,maioris quidem actionis eſt,ſed oportet caliditatem quàm multum prius agere,quàm exiccare poſsit.Propter quod vinum actu humidum aliquanto tempore perdurat. vnde & ſitim tollit,& iuncturas emollit. Mox verò actu fit tum caliditate,tum ſiccitate. deinde trāſmutatum in ſanguinem eius quātitatem magnopere auget,per quam humectatio etiam fit in toto corpore magna.quoniam enim calor innatus cōtinue abſumit humidum,& ſubſtantiam membrorum exiccat,ſiquidem ſero & parum reapponatur de eo,quod deperditum eſt,conſumptio quàm maxime procedit.At,ſi cito & large reapponatur,quod eſt deperditū,prohibetur exiccatio procedere.habet enim calor,vnde pabuletur.& interea ſanguis,qui per ſe humidus eſt,qualitate etiā membra humectat, Propter igitur omnia hæc vinum vel maxime humectare dicitur,ſed certe vtranq; humectationem per accidens habet.quæ enim humectatio actu eſt,per accidēs quidem eſt,vt prædiximus,quæ verò fit augendo ſanguinem, etiam per accidens,& ſecundum quid.quare neque per hunc,neque per illum modum ſimpliciter humidum dicendnm eſt vinum,ſed ſimpliciter, & per ſe ſiccum eo modo,quo dictum eſt.In ijs vero,quæ de pulſibus,humiditatem actualem vini vult, qua etiam vtitur,vt cauſa per accidens vel materiali ad mutandum pulſum.ſiquidem per ſe cauſa eſt vini caliditas,hu-

B

miditas verò solum facit, vt cito paßibile sit per venas. Vniuersaliter, si qua authoritas humidum facit vinum, ea quidem aut de actuali, aut de potentiali paßiua, & essentiali est. C

Quæstionis decisio, iudicisq; sententia. *Cap. 11.*

DEterminantes igitur, diffinientes, ac etiam iudicantes propositam nobis quæstionem, declaramus, atque pronunciamus medicum illum, qui asserit vinum calidum & humidum, male proculdubio asserere, eum verò, qui negauit propositionem, atq; impugnauit, recte iusteq; negasse, atque impugnasse. quocunque enim modo intelligatur, propositio simpliciter falsa est. Si enim intelligatur per comparationem ad prædominantem qualitatem, sic falsum quidem assumit, vinum calidum esse: si vero per comparationem ad hominem, falsum est humidũ esse. Humidum enim cum sit vinum, aut actu per accidens, aut potentia essentiali, vel paßiua tantum, siccum vero sit potentia accidentali, hic autem modus per se, & simpliciter talis est illi secundum quid, & per accidens, manifestum, ꝙ vinum simpliciter calidum & siccum est pronunciandum: siue vt medicina, siue vt cibus, & alimentum sumatur. atq; ita propositionem simpliciter prolatam, & nobis simpliciter declarandam propositam, falsam esse dicimus. Quis enim tam fatuus iudex sit, qui proposita sibi quæstione, vtrum hyems frigida sit an calida, calida dicat, ꝙ calefaciat corpora nostra, et digestionem vigoret? aut proposita quęstione, an bonum sit proijcere merces in mare. bonum decernat, ꝙ in tempestate sit bonum? Quare & nos, cum propositio illa plurimis modis intelligi poßit, quorum alij per se, & simpliciter tales sint, alij secundum quid, & per accidens, ridiculi quidem iudices dicemur, si simplicem sensum relinquentes veram illam decernamus, ꝙ per accidens, & secundum quid vera esse poßit. Quam ob causam, vt tandem sermonem claudamus, dubij huius victorem ANTONIVM FVMANELLVM declaramus, & pronunciamus. D

Hoc Hierony. Fracasto. MDXXXIIII. Die IX. Septẽb.
Prætore Clariß. Ioanne Contareno.

VETVS EPIGRAMMA.

Infantem Nymphæ Bacchum, quo tempore ab igne
Prodijt, inuentum sub cinere abluerant.
Ex illo Nymphis cum Baccho gratia multa est,
Seiunctus quòd sit ignis, & vrat adhuc.



HIERONYMI FRACASTORII SYPHILIDIS, SIVE MORBI GALLICI LIB. TRES,

AD PETRVM BEMBVM.

LIBER PRIMVS.



VI casus rerum varij, quæ semina morbũ
Insuetum, nec longa ulli per secula visum
Attulerint: nostra qui tempestate per oẽm
Europã, partimq́; Asiæ, Libyæq́; per urbes
Sæuijt: in Latium vero per tristia bella
Gallorum irrupit, nomenque à gente recepit:
Necnon & quæ cura, & opis quid comperit usus,
Magnaq́; in angustis hominum solertia rebus,
Et monstrata Deûm auxilia, & data munera cœli
Hinc canere, & longe secretas quærere causas
Aëra per liquidum, & vasti per sydera Olympi
Incipiam: dulci quando nouitatis amore
Correptum, placidi naturæ suauibus horti
Floribus inuitant, & amantes mira Camœnæ.
BEMBE *decus clarum Ausoniæ, si fortè vacare*
Consultis Leo te à magnis paulisper, & alta
Rerum mole sinit, totum qua sustinet orbem:
Et iuuat ad dulces paulum secedere Musas:
Ne nostros contemne orsus, medicumq́; laborem,
Quicquid id est. Deus hæc quondam dignatus Apollo est:
Et paruis quoq́; rebus inest sua sæpe voluptas.
Scilicet hac tenui rerum sub imagine multum
Naturæ, fatiq́; subest, & grandis origo.
Tu mihi, quæ rerum causas, quæ sydera noscis,
Et cœli effectus varios, atq́; aëris oras,
Vranie, (sic dum puro spatiaris olympo,
Metirisq́; vagi lucentes ætheris ignes,

Concentu

Concentu tibi diuino cita sydera plaudant)
Ipsa ades, & mecum placidas Dea lude per vmbras,
Dum tenues auræ, dum myrtea sylua canenti
Aspirat, resonatq; cauis Benacus ab antris.
Dic Dea, quæ causæ nobis post secula tanta
Insolitam peperere luem? num tempore ab illo
Vecta mari occiduo nostrum peruenit in orbem,
Ex quo lecta manus soluens de littore Ibero
Ausa fretum tentare, vagiq; incognita ponti est
Aequora, & orbe alio positas perquirere terras?
Illic nanque ferunt æterna labe per omnes
Id morbi regnare vrbes, passimq; vagari
Perpetuo cœli vitio, atq; ignoscere paucis.
Commercine igitur causa accessisse putandum est
Delatam contagem ad nos, quæ parua sub ipsis
Principijs, mox & vires & pabula sensim
Suscipiens, sese in terras diffuderit omnes?
Vt sæpe in stipulas cecidit quum fortè fauilla
De face, neglectam pastor quam liquit in aruo,
Illa quidem tenuis primum, similisq; moranti
Incedit: mox, vt paulatim increuit eundo,
Tollitur, & victrix messem populatur & agros,
Vicinumq; nemus, flammasq; sub æthera iactat.
Dat sonitum longe crepitans Iouis auia sylua,
Et cœlum latè circùm, campiq; relucent.
At vero, si rite fidem obseruata merentur,
Non ita censendum: nec certe credere par est
Esse peregrinam nobis, transq; æquora vectam
Contagem: quoniam in primis ostendere multos
Possumus, attactu qui nullius hanc tamen ipsam
Sponte sua sensere luem, primiq; tulere.
Præterea & tantum terrarum tempore paruo
Contages non vna simul potuisset obire.
Aspice per Latij populos, quiq; herbida Sagræ
Pascua, & Ausonios saltus, & Iapygis oræ
Arua colunt: specta, Tyberis quà labitur, & quà
Eridanus centum fluuijs comitatus in æquor,
Centum vrbes rigat, & placidis interfluit vndis:
Vno nón ne vides vt tempore pestis in omnes

Sæuijt? ut sortem pariter transegimus unam?
Quinetiam externos eadem per tempora primum
Excepisse ferunt: nec eam cognouit Ibera
Gens prius, ignotum quæ scindere puppibus æquor
Ausa fuit, quàm quos disterminat alta Pyrene,
Atque freta, atque Alpes cingunt, Rhenusq; bicornis:
Quàm reliqui, quos lata tenet gelida ora sub Arcto.
Tempore non alio Pœni sensistis, & omnes
Qui lætam Aegyptum metitis, fœcundaq; Nilo
Arua, & palmiferæ syluas tondetis Idumes.
Quæ quum sic habeant sese, nempe altius isti
Principium labi, rerumq; latentior ordo,
(Ni fallor) grauiorq; subest, & maior origo.
Principio quæq; in terris, quæq; æthere in alto
Atque mari in magno Natura educit in auras,
Cuncta quidem nec sorte una, nec legibus iisdem
Proueniunt, sedenim, quorum primordia constant
E paucis, crebro ac passim pars magna creantur:
Rarius ast alia apparent, & non nisi certis
Temporibúsue, locísue, quibus uiolentior ortus,
Et longè sita principia: ac nonnulla prius, quàm
Erumpant tenebris & opaco carcere noctis,
Mille trahunt annos, spaciosaq; secula poscunt.
Tanta ui coëunt genitalia semina in unum.
Ergo & morborum quoniam non omnibus una
Nascendi est ratio, facilis pars maxima uisu est,
Et faciles ortus habet, & primordia præstò.
Rarius emergunt alij, & post tempore longo
Difficiles causas, & inextricabile fatum,
Et serò potuere altas superare tenebras.
Sic Elephas sacer Ausonijs incognitus oris,
Sic Lichen latuere diu, quibus incola Nili
Gens tantum, regioq; omnis uicina laborat.
De genere hoc est dira lues, quæ nuper in auras
Exijt, & tandem sese caligine ab atra
Exemit, durosq; ortus, & uincula rupit.
Quam tamen (æternum quoniam dilabitur æuum)
Non semel in terris uisam, sed sæpe fuisse
Ducendum est, quanquam nobis nec nomine nota

Hactenus

Hactenus illa fuit: quoniam longæua vetustas
Cuncta situ inuoluens, & res, & nomina delet:
Nec monumenta patrum seri videre nepotes.
Oceano tamen in magno sub sole cadente,
Quà misera inuentum nuper gens accolit orbem,
Passim oritur, nullisq; locis non cognita vulgo est.
Vsqueadeo rerum causæ, atque exordia prima
Et cœlo variare, & longo tempore possunt.
Quodq; illic fert sponte aer, & idonea tellus,
Huc tandem annorum nobis longa attulit ætas.
Cuius fortè suo si cunctas ordine causas
Nosse cupis, magni primum circunspice mundi
Quantum hoc infecit vitium, quot adiuerit vrbes.
Quumq; animaduertas tam vastæ semina labis
Esse nec in terræ gremio, nec in æquore posse,
Haud dubie tecum statuas reputesq;, necesse est,
Principium, sedemq; mali consistere in ipso
Aëre, qui terras circum diffunditur omnes,
Qui nobis sese insinuat per corpora vbiq;,
Suetus & has generi viuentum immittere pestes.
Aër quippe pater rerum est, & originis autor.
Idem sæpe graues morbos mortalibus affert,
Multimode natus tabescere corpore molli,
Et facile affectus capere, atque inferre receptos.
Nunc vero, quonam ille modo contagia traxit,
Accipe: quid mutare queant labentia secla.
In primis tum Sol rutilus, tum sydera cuncta
Tellurem, liquidasq; auras, atq; æquora ponti
Immutant, agitantq;: vtq; ipso sydera cœlo
Mutauere vicem, & sedes liquere priores,
Sic elementa modis varijs se grandia vertunt.
Aspice, vt, hybernus rapidos vbi flexit in Austrum
Phœbus equos, nostrumq; videt depressior orbem,
Bruma riget, duratq; gelu, spargitq; pruina
Tellurem, & gelida glacie vaga flumina sistit.
Idem, vbi nos Cancro propior spectauit ab alto,
Vrit agros, arent nemora, & sitientia prata,
Siccaq; puluereis æstas squallescit in aruis.
Nec dubium, quin & noctis nitor, aurea Luna,

Cui

Cui maria alta, omnis cui rerum obtemperat humor:
Quin & Saturni graue sydus, & æquior orbi
Stella Iouis: quin pulchra Venusq; & Martius ignis,
Ac reliqua astra etiam mutent elementa, trahantq;
Perpetuum, & late magnos dent vndiq; motus:
Præcipue sedem si quando plurima in vnam
Conuenere, suo vel multum deuia cursu
Longe alias tenuere vias. hæc scilicet annis
Pluribus, & rapidi post multa volumina cœli
Eueniunt, Dijs fata modis voluentibus istis.
Vt vero euenisse datum est, numerumq; diesq;
Exegere suos, præfixaq; tempora fatis,
Proh quanta aërios tractus, salsa æquora quanta,
Telluremq; manent: alibi quippe omnia late
Cogentur spatia in nubes, cœlum imbribus omne
Soluetur, summisq; voluti montibus amnes
Præcipites secus syluas, secum aspera saxa,
Secum armenta trahent: medius pater impete magno
Aut Padus, aut Ganges super & nemora alta, domosq;
Turbidus, æquabit pelago freta lata sonante.
Aestates alibi magnæ condentur, & ipsæ
Flumina speluncis flebunt arentia Nymphæ.
Aut venti cuncta inuertent, aut obice clausi
Excutient tellurem imam, & cum turribus vrbes.
Forsitan & tempus veniet, poscentibus olim
Natura, fatisq; Deum, quum non modo tellus
Nunc culta, aut obducta mari, aut deserta iacebit,
Verum etiam Sol ipse nouum (quis credere possit)
Curret iter, sua nec per tempora diffluet annus.
Ast insueti æstus, insuetaq; frigora mundo
Insurgent, & certa dies animalia terris
Monstrabit noua, nascentur pecudesq; feræq;
Sponte sua, primaq; animas ab origine sument.
Forsitan & maiora audens producere tellus
Cœumq;, Enceladumq; feret, magnumq; Typhoëa,
Ausuros patrio superos detrudere cœlo,
Conuulsumq; Ossan nemoroso imponere Olympo.
Quæ quum perspicias, nihil est, cur tempore certo
Admirere nouis magnum marcescere morbis

Aëra, contagesq; nouas viuentibus ægris
Sydere sub certo fieri, & per secula longa.
Bis centum fluxere anni, quum flammea Marte
Lumina Saturno tristi immiscente, per omnes
Auroræ populos, per quæ rigat æquora Ganges,
Insolita exarsit febris, quæ pectore anhelo
Sanguineum sputum exagitans (miserabile visu)
Quarta luce frequens fato perdebat acerbo.
Illa eadem Assyriæ gentes, & Persidos, & quæ
Euphratem, Tigrimq; bibunt, pòst tempore paruo
Corripuit, ditesq; Arabas, mollemq; Canopum:
Inde Phrygas, inde & miserum trans æquora vecta
Infecit Latium, atq; Europa sæuijt omni.
Ergo age iam mecum, semper sese æthera circum
Voluentem, superumq; domos, ardentiaq; astra
Contemplare, animumq; agitans per cuncta, require,
Quis status illorum fuerit, quæ signa dedere
Sydera, quid nostris cœlum portenderit annis
Hinc etenim tibi fortè nouæ contagis origo
Omnis, & euentus tanti via prima patescet.
Aspice, candentes magni qua Cancer olympi
Excubat ante fores, & brachia pandit aperta:
Hinc diræ facies, hinc se diuersa malorum
Ostendent portenta: vna hac sub parte videbis
Magna coisse simul radijs ardentibus astra,
Et coniuratas sparsisse per aëra flammas:
Flammas, quas longe tumulo Sirenis ab alto
Prospiciens senior vates, quem dia per omnes
Cœlicolumq; domos duxit, docuitq; futura
Vranie: miseras, inquit, defendite terras
O superi, insolitam video per inania ferri
Illuuiem, & magnos cœli tabescere tractus.
Bella etiam Europæ miseræ, bella impia, & agros
Ausoniæ passim currentes sanguine cerno.
Dixit, & illa etiam scriptis ventura notauit.
Mos superûm est, vbi secla vagus sol certa peregit,
Ab Ioue decerni fata, & cuncta ordine pandi,
Quæcunq; euentura manent terrasq;, polumq;.
Quod tempus quum iam nostris venientibus annis
Instaret,

Instaret, rerum summus sator, & superum rex
Iuppiter acciri socios in rebus agendis
Saturnum, Martemq; iubet: bipatentia Cancer
Limina portarum reserat, dijsq; atria pandit.
Conueniunt, quibus est fatorum cura gerenda.
Impiger ante alios flammis ferroq; coruscans
Bellipotens Mauors, animis cui prælia & arma,
Vindictæq; manent, & ouantes sanguine cædes.
Post placidus curru inuectus rex Iuppiter aureo
Insequitur (ni fata obstent) pater omnibus æquus.
Postremus, longaq; via tardatus & annis
Falcifer accedit senior, qui haud immemor iræ
In natum veteris, nato & parêre recusans,
Sæpe etiam cessit retro, & vestigia torsit,
Multa minans, multumq; animo indignatus iniquo.
Iuppiter at solio ex alto, quo se solet vno
Tollere, percenset fata, & ventura resoluit,
Multum infœlicis miserans incommoda terræ,
Bellaq;, fortunasq; virûm, casuraq; rerum
Imperia, & prædas, adapertaq; limina morti:
In primis ignota noui contagia morbi:
Morbi, qui humanæ nulla mansuescat opis vi.
Assensere Dei reliqui: concussus Olympus
Intremuit, tactusq; nouis defluxibus æther.
Paulatim aerij tractus, & inania lata
Accepere luem, vacuasq; insuetus in auras
Marcor ijt, cœlumq; tulit contagia in omne.
Siue quòd ardenti tot concurrentibus astris
Cum Sole, è pelago multos terraq; vapores
Traxerit ignea vis, qui misti tenuibus auris
Correptiq; nouo vitio, contagia visu
Perrara attulerint: aliud siue æthere ab alto
Demissum late aerias corruperit oras.
Quanq; animi haud fallor, quid agat, quóue ordine cœlũ,
Dicere, & in cunctis certas perquirere causas
Difficile esse: adeò interdum per tempora longa
Effectus trahit, interdum (quod fallere possit)
Miscentur fors, & varij per singula casus.
Nunc age non id te lateat, super omnia miram

Naturam, & longe variam contagibus esse.
Solis nam sæpe arboribus fit noxius aer,
Et tenerum germen, florumq; infecit honorem:
Interdum segetem, & sata læta, anniq; labores
Corripuit, scabraq; vßit rubigine culmos,
Et vitiata parens produxit semina tellus.
Interdum pœnas animalia sola dedere,
Aut multa, aut certa ex ipsis. memini ipse malignam
Luxuriem vidisse anni, multoq; madentem
Autumnum perflatum Austro, quo perditus omne
Caprigenum genus è cunctis animantibus vnum
Corruit. à stabulis lætas ad pabula pastor
Ducebat: tum fortè, alta securus in vmbra
Dum caneret, tenuiq; gregem mulceret auena,
Ecce aliquam tußis subitò irrequieta tenebat,
Nec longe mora mortis erat: nanq; acta repente
Circùm præcipiti lapsu, reuomensq; supremam
Ore animam, socias inter moribunda cadebat.
Vere autem (dictu mirum) atq; æstate sequenti
Infirmas pecudes, balantumq; horrida vulgus
Pestis febre mala miserum penè abstulit omne.
Vsqueadeo varia affecti sunt semina cœli,
Et variæ rerum species, numerusq; vicißim
Inter mota subest, interq; mouentia certus.
Nónne vides, quamuis oculi sint pectore anhelo
Expositi mollesq; magis, non attamen ipsos
Carpere tabem oculos, sed sese immergere in imum
Pulmonem? & pomis quanquam sit mollior vua,
Non tamen ijs vitiatur, at ipsa liuet ab vua.
Nempe alibi vires, alibi sua pabula desunt:
Ast alibi mora certa, nec ipsa foramina multum
Non faciunt, hinc densa nimis, nimis inde soluta.
Ergo contagum quoniam natura genusq;
Tam varium est, & multa modis sunt semina miris,
Contemplator & hanc, cuius cœlestis origo est:
Quæ, sicut desueta, ita mira erupit in auras.
Illa quidem non muta maris, turbamq; natantum,
Non volucres, non bruta altis errantia syluis,
Non armenta boum, pecudésue, armentáue equorum

Infecit, ſed mente ingens ex omnibus vnum
Humanum genus, & noſtros eſt paſta ſub artus.
Porrò homine è toto, quod in ipſo ſanguine craſſum
Et ſordens lentore foret, fœdiſsima primum
Corripuit, ſeſe paſcens vligine pingui.
Tali ſe morbus ratione & ſanguis habebant.
Nunc ego te affectus omnes, & ſigna docebo
Contagis miſeræ: atq; vtinam concedere tantum
Muſa queat, tantumq́; velit defendere Apollo,
Tempora qui longa euoluit, cui carmina curæ,
Hæc multas monumenta dies vt noſtra ſuperſint.
Fortè etenim noſtros olim legiſſe nepotes,
Et ſigna, & faciem peſtis nouiſſe iuuabit.
Nanq; iterum, quum fata dabunt, labentibus annis
Tempus erit, quum nocte atra ſopita iacebit
Interitu data: mox iterum poſt ſecula longa
Illa eadem exurget, cœlumq́; auraſq́; reuiſet,
Atq; iterum ventura illam mirabitur ætas.
In primis mirum illud erat, quod labe recepta,
Sæpe tamen quater ipſa ſuum compleuerat orbem
Luna prius, quàm ſigna ſatis manifeſta darentur.
Scilicet extemplo non ſeſe prodit aperte,
Vt ſemel eſt excepta intus, ſed tempore certo
Delitet, & ſenſim vires per pabula captat.
Interea tamen inſolito torpore grauati,
Sponteq; languentes animis & munera obibant
Aegrius, & toto ſegnes ſe corpore agebant.
Ille etiam ſuus ex oculis vigor, & ſuus ore
Deiectus color haud læta de fronte cadebat.
Paulatim caries fœdis enata pudendis
Hinc atq; hinc inuicta locos, aut inguen edebat.
Tum manifeſta magis vitÿ ſe prodere ſigna.
Nam, ſimulac puræ fugiens lux alma diei
Ceſſerat, & noctis triſtes induxerat vmbras,
Innatuſq́; calor noctu petere intima ſuetus
Liquerat extremum corpus, nec membra fouebat
Obſita mole pigra humorum, tum vellier artus
Brachiaq́;, ſcapulæq́;, graui, ſuræq́; dolore.
Quippe, vbi per cunctas ierant contagia venas,

Humoreſq́;

Humoresq; ipsos, & nutrimenta futura
Polluerant, Natura malum secernere sueta
Infectam partem pellebat corpore ab omni
Exterius: verum crasso quia corpore tarda
Hæc erat, & lentore tenax, multa inter eundum
Hærebat membris exanguibus, atq; lacertis.
Inde graues dabat articulis extenta dolores.
Parte tamen leuiore, magisq; erumpere nata,
Summa cutis pulsa, & membrorum extrema petebat.
Protinus informes totum per corpus achores
Rumpebant, faciemq; horrendam, & pectora fœde
Turpabant: species morbi noua: pustula summæ
Glandis ad effigiem, & pituita marcida pingui:
Tempore quæ multo non post adaperta dehiscens,
Mucosa multum sanie, taboq; fluebat.
Quinetiam erodens alte, & se funditus abdens
Corpora pascebat miserè: nam sæpius ipsi
Carne sua exutos artus, squallentiaq; ossa
Vidimus, & fœdo rosa ora dehiscere hiatu,
Ora, atq; exiles reddentia guttura voces.
Tum sæpe aut cerasis, aut Phyllidis arbore tristi
Vidisti pinguem ex vdis manare liquorem
Corticibus, mox in lentum durescere gummi.
Haud secus hac sub labe solet per corpora mucor
Diffluere: hinc demum in turpem concrescere callum.
Vnde aliquis ver ætatis, pulchramq; iuuentam
Suspirans, & membra oculis deformia toruis
Prospiciens, fœdosq; artus, turgentiaq; ora,
Sæpe Deos, sæpe astra miser crudelia dixit.
Interea dulces somnos, noctisq; soporem
Omnia per terras animalia fessa trahebant:
Illis nulla quies aderat, sopor omnis in auras
Fugerat: ijs oriens ingrata Aurora rubebat:
Iis inimica dies, inimicaq; noctis imago.
Nulla Ceres illos, Bacchi non vlla iuuabant
Munera: non dulces epulæ, non copia rerum,
Non vrbis, non ruris opes, non vlla voluptas,
Quamuis sæpe amnes nitidos, iucundaq; tempe,
Et placidas summis quæsissent montibus auras.

Dijs etiam sparsæq; preces, incensaque templis
Thura, & diuitibus decorata altaria donis:
Dij nullas audire preces, donis'ue moueri.
  Ipse ego Cænomanum memini, quà pinguia diues
Pascua Sebina præterfluit Ollius vnda,
Vidisse insignem IVVENEM, quo clarior alter
Non fuit, Ausonia nec fortunatior omni:
Vix pubescentis florebat vere iuuentæ,
Diuitijs, proauisq; potens, & corpore pulchro:
Cui studia aut pernicis equi compescere cursum,
Aut galeam induere, & pictis splendescere in armis,
Aut iuuenile graui corpus durare palæstra,
Venatuq; feras agere, & præuertere ceruos:
Illum omnes Olliq; Deæ, Eridaniq; puellæ
Optarunt, nemorumq; Deæ, rurisq; puellæ:
Omnes optatos suspirauere hymenæos.
Forsan & vltores superos neglecta vocauit
Non nequicquam aliqua, & votis pia numina mouit.
Nam nimium fidentem animis, nec tanta timentem
Inuasit miserum labes, qua sæuior vsquam
Nulla fuit, nulla vnquam alijs spectabitur annis.
Paulatim ver id nitidum, flos ille iuuentæ
Disperijt, vis illa animi: tum squallida tabes
Artus (horrendum) miseros obduxit, & alte
Grandia turgebant fœdis abscessibus ossa.
Vlcera (proh diuûm pietatem) informia pulchros
Pascebant oculos, & diæ lucis amorem,
Pascebantq; acri corrosas vulnere nares.
Illum Alpes vicinæ, illum vaga flumina flerunt.
Illum omnes Olliq; Deæ, Eridaniq; puellæ
Fleuerunt, nemorumq; Deæ, rurisq; puellæ:
Sebinusq; alto gemitum lacus edidit amne.
  Ergo hanc per miseras terras Saturnus agebat
Pestem atrox, nec sæua minus crudelis & ipse
Miscebat Mauors, coniunctaq; fata ferebat.
Quippe lue hac nascente putem simul omnia diras
Eumenidas cecinisse fera & crudelia nobis.
Tartareos etiam barathro dira omnia ab imo
Exciuisse lacus, Stygiaq; ab sede laborem,

Pestemq;,

Pestemq;, horribilemq; famem, bellumq;, necemq;.
  Dij patrij, quorum Ausonia est sub numine, tuq;
Tu Latij Saturne pater, quid gens tua tantum
Est merita? an quicquam superest diriq; grauisq;,
Quod sit inexhaustum nobis? ecquod genus vsquam
Auersum vsqueadeo cœlum tulit? ipsa labores
Parthenope dic prima tuos, dic funera regum,
Et spolia, & prædas, captiuaq; colla tuorum.
An stragem infandam memorem, sparsumq; cruorem
Gallorumq;, Italûmq; pari discrimine, quum iam
Sanguineum, & defuncta virûm, defunctaq; equorum
Corpora voluentem, cristasq; atq; arma trahentem
Eridanus pater acciperet rapido agmine Tarrum?
Te quoq; spumantem, & nostrorum cæde tumentem
Abdua, non multo post tempore, te pater idem
Eridanus gremio infœlix suscepit, & altùm
Indoluit tecum, & fluuio solatus amico est.
  Ausonia infœlix, en quò discordia priscam
Virtutem, & mundi imperium perduxit auitum.
Angulus an'ne tui est aliquis, qui barbara non sit
Seruitia, & prædas, & tristia funera passus?
Dicite vos, nullos soliti sentire tumultus,
Vitiferi colles, quà flumine pulcher amœno
Erethenus fluit, & plenis lapsurus in æquor
Cornibus, Euganeis properat se iungere lymphis.
  O patria, ô longùm felix, longumq; quieta
Ante alias, patria ô diuûm sanctissima tellus,
Diues opum, fœcunda viris, lætissima campis
Vberibus, rapidoq; Athesi, & Benacide lympha,
Aerumnas memorare tuas, summamq; malorum
Quis queat, & dictis nostros æquare dolores,
Et turpes ignominias, & barbara iussa?
Abde caput Benace, tuo & te conde sub amne,
Victrices nec iam Deus interlabere Lauros.
  En etiam, ceu nos agerent crudelia nulla,
Nec lachrymæ, planctus'ue forent, en dura tot inter,
Spes Latij: spes & studiorum, & Palladis illa
Occidit: ereptum Musarum è dulcibus vlnis
Te miserum ante diem crudeli funere MARCE
ANTONI



ANTONI, ætatis primo sub flore cadentem
Vidimus extrema positum Benacide ripa,
Quam media inter saxa sonans sarca abluit vnda.
Te ripæ fleuere Athesis, te voce vocare
Auditæ per noctem vmbræ, manesq; Catulli,
Et patrios mulcere noua dulcedine lucos.
Tempestate illa Ausoniam rex Gallus opimam
Vertebat bello, & Ligurem ditione premebat.
Parte alia, Cæsar ferro superabat & igni
Euganeos, placidumq; Silim, Carnumq; rebellem:
Et totum luctus Latium, mœrorq; tenebat.

LIBER II.



NVNC age, quæ vitæ ratio, quæ cura adhibenda
Perniciem aduersus tantam, quid tempore quoque
Conueniat (nostri quæ pars est altera cœpti)
Expediam, & miranda hominum comperta docebo.
Quippe noua quum re attoniti, multa irrita primùm
Tentassent, tamen angustis solertia maior
In rebus, crescensq; vsu experientia longo
Euicere: datumq; homini protendere longè
Auxilia, & certis pestem compescere vinclis,
Victorem & sese claras attollere in auras.
Credo equidem & quædam nobis diuinitus esse
Inuenta, ignaros fatis ducentibus ipsis.
Nam, quanquam fera tempestas, & iniqua fuerunt
Sydera, non tamen omnino præsentia diuûm
Abfuit à nobis, placidi & clementia cœli.
Si morbum insolitum, si dura & tristia bella
Vidimus, & sparsos dominorum cæde penates,
Oppidaq;, incensasq; vrbes, subuersaq; regna,
Et templa, & raptis temerata altaria sacris:
Flumina deiectas si perrumpentia ripas
Euertêre sata, & medijs nemora eruta in vndis,
Et pecora, & domini, correptaq; rura natarunt:
Obseditq; inimica ipsas penuria terras:

Hæc eadem tamen, hæc ætas (quod fata negarunt
Antiquis) totum potuit sulcare carinis
Id pelagi, immensum quod circuit Amphitrite.
Nec visum satis extremo ex Atlante repostos
Hesperidum penetrare sinus, Prassumq́; sub Arcto
Inspectare alia, præruptaq́; littora Rhapti,
Atq; Arabo aduehere, & Carmano ex æquore merces,
Auroræ sed itum in populos Titanidis vsque est
Supra Indum, Gangemq́; supra, quà terminus olim
Catygare noti orbis erat: superata Cyambe,
Et dites ebeno, & fœlices macere syluæ.
Deniq; & à nostro diuersum gentibus orbem,
Diuersum cœlo, & clarum maioribus astris
Remigio audaci attigimus ducentibus & Dijs.
Vidimus & vatem egregium, cui pulchra canenti
Parthenope, placidusq́; cauo Sebethus ab antro
Plauserunt, vmbræq́; sacri manesq́; Maronis,
Qui magnos stellarum orbes cantauit, & hortos
Hesperidum, cœliq́; omnes variabilis oras.
Te vero vt taceam, atque alios, quos fama futura
Post mutos cineres, quos & venientia secla
Antiquis conferre volent, at BEMBE *tacendus*
Inter dona Deûm nobis data non erit vnquam
Magnanimus LEO, *quo Latium, quo maxima Roma*
Attollit caput alta, paterq́; ex aggere Tybris
Assurgit, Romæq́; fremens gratatur ouanti.
Cuius ab auspicijs iam nunc mala sydera mundo
Cessere, & læto regnat iam Iuppiter orbe,
Puraq́; pacatum diffundit lumina cœlum.
Vnus, qui ærumnas post tot, longosq́; labores
Dulcia iam profugas reuocauit ad ocia Musas,
Et leges Latio antiquas, rectumq́;, piumq́;
Restituit: qui iusta animo iam concipit arma
Pro re Romana, pro relligione Deorum.
Vnde etiam Euphrates, etiam latè ostia Nili,
Et tantum Euxini nomen tremit vnda refusi,
Atque Aegæa suos confugit Dorus in Isthmos.
Ergo, alij dum tanta canent, dumq́; illius acta
Inclyta component, dum fortè accingeris & tu

Condere,

Condere, & æternis victurum intexere chartis,
Nos, quos fata vocant haud tanta ad munera, lusus
Inceptos, quantum tenuis fert Musa, sequamur.
Principio, quoniam affecti non sanguinis vna
Est ratio, tibi sit morbo spes maior in illo,
Sanguine qui insedit puro: verum, quibus atra
Bile tument, spissoq; resultant sanguine venæ,
Maior in ijs labor est, pestisq; tenacius hæret.
Quare operæprecium est validis atq; acribus vti
Omnibus hos contra, miseris nec parcere membris.
Quinetiam meliora sibi promittere cuncta
Ille potest, qui principijs nouisse sub ipsis
Serpentem tacite valuit per viscera labem.
Nanque, vbi pasta diu, vires per pabula longa
Auxerit, & iam se vitium firmauerit intra,
Heu quanto tibi libertas speranda labore est.
Ergo omnem impendes operam te opponere paruis
Principijs, memoriq; animo hæc præcepta reconde.
In primis ego non omni te assuescere cœlo
Exhorter: fuge, perpetuo quod flatur ab Austro,
Quod cœno, immundæq; graue est sudore paludis.
Protenti potius campi mihi liber & agri
Tractus, & apricis placeant in collibus auræ,
Et molles Zephyri, pulsusq; Aquilonibus aer.
Hic (iubeo) tibi nulla quies, nulla otia sunto.
Rumpe moras, agita aßiduis venatibus apros
Impiger, aßiduis agita venatibus vrsos.
Nec tibi sit labor aerij cursu ardua montis
Vincenti, rapidum in valles deflectere ceruum,
Et longa lustrare altos indagine saltus.
Vidi ego sæpe malum, qui iam sudoribus omne
Finisset, syluisq; luem liquisset in altis.
Sed nec turpe puta dextram summittere aratro,
Et longum trahere incuruo sub vomere sulcum:
Néue bidente solum, & duras proscindere glebas,
Et valida aëriam quercum exturbare bipenni,
Atque imis altam eruere ab radicibus ornum.
Quinetiam, exercere domi quo te quoq; poßis,
Paruam mane pilam versa mihi, vespere versa,

Et ſaltu, & dura potes exudare palæſtra.
Vince malum: nec te fallat, quòd deſidis oci
Aſsidue deſiderium, lectiq; ſequetur.
Tu lecto ne crede, graui ne crede ſopori.
His alitur vitium, & placidæ ſub imagine pacis
Decipit, è dulciq; trahit fomenta quiete.
Necnon interea effugito, quæ triſtia mentem
Sollicitant: procul eſſe iube curasq;, metumq;
Pallentem, vltricesq; iras, omnemq; Mineruæ
Addictum ſtudijs animum, ſed carmina, ſed te
Delectent iuuenumq; chori, mixtæq; puellæ.
Parce tamen Veneri, mollesq; ante omnia vita
Concubitus, nihil eſt nocuum magis: odit & ipſa
Pulchra Venus, teneræ contagem odere puellæ.
Quod ſequitur, victus ratio tibi maxima habenda eſt,
Nec ſit cura tibi, néue obſeruantia maior.
Principio, quoſcunque amnes, quoſcunque paludes,
Quosq; lacus liquidi paſcunt, quosq; æquora, piſces
Omne genus procul amoueo. ſunt, quos tamen vſus
Liberius, quum res cogit, concedere poſsit.
Omnibus his eſt alba caro, non dura, tenaxq;,
Quos petræ & fluuiorum aduerſa marisq; fatigant.
Tales nant pelago phycides, rutilæq; per vndas
Auratæ, gobijq;, & amantes ſaxea percæ.
Talis dulcifluum fluuiorum ſcarus ad ora
Solus ſaxa inter depaſtas ruminat herbas.
Sed neq; quæ ſtagnis volucres, quæq; amnibus altis
Degere amant, liquidisq; cibum perquirere in vndis,
Laudarim: tibi pinguis anas, tibi crudior anſer
Vitetur, potiusq; vigil Capitolia ſeruet:
Viteturq; graui coturnix tarda ſagina.
Tu teneros lactes, tu pandæ abdomina porcæ,
Porcæ heu terga fuge, & lumbis ne veſcere aprinis,
Venatu quamuis toties confeceris apros.
Quin neq; te crudus cucumis, non tubera captent,
Néue famem cinara, bulbíſue ſalacibus exple.
Non placeat mihi lactis amor, non vſus aceti,
Non fumoſa mero ſpumantia pocula Baccho,
Qualia Cyrnæi colles, campiq; Falerni,

Et

Et Pucinus ager mittunt: aut qualia nostris
Rhetica dat paruo de collibus vua racemo.
Nempe Sabina magis placeant, dilutaq; tellus
Quæ tulit, & multo domuerunt Naiades amne.
At, tibi si ex horto victus, mensæq; Deorum
Sunt animo, atq; olerum simplex & inempta voluptas,
Non mentæ virides, non læta sisymbria desunt,
Intybaq;, & toto florentes frigore sonchi,
Et sia fontanis semper gaudentia riuis,
Et thymbræ suaues, & odoriferæ calaminthæ:
Læta meliphylla, & riguo buglossus ab horto
Carpantur, plenisq; ferax erucula palmis,
Atq; olus, atq; rumex, & salsi gramina crithmi.
Ipsa lupum dumeta ferent: hinc collige primos
Asparagos, albæ asparagos hinc collige vitis,
Quum nondum explicuit ramos, vmbracula nondum
Texuit, & virides iussit pendere corymbos.
Singula sed longum est, nec percensere necesse,
Iamq; aliud vocor ad munus, iuuat in noua Musas
Naturæ nemora Aonijs deducere ab vmbris:
Vnde mihi si non è lauro intexere fronti
Serta volent, tantaq; caput cinxisse corona,
At saltem ob seruata hominum tot millia, dignum
Censuerint querna redimiri tempora fronde.
Vere nouo, si quem morbus tenet, aut & in ipso
Autumno, si firma ætas, si sanguis abundat,
Regalem, mediam'ue lacerti incidere venam
Proderit, atq; extra fœdatum haurire cruorem.
Præterea, quocunq; habeat te tempore pestis,
Corruptum humorem, & contagem educere turpem
Ne pigeat, faciliq; luem deponere ab aluo:
Ante tamen ducenda para: concreta resolue,
Et crassa attenua, & lentore tenacia frange.
Ergo Coryciumq; thymum sit cura, thymumq;
Pamphylium, thymbræ similis qui durior exit,
Prima tibi coxisse, lupiq; volubile gramen,
Fœniculumq;, apiumq;, & amari germina capni.
His polyporum hirtos imitata filicula cirros
Additur, & Lymphis tangi renuens adiantus:

His

His sterile asplenum, his pictam phyllitida iunge:
Quorum ubi decoctum permultis ante diebus
Ebiberis, crudumq; humorem incoxeris omnem,
Tum scilla medicare acri, & colocynthide amara,
Helleboroq; graui, necnon quæ in littore surgens,
Quà ludit maris unda, ter euariata colorem,
Ter flores mutata die rem nomine signat,
Herba potens radice, suum cui zinziber adde:
Adde etiam anguineum cucumin, Nabathæaq; thura,
Myrrhamq;, bdelenq;, hammoniaciq; liquorem,
Et lachrymam panaceam, & dulci colchica bulbo.
His actis, si fortè tibi frigentia corda
Et molles animi fuerint, nec acerba placebit
In primis tentare, breuiq; extinguere pestem,
Sed placidis agere, & per tempora lenibus uti,
Tum superest tibi cura animum ad fomenta relicta
Vertere, contagisq; ad tenuia semina cæcæ,
Illa quidem consueta modis inserpere miris.
Profuerint igitur, quæq; exiccantia, quæq;
Marcori resinosa solent obsistere putri.
Tales sunt myrrhæ lachrymæ, sunt talia thura,
Cedrusq;, aspalathusq;, immortalisq; cupressus,
Et bene cum calamo spirans redolente cyperus.
Ergo nec desint casiæ, nec desit amomum,
Macér ue, agalocum ue tibi, nec cinnama odora.
Est etiam in pratis illud, iuxtaq; paludes
Scordion, omnigenis quod tantum obstare uenenis,
Contagiq; solet, paruo quærenda labore
Herba tibi: uiret ipsa comis imitata chamædryn,
Flore rubens, referensq; alli cum uoce saporem.
Aurora nascente huius frondemq; comantem
Radicesq; coque, atque haustu te prolue largo.
Sed neque carminibus neglecta silebere nostris
Hesperidum decus, & Medarum gloria citre
Syluarum: si fortè sacris cantata poetis
Parte quoque hac medicam non dedignabere Musam
Sic tibi sit semper uiridis coma, semper opaca,
Semper flore nouo redolens: sis semper onusta
Per uiridem pomis syluam pendentibus aureis.

Ergo

Ergo, vbi nitendum est cæcis te opponere morbi
Seminibus, vi mira arbor cithereia præstat.
Quippe illam Citherea, suum dum plorat Adonim,
Munere donauit multo, & virtutibus auxit.
Quorundam inuentum est, vitrei intra concaua vasis,
Cui collum oblongum est venter turgescit in orbem,
Aut hederæ folia, aut Ida mittente maniplos
Dictamni, Illyricámue irim, rhamníue nigrantem
Radicem, aut inulas coquere: in sublime solutus
Effertur vapor, & tenuis vacua omnia complet:
Ast, vbi frigenti occursauit ab aëre vitro,
Cogitur, & rorem liquidus densatur in vdum,
Decurritq; vagis per aperta canalia riuis.
Destillantis aquæ cyathum sub lumina prima
Luciferi potare iubent, stratisq; parare
Sudorem: nec certe ab re: vis vtilis olli est
Relliquias morbi tenues dispergere in auras.
Interea, si membra dolor conuulsa malignus
Torqueat, œsypo propera lenire dolorem,
Mastichinoq; oleo: lentum quibus anseris vnguen,
Emulsumq; potes lini de semine mucum,
Narcissumq;, inulamq;, liquentiaq; addere mella,
Coryciumq; crocum & vilem componere amurcam.
At, fauces atq; ora malus si eroserit herpes,
Tange nitro, & viridi medicata ærugine lympha
Semina inure mala, & serpentem interfice pestem.
Verum ipsos ope non alia consumere achores,
Vrentum quàm vi, poteris, quibus addere debes
Pingue aliquid, quod secum intus siccantia portet.
Hæc eadem, & miseros artus si qua vlcera pascunt,
Tollere, concretosq; valebunt soluere callos.
Si vero aut hæc nequicquam tentasse videbis,
Aut vires animiq; valent ad fortia quæq;,
Nec differre cupis, quin te committere acerbis
Festines, diramq; breui consumere pestem,
Hinc alia inuenta expediam, quæ tristia quanto
Sunt magis, hoc tanto citius finire labores
Aerumnasq; mali poterunt: quippe effera labes
Inter prima tenax, & multo fomite viuax

Nedum

Nedum se haud vinci placidis & mitibus, at nec
Tractari sinit, & mansuescere dura repugnat.
Sunt igitur styracem in primis qui, cinnabarimq;,
Et minium, & stymmi agglomerant, & thura minuta,
Quorum suffitu pertingunt corpus acerbo,
Absumuntq; luem miseram, & contagia dira.
At vero & partim durum est medicamen & acre,
Partim etiam fallax, quo faucibus angit in ipsis
Spiritus, eluctansq; animam vix continet ægram.
Quocirca totum ad corpus nemo audeat vti
Iudice me: certis fortasse erit vtile membris,
Quæ Papulæ informes, Chironiaq; vlcera pascunt.
Argento melius persoluunt omnia viuo
Pars maior: miranda etenim vis insita in illo est:
Siue quòd id natum est subitò frigusq; caloremq;
Excipere, vnde in se nostrum citò contrahit ignem,
Quodq; est condensum, humores dissoluit, agitq;
Fortius, vt candens ferrum flamma acrius vrit:
Siue acres, vnde id constat compagine mira,
Particulæ nexuq; suo vinclisq; solutæ
Introrsum, vt potuere seorsum in corpora ferri,
Colliquant concreta, & semina pestis inurunt.
Siue aliam vim fata illi, & natura dedere:
Cuius & inuentum medicamen munere Diuûm
Digressus referam. quis enim admiranda Deorum
Munera prætereat? Syriæ nam fortè sub altis
Vallibus, vmbrosi nemora inter glauca salicti,
Callirhoë qua fonte sonans decurrit amœno,
Fama est cultorem Dijs sacri agrestibus horti,
Cultorem nemorum, sectatoremq; ferarum,
Ilcea labe grauem tanta, dum molle cyperum,
Et casiam, & syluam late fragrantis amomi
Irrigat, hæc orasse Deos, & talia fatum.
Dij, quos ipse diu colui, tuq; optima tristes
Callirhoë, quæ sancta soles depellere morbos,
Cui nuper ramosa ferens ego cornua cerui
Aëria victor fixi capita horrida quercu:
Dij mihi crudelem misero si tollere pestem
Hanc dabitis, quæ me afflictat noctesq; diesq;,

Ipse

Ipse ego purpureas, ipse albas veris & horti
Primitias, vobis violas, ego lilia vobis
Alba legam, primasq; rosas, primosq; hiacynthos,
Vestraq; odoratis onerabo altaria sertis.
Gramen erat iuxtà viridans, Sic fatus, vt æstu
Fessus erat, viridi desedit graminis herba.
Hic Dea, vicino quæ sese fonte lauabat,
Callirhoë liquido ex antro per lubrica musco
Saxa fluens, iuueni dulci blandita susurro,
Lethæum immisit somnum, sparsitq; sopore
Graminea in ripa, & salicum nemus inter opacum:
Atque illi visa est sacro se flumine tollens
In somnis coràm esse, pia & sic voce locuta.
Ilceu in extremo Dijs tandem audite labore
Cura mei, tibi nulla salus, quacunq; videt Sol,
Speranda est terram magnam super. hoc tibi pœnæ
Dat Triuia, & precibus Triuiæ exoratus Apollo,
Ob sacrum iaculo percussum ad flumina ceruum,
Et nostris affixa tibi capita horrida truncis.
Nam, postquam illa feram exanimem per gramina vidit
Abscisso capite, & sacro sparsa arua cruore,
Omnibus ingemuit syluis, dirumq; precata est
Authori. oranti Latous tanta sorori
Affuit, & pestem misero immisere nefandam
Durus vterque tibi: quin &, quacunq; videt Sol,
Interdixit opem: quare tellure sub ima,
Si qua salus superest, cæca sub nocte petenda est.
Est specus arboribus tectum, atq; horrore verendum
Vicina sub rupe, Iouis quà plurima sylua
Accubat, & raucum reddit coma cedria murmur.
Huc, vbi se primis aurora emittet ab vndis
Ire para, & nigrantem ipsis in faucibus agnam
Mactato supplex, atque Ops tibi maxima, dic, hanc,
Dic, ferio. nigram tum Noctem, vmbrasq; silentes,
Vmbrarumq; Deos, ignotaq; numina Nymphas
Et Thia venerare, atræ & nidore Cupressi.
Hic tibi narranti causam, auxiliumq; vocanti
Haud aberit Dea, quæ cæcæ in penetralia terræ

Deducat te sancta, & opem tibi sedula præstet.
Surge age, nec vani speciem tibi concipe somni.
Illa ego sum, quæ culta vago per pinguia fonte
Dilabor, Dea vicinis tibi cognita ab vndis.
Sic ait, & se cæruleo cita condidit amne.
Ille autem, vt placidus cessit sopor, omnia lætus
Accipit, & Nympham precibus veneratur amicam.
O sequor, ò quocunque vocas pulcherrima fontis
Vicini Dea Callirhoë. Tum, postera primum
Exurgens aurora, suos vbi protulit ortus,
Monstratum Iouis in sylua sub rupibus altis
Antrum ingens petit, & nigrantem tergora primo
Vestibulo sistit pecudem, magnæq; trementem
Mactat Opi: tibiq;, inquit, ego hanc Ops maxima macto.
Tum Noctem, Noctisq; Deas, ignota precatur
Numina. iamq; simul Thian, atramq; Cupressum
Vrebat, quum vox terræ reuoluta cauernis
Longe audita sacras Nympharum perculit aures:
Nympharum, quibus æra solo sunt condita curæ.
Extemplo commotæ omnes, ac cœpta reponunt,
Sulphureos fortè vt latices, & flumina viui
Argenti, mox, vnde nitens concresceret aurum,
Tractabāt, gelidoq; promentes fonte coquebant.
Centum ignis spissi radios, centum ætheris vsti,
Bis centum concretorum terræq; marisq;
Miscuerant, nostros fugientia semina visus.
At Lipare, Lipare, argenti cui semina & auri
Cura data, & sacrum flammis adolere bitumen,
Continuò obscuræ latebrosa per auia terræ
Ilcea adit, firmansq; animum sic incipit ipsa.
Ilceu (nanque tuum nec nomen, nec mihi labes
Ignota est, nec, quid venias) iam corde timorem
Exue, nequicquam non te huc charissima mittit
Callyrhoë: tibi parta salus tellure sub ima est.
Tolle animos, & me per opaca silentia terræ
Insequere: ipsa adero, & præsenti numine ducam.
Sic ait, & se antro gradiens præmittit opaco.
Ille subit, magnos terræ miratus hiatus,

Squallentesq;

Squallentesq; situ æterno, & sine lumine vastas
Speluncas, terramq; meantia flumina subter.
Tum Lipare: hoc quodcunque patet, q; maxima terra est:
Hunc totum sine luce globum, loca subdita nocti
Dij habitant: imas retinet Proserpina sedes,
Flumina supremas, quæ sacris concita ab antris
In mare per latas abeunt resonantia terras.
In medio dites Nymphæ, genera vnde metalli,
Aerisq;, argentiq;, auriq; nitentis origo:
Quarum ego nunc ad te miserans ipsa vna sororum
Aduenio, illa ego, quæ venas per montis hiantes,
Callirhoæ haud ignota tuæ, fumantia mitto
Sulphura. sic ibant terra & caligine tecti.
Iamq; exaudiri crepitantes sulphure flammæ,
Conclusiq; ignes, stridentiaq; æra caminis.
Hæc regio est late, varijs vbi fœta metallis,
Virgo ait, est tellus: quorum vos tanta cupido
Exercet, superas cœli qui cernitis auras.
Hæc loca mille Deæ cecis habitamus in antris,
Nocte Deæ & Tellure satæ, quîs munera mille,
Mille artes. studium est alijs deducere riuos,
Scintillas alijs rimari, & sparsa per omnem
Semina tellurem flammarum, ignisq; corusci.
Materiam miscent aliæ, massamq; coërcent
Obicibus, multa & gelidarum inspergine aquarum.
Non procul eruptis fumantia tecta caminis
Aetnæi Cyclopes habent, versantq; coquuntq;
Vulcano stridente, atque æra sonantia cudunt.
Læua hæc abstrusum per iter via ducit ad illos.
Dextera sed sacri fluuij te sistet ad vndam,
Argento fluitantem vndam, viuoq; metallo,
Vnde salus speranda. & iam aurea tecta subibant,
Rorantesq; domos spodijs, fuligineq; atra
Speluncas varie obductas, & sulphure glauco.
Iamq; lacus late vndantes, liquidoq; fluentes
Argento iuxta astabant, ripasq; tenebant.
Hic tibi tantorum requies inuenta laborum,
Subsequitur Lipare, postquam ter flumine viuo

Perfusus, sacra vitium omne reliqueris unda.
Sic fatur, simul argenti ter fonte salubri
Perfundit, ter virgineis dat flumina palmis
Membra super, iuuenem toto ter corpore lustrat
Mirantem exuuias turpes, & labe maligna
Exutos artus, pestemq; sub amne relictam.
  Ergo age, quum primum cœli te purior aer
Accipiet, nitidamq; diem, Solemq; videbis,
Sacra para, & castam supplex venerare Dianam,
Indigenasq; Deos, & numina fontis amici.
  Sic virgo, & iuuenem tanto pro munere grates
Soluentem è nocte ætherias educit in oras,
Dimittitq; alacrem, atque optata in lumina reddit.
  Accepit noua fama fidem, populosq; per omnes
Prodijt haud fallax medicamen: cœptaq; primum
Misceri argento fluitanti axungia porcæ.
Mox etiam Oriciæ simul adiuncta est terebinthi,
Et laricis resina aeriæ. sunt, qui vnguen equinum
Vrsinúmve adhibent, bdelæ, cedriq; liquorem.
Nonnulli & myrrhæ guttas, & mascula thura
Adijciunt, miniumq; rubens, & sulphura viua.
Haud vero mihi displiceat, componere si quem
Trita melampodia, atque arentem iuuerit irim,
Galbanaq;, & lasser graue olens, oleumq; salubre
Lentisci, atque oleum haud experti sulphuris ignem.
  His igitur totum oblinere, atq; obducere corpus
Ne obscœnum, ne turpe puta: per talia morbus
Tollitur, & nihil esse potest obscœnius ipso.
Parce tamen capiti, & precordia mollia vita.
Tum super & vittas astringe, & stuppea necte
Vellera: dein stratis tegmento imponere multo,
Dum sudes, fœdæq; fluant per corpora guttæ.
Hæc tibi bis quinis satis est iterasse diebus.
Durum erit: at, quicquid tulerit res ipsa, ferendum est.
Aude animis. tibi certa salus stans limine in ipso
Signa dabit: liquefacta mali excrementa videbis
Assidue sputo immundo fluitare per ora,
Et largum ante pedes tabi mirabere flumen.



Ora tamen fœda erodent vlcuscula: sed tū
Lacte foue, & cocto cytini, viridisq; ligustri.
Tempore non alio generosi pocula Bacchi
Annuerim sumenda tibi, purumq; Falernum,
Et Chia, & pateris spumantia Rhetica largis.
Sed iam age vicinæ victor gratare saluti:
Vltima adest tibi cura, eadem & placidissima, corpus
Abluere, & lustrare artus, ac membra piare
Stœchade, amaracinisq; comis, & rore marino,
Verbenaq; sacra, & bene olentibus heracleis.

LIBER III.



ED iam me nemora alterius fœlicia mundi,
Externique vocant saltus: longe assonat æquor
Herculeas vltra metas, & littora longe
Applaudūt semota. mihi nunc magna Deorū
Munera, & ignoto deuecta ex orbe canenda,
Sancta arbos, quæ sola modum, requiemq; dolori,
Et finem dedit ærumnis. age diua beatum
Vranie venerare nemus, crinesq; reuinctam
Fronde noua, iuuet in medica procedere palla
Per Latium, & sanctos populis ostendere ramos:
Et iuuet haud vnquam nostrorum ætate parentum
Visa prius, nulliue vnquam memorata referre.
Vnde aliquis forsan nouitatis imagine mira
Captus, & heroas, & grandia dicere facta
Assuetus, canat auspicijs maioribus ausas
Oceani intacti tentare pericula puppes.
Nec non & terras varias, & flumina, & vrbes,
Et varias memoret gentes, & monstra reperta:
Dimensasq; plagas, altoq; orientia cœlo
Sydera, & insignem stellis maioribus Arcton.
Nec taceat noua bella, omnemq; illata per orbem
Signa nouum, & positas leges, & nomina nostra.
Et canat (auditum quod vix venientia credant
Secula) quodcunque Oceani complectitur æquor

Ingens,

Ingens, omne, vna obitum menſumq; carina.
Fœlix cui tantum dederit Deus. at mihi vires
Arboris vnius ſatis eſt, vſumq; referre:
Et quo inuenta modo fuerit, noſtraſq; ſub auras
Aduena per tantum pelagi peruenerit æquor.
Oceano in magno, ardenti ſub ſydere Cancri,
Sol vbi ſe nobis media iam nocte recondit,
Hac ignota tenus, tractu iacet inſula longo:
Hiſpanam gens inuentrix cognomine dixit:
Auri terra ferax: ſed longe ditior vna
Arbore, voce vocant patrij ſermonis Hyacum.
Ipſa teres, ingenſq; ingentem vertice ab alto
Diffundit ſemper viridem, ſemperq; comantem
Arbuteis ſyluam folijs: nux parua, ſed acris
Dependet ramis, & plurima frondibus hæret.
Materia indomita eſt, duro & penè æmula ferro
Robora, quæ reſinam ſudant incenſa tenacem.
Diſſectæ color haud ſimplex. in cortice lauri
Exteriore viret leuor, pars altera pallet
Buxea: at interior nigro ſuffuſca colore eſt,
Iuglandemq;, ebenumq; inter. quod ſi inde ruberet,
Iam poterat varijs æquare coloribus irim.
Hanc gens illa colit, ſtudioq; educere multo
Nititur: hac late colles campiq; patentes,
Hac omnis veſtitur ager: nec ſanctius illis
Eſt quicquam, aut potiore vſu: quippe omnis in illa
Spes iacet hanc contra peſtem, quæ cœlitus illic
Perpetua eſt. validos abiecto cortice ramos
Multa vi tundunt, aut in ſegmenta minuta
Elimant, puroq; ſcobes in fonte reponunt,
Dum bibulas noctemq; diemq; emaceret humor.
Inde coquunt: nec non illos ea cura fatigat,
Vulcano ne fortè furens erumpat aquæ vis,
Et ſuperundantem ſpumam proiectet in ignes.
Spuma quippe linunt, ſi quicquam è corpore toto
Abſcedit, ſi quicquam ægros depaſcitur artus.
Dimidia abſumpta, ſupereſt quodcunque, reponunt,
Diuini laticis. quin & ſegmenta relicta

Rurſus,

Rursus, vt ante, coquunt, addentes suaue liquens mel.
Scilicet hunc vnum mensis accedere potum
Et lex ipsa iubet gentis, mandatq; sacerdos.
Seruatum at laticem, & decocti pocula primi
Bina die quaq; assumunt, quum surgit ab ortu
Lucifer, & sero egreditur quum Vesper olympo.
Nec prius absistunt potu, quàm menstrua cursum
Luna suum, & totum peragrans perfecerit orbem,
Fraternasq; iterum conuenerit æmula bigas.
Interea cæcis sese penetralibus abdunt,
Quô neque vis venti, non halitus aëris vllus
Insinuet sese, & gelidis afflatibus obsit.
Quid mirandum æquè memorem super omnia victum
Quàm tenuem, quàm magna sibi ieiunia poscant?
Quippe solet satis esse, ipsum dum corpus alatur:
Dum superet vita, & tantum ne membra fatiscant.
Ne tamen ah ne tanta time, sacer ilicet haustus
Ille modo ambrosiæ, vires reficitq; fouetq;,
Inq; occulta gerit ieiunis pabula membris.
Nectare ab epoto binas, non amplius, horas
Imponunt sese stratis, medicamen vt intro
Largè eat, & calido sudorem è corpore ducat.
Interea vacuas pestis vanescit in auras:
Et (dictu mirum) apparet iam pustula nulla:
Iamq; nomæ cessere omnes, iam fortia liquit
Membra dolor, primoq; redit cum flore iuuenta:
Et iam Luna suum remeans noua circuit orbem.
Quis Deus hos illis populis monstrauerit vsus:
Qui demum & nobis casus, aut fata tulere
Hos ipsos: vnde & sacræ data copia syluæ,
Nunc referam. Missæ quæsitum abscondita Nerei
Aequora, in occasum, Solisq; cubilia, pinus
Littoribus longe patriis, Calpeq; relictis
Ibant Oceano in magno, pontumq; secabant,
Ignaræq; viæ, & longis erroribus actæ.
Quas circum innumeræ properantes gurgite ab omni
Ignoti noua monstra maris Nereides vdæ
Adnabant, celsas miratæ currere puppes,

138

Salsa super pictis volitantes æquora velis.
Nox erat, & puro fulgebat ab æthere Luna,
Lumina diffundens tremuli per marmora ponti,
Magnanimus quum tanta heros ad munera fatis
Delectus, dux errantis per cærula classis,
Luna, ait, ô pelagi cui regna hæc humida parent,
Quæ bis ab aurata curuasti cornua fronte,
Curua bis explesti, nobis errantibus ex quo
Non vlla apparet tellus, da littora tandem
Aspicere, & dudum speratos tangere portus,
Noctis honos, cœliq; decus Latonia virgo.
Audijt orantem Phœbe, delapsaq; ab alto
Aethere, se in faciem mutat, Nereia quali
Cymothoë, Clothoq; natant, iuxtaq; carinam
Astitit, & summo pariter nans æquore fatur:
Ne nostræ dubitate rates, lux crastina terras
Ostendet, fidoq; dabit succedere portu.
Sed vos littoribus primis ne insistite: dudum
Vltra fata vocant. medio magna insula ponto
Est Ophyre, huc iter est vobis, hic debita sedes
Imperijq; caput. simul hæc effata, carinam
Impulit: illa leui cita dissecat æquora cursu.
Aspirant faciles auræ, & iam clarus ab vndis
Surgebat Titan, humiles quum surgere colles
Vmbrosi procul, & propior iam terra videri
Incipit. acclamant nautæ, terramq; salutant,
Terram exoptatam. tum portu & littore amicè
Excepti, dijs vota pijs in littore soluunt:
Quassatasq; rates, defessaq; corpora curant.
Inde, vbi quarta dies pelago, crepitansq; vocauit
Vela Notus, remis insurgitur, altaq; rursum
Corripiunt maria, & læti freta cærula sulcant.
Linquitur incerto fluitans Anthylia ponto,
Atque Hagia, atque alta Ammerie, execrataq; tellus
Cannibalum, & ripa Gyane nemorosa virenti.
Protinus innumeræ panduntur turribus altis
Insulæ Oceano in vasto, quas inter opacis
Vndantem syluis vnam, cursuq; sonantem

Fluminis

Fluminis aspiciunt, magno qui spumeus alueo
In mare fulgentes auro subuectat arenas.
Huius in ora placet pronas appellere puppes.
Inuitant nemora, & dulces è flumine lymphæ.
Iamq; solo viridante alacres, ripaq; potiti
In primis terram ignotam, Nymphasq; salutant
Indigenas, Geniumq; loci, teq; aurifer amnis,
Quisquis in ora maris nitida perlaberis vnda.
Tum duram Cererem, & patrij carchesia Bacchi
Aggere in herboso expediunt: dein quærere, si qui
Mortales habitent: pars fuluam fluminis vndam
Mirari, mixtamq; auro disquirere arenam.
Fortè per vmbrosos syluarum plurima ramos
Assiduè volitabat auis, quæ picta nitentes
Cæruleo pennas, rostro variata rubenti
Ibat natiuo secura per auia luco.
Has iuuenum manus vt syluas videre per altas,
Continuo caua terrificis horrentia bombis
Aera, & flammiferum tormenta imitantia fulmen
Corripiunt, Vulcane tuum, dum Theutonas armas,
Inuentum, dum tela Iouis mortalibus affers.
Nec mora, signantes certam sibi quisque volucrem,
Inclusam, salicum cineres, sulphurq;, nitrumq;,
Materiam accendunt seruata in reste fauilla.
Fomite correpto diffusa repente furit vis
Ignea circunsepta, simulq; cita obice rupto
Intrusam impellit glandem: volat illa per auras
Stridula: & exanimes passim per prata iacebant
Deiectæ volucres: magno micat ignibus aër
Cum tonitru, quo sylua omnis, ripæq; recuruæ
Et percussa imo sonuerunt æquora fundo.
Pars auium nemus in densum conterrita, & altos
Se recipit scopulos: quorum de vertice summo
Horrendum vna canit (dictu mirabile) & aures
Terrificis implet dictis, ac talibus infit.
Qui Solis violatis aues, sacrasq; volantes,
Hesperij, nunc vos, quæ magnus cantat Apollo,
Accipite, & nostro vobis quæ nunciat ore.

Vos quanquam ignari, longum quæsita, secundis
Tandem parta Ophyræ tetigistis littora ventis.
Sed non ante nouas dabitur summittere terras,
Et longa populos in libertate quietos,
Moliriq; vrbes, ritusq; ac sacra nouare,
Quàm vos infandos pelagi terræq; labores
Perpeßi, diuersa hominum post prælia, multi
Mortua in externa tumuletis corpora terra.
Nauibus amißis pauci patria arua petetis.
Frustra alij socios quæretis magna remensi
Aequora: nec nostro deerunt Cyclopes in orbe.
Ipsa inter sese vestras discordia puppes
In rabiem ferrumq; trahet: nec sera manet vos
Illa dies, fœdi ignoto quum corpora morbo
Auxilium sylua miseri poscetis ab ista,
Donec pœniteat scelerum. nec plura loquutæ
Horrendùm stridens densis sese abdidit vmbris.
Ollis ossa rigor subitus percurrit, & omnis
Palluit, ac gelida fugit formidine sanguis.
Tum vero sacras volucres, diuosq; precati,
In primis Solem, & sanctum seruantia lucum
Numina supplicibus venerantur agrestia votis:
Pacem orant, rursumq; Ophyren, fluuiumq; salutant.
Interea è syluis nigrum genus ora comasq;,
Ad naues noua turba virûm concurrit inermis,
Pectora nudi omnes, euincti frondibus omnes
Paciferis: tanta qui celsas mole carinas
Mirati, vestesq; virûm, fulgentiaq; arma,
Vix satis expleri possunt: & ab æthere mißi
Siue homines, siue heroës sint, siue Deorum
Numina, adorantum ritu, precibusq; salutant:
Ante alios ipsum regem, cui munera læta,
E ripis collectum aurum, & cerealia dona,
Et patrios fructus, & mella liquentia portant.
Vestibus ipsi etiam nostris, & munere multo
Donati, exceptiq; mero noua gaudia miscent.
Non aliter, quàm si mensis, dapibusq; Deorum
Mortalis quisquam adscitus, fœlixq; futurus

Hauriat

Hauriat æternum, cœlestia pocula, nectar.
Ergo, vbi amicitiæ securos fœdere vtrinque
Firmauere animos, habita & commercia gentis,
Ipsi inter sese reges in littore læti
Complexu iungunt dextras, & fœdera firmant.
Alter goßipio tenui pectusq; femurq;
Præcinctus, viridi limbum pingente smaragdo,
Ora niger: iaculo armatur cui dextera acuto,
Squamosi spolium sustentat læua draconis.
Alter at intexto lænam circundatus auro,
Quam subter rutila arma micant, capiti ærea caßis
Insidet, & pictæ volitant in vertice cristæ:
Fulgenti ex auro torques cui candida colla
Cingunt, atque ensis lateri dependet Iberus.
Et iam commixti populi, hospitioq; recepti,
Hi tectis domibusq;, altis in nauibus illi,
Lætitia ludisq; dies per pocula ducunt.
Fortè loco lux festa aderat, Soliq; parabant
Vltori facere vmbroso sacra annua luco.
Hesperiæq;, Ophyræq; manus conuenerat omnis.
Hic conualle caua, ripæ viridantis in herba,
Selectorum ingens numerus, matresq; viriq;
Confusi, plebs atque patres, pueriq; senesq;
Astabant, animis tristes, & corpora fœdi,
Squallentes crustis omnes, taboq; fluentes:
Quos circunfusos albenti in veste sacerdos
Pura lustrat aqua, & ramo frondentis Hyaci.
Tum niueum ante aras cædit de more iuuencum,
Et iuxta positum pastorem sanguine cæsi
Respergit, pateraq; rigat: Soliq; potenti
Ad numeros pæana canit: nec cætera turba
Non sequitur, mactantq; sues, mactantq; bidentes,
Visceribusq; veru tostis epulantur in herba.
Obstupuit gens Europæ ritusq; sacrorum,
Contagemq; alio non vsquam tempore visam.
At dux multa animo tacitus secum ipse volutans,
Hic erat ille, inquit, morbus, (Dij auertite casum)
Ignotum interpres Phœbi quem dira canebat.

Tum regem indigenam, (ut sermo fandiq; facultas
Iam communis erat) cui sint solennia Diuûm,
Scitatur: quid tanta astet conualle sub alta
Languentum miseranda manus: quid pastor ad aras
Sacra inter, cæsi respersus sanguine tauri.
Quem contra, Hesperiæ ô heros fortissime pubis,
Rex ait, hi gentis ritus, hæc sacra quotannis
Vltori de more Deo celebramus: origo
Antiqua est, veteresq; patrum fecere parentes.
Quòd si externorum mores, hominumq; labores
Audiuisse iuuat, primæua ab origine causam
Sacrorum, & pestis miseræ primordia pandam.
Forsitan Atlantis vestras peruenit ad aures
Nomen, & ex illo generis longo ordine ducti.
Hac & nos, longa serie, de stirpe profecti
Dicimur, heu quondam fœlix & chara Deûm gens,
Dum cœlum colere, & superis accepta referre
Maiores sueuere boni: sed, numina postquam
Contemni cœptum est luxu fastuq; nepotum,
Ex illo quæ sint miseros, quantæq; secutæ
Aerumnæ, vix fando vnquam comprendere possem.
Insula tum prisci regis de nomine dicta
Ingenti terræ concussa Atlantia motu
Corruit, absorpta oceano: quem mille carinis
Sulcauit toties, terræ regina marisq;.
Ex illo & pecudes, & grandia quadrupedantum
Corpora non vllis vnquam reparata diebus
Aeternùm periere: externaq; victima sacris
Cæditur, externus nostras cruor imbuit aras.
Tum quoq; & hæc infanda lues, quam nostra videtis
Corpora depasci, quam nulli aut deniq; pauci
Vitamus, Diuûm offensis, & Apollinis ira
De cœlo demissa omnes grassatur in vrbes.
Vnde hæc sacra nouo primum solennia ritu
Instituêre patres, quorum hæc perhibetur origo.
Syphilus (vt fama est) ipsa hæc ad flumina pastor
Mille boues, niueas mille hæc per pabula regi
Alcithoo pascebat oues: & fortè sub ipsum

Solstitium vrebat sitientes Syrius agros:
Vrebat nemora: & nullas pastoribus vmbras
Præbebant syluæ: nullum dabat aura leuamen.
Ille gregem miseratus, & acri concitus æstu,
Sublimem in Solem vultus & lumina tollens,
Nam quid Sol te, inquit, rerum patremq; Deumq;
Dicimus, & sacras vulgus rude ponimus aras,
Mactatoq; boue, & pingui veneramur acerra,
Si nostri nec cura tibi est, nec regia tangunt
Armenta? an potius superos vos arbitrer vri
Inuidia? mihi mille niuis candore iuuencæ,
Mille mihi pascuntur oues: vix est tibi Taurus
Vnus, vix Aries cœlo (si vera feruntur)
Vnus, & armenti custos Canis arida tanti.
Demens quin potius Regi diuina facesso,
Cui tot agri, tot sunt populi, cui læta ministrant
Aequora, & est superis, ac Sole potentia maior?
Ille dabit facilesq; auras, frigusq; virentum
Dulce feret nemorum armentis, æstumq; leuabit.
Sic fatus, mora nulla, sacras in montibus aras
Instituit regi Alcithoo, & diuina facessit.
Hoc manus agrestum, hoc pastorum cætera turba
Exequitur: dant thura focis incensa, litantq;
Sanguine taurorum, & fumantia viscera torrent.
Quæ postquam rex, in solio dum forte sederet
Subiectos inter populos, turbamq; frequentem,
Agnouit, Diuûm exhibito gauisus honore
Non vllum tellure coli se vindice numen
Imperat, esse nihil terra se maius in ipsa:
Cœlo habitare Deos, nec eorum hoc esse, quod infra est.
Viderat hæc, qui cuncta videt, qui singula lustrat,
Sol pater, atque animo secum indignatus, iniquos
Intorsit radios, & lumine fulsit acerbo.
Aspectu quo Terra parens, correptaq; ponti
Aequora, quo tactus viro subcanduit aër.
Protinus illuuies terris ignota profanis
Exoritur. primus, regi qui sanguine fuso
Instituit diuina, sacrasq; in montibus aras,

Syphilus, ostendit turpes per corpus achores.
Insomnes primus noctes, conuulsaq; membra
Sensit, & à primo traxit cognomina morbus,
Syphilidemq; ab eo labem dixere coloni.
Et mala iam vulgò cunctas diffusa per vrbes
Pestis erat, regi nec sæua pepercerat ipsi.
Itur ad Ammericen sylua in Cartheside Nympham,
Cultricem nemorum Ammericen, quæ maxima luco
Interpres Diuûm responsa canebat ab alto.
Scitantur, quæ causa mali, quæ cura supersit.
Illa refert: spreti vos ô, vos numina Solis
Exercent: nulli fas est se æquare Deorum
Mortalem: date thura Deo, & sua ducite sacra,
Et numen placate, iras non proferet vltra.
Quam tulit, æterna est, nec iam reuocabilis vnquam
Pestis erit: quicunque solo nascetur in isto,
Sentiet: ille lacus Stygios, fatumq; seuerum
Iurauit. sed enim, si iam medicamina certa
Expetitis, niueam magnæ mactate iuuencam
Iunoni, magnæ nigrantem occidite vaccam
Telluri: illa dabit fœlicia semina ab alto:
Hæc viridem educet fœlici è semine syluam:
Vnde salus. simul obticuit, specus intus, & omne
Excussum nemus, & circum stetit horror vbiq;.
Illi obeunt mandata: sua ipsi altaria Soli
Instituunt: niueam Iuno tibi magna iuuencam,
Nigrantem Tellus mactant tibi maxima vaccam.
Mira edam. (at diuos iuro, & monumenta parentum)
Hæc sacra, quam nemore hoc toto vos cernitis, arbor,
Ante solo nunquam fuerat quæ cognita in isto,
Protinus è terra virides emittere frondes
Incipit, & magna campis pubescere sylua.
Annua confestim Soli facienda sacerdos
Vltori noua sacra canit. deducitur ipse
Sorte data, qui pro cunctis cadat vnus ad aram,
Syphilus: & iam farre sacro, vittisq; paratis
Purpureo stabat tincturus sanguine cultros:
Tutatrix vetuit Iuno, & iam mitis Apollo,

Qui

Qui meliorem animam miseri pro morte iuuencum
Supposuere, feroq; solum lauere cruore.
Ergo eius facti æternùm vt monumenta manerent,
Hunc morem antiqui primum statuere quotannis
Sacrorum, ille tuum testatur Syphile crimen,
Victima vana, sacras deductus pastor ad aras.
Illa omnis, quam cernis, inops miserandaq; turba
Tacta Deo est, veterumq; luit commissa parentum.
Cui votis precibusq; pijs numerisq; sacerdos
Conciliat vates Diuos, & Apollinis iras.
Lustrati ingentes ramos, & robora sanctæ
Arboris aduectant tectis: libamine cuius
Vi mira infandæ labis contagia pellunt.
Talibus, atque alijs tempus per multa trahebant
Diuersis populi commixti è partibus orbis.
Interea, Europæ fuerant quæ ad chara remissæ
Littora, iam rursus puppes freta lata remensæ
Mira ferunt: latè (proh fata occulta Deorum)
Contagem Europæ cœlo crebrescere eandem,
Attonitasq; vrbes nullis agitare medelis.
Quinetiam grauior naues it rumor in omnes,
Illo eodem classem morbo, iuuenumq; teneri
Haud numerum exiguum, & totis tabescere membris.
Ergo haud immemores, diras cecinisse volucres
Affore, quum sylua auxilium poscatur ab illa,
Continuo faciles Nymphas, Solemq; precati,
Intacti nemoris ramos, & robora ab alto
Conuectare parant luco, medicataq; sumunt
Pocula, pro ritu gentis: quo munere tandem
Contagem pepulere feram. quin dona Deorum,
Haud patriæ obliti, & fœlicem ad littora syluam
Nostra iubent ferri, cœlo si forsitan isto
Assimilem pellant labem: nec fata sequundos
Ipsa negant Zephyros, facilisq; aspirat Apollo.
Munera vos Diuûm primi accepistis Iberi,
Præsens mirati auxilium: nunc cognita Gallis,
Germanisq;, Scythisq;, orbe & gauisa Latino
Iam nunc Europam vecta est Huyacus in omnem.

Salue

Salue magna Deûm manibus sata semine sacro,
Pulchra comis, spectata nouis virtutibus arbos:
Spes hominum, externi decus, & noua gloria mundi:
Fortunata nimis, natam si numina tantum
Orbe sub hoc, homines inter gentemq; Deorum
Perpetua sacram voluissent crescere sylua.
Ipsa tamen, si qua nostro te carmiue Musæ
Ferre per ora virûm poterunt, hac tu quoq; parte
Nosceris, cœloq; etiam cantabere nostro.
Si non te Bactra, & tellus extrema sub Arcto,
Non Meroë, Libycisq; Ammon combustus arenis,
At Latium, at viridis Benaci ad flumina ripa
Audiet, & molles Athesi labente recessus.
Et sat erit, si te Tiberini ad fluminis vndam
Interdum leget, & referet tua nomina BEMBVS.



HIERONYMI FRACASTORII IOSEPH LIBRI DVO.

AD ALEXANDRVM FARNESIVM CARDINALEM AMPLISS.

LIBER PRIMVS.



VAE veterum Heroum diuæ facta inclyta Musæ,
Et monumenta æui longis obscura tenebris
Illustrare nouis numeris, & carmine sacro
Ferre per ætates omnes, perq; ora nepotum
Gaudetis, famamq; virûm proferre sub auras,
Nunc, ò, nunc populi illius, quem maximus vnum
Delegit Deus, & generis longo ordine ducti
Principe ab Abramo, veteres euoluite fastos:
Et iuuenem cantate pium, quem magnus Iacob
Isacides genuit: dederat cui nosse futura
Per somnos monstrata Deus. vos dicite, quanta
Ille tulit, pharijs tandem dum victor in oris
Imperium gereret magnum, populumq; beatum
Conderet, vnde salus hominum, spes vnde futura
Vitæ erat, & clausi reserandum limen Olympi.
Nec minus, Italiæ iuuenis decus (omnia quando
Quæ canimus, tua FARNESI *sunt maxima iussa)*
Ipse ades: &, plenum scopulis dum currimus æquor,
Da faciles in vela auras, da numine dextro
(Nanque Deus mihi semper eris) tua grandia vota
Posse sequi, pelagiq; omnes superare labores.
En, primas sulcantem vndas me littora Iopes,
Me iuga Samariæ, nemorosaq; pascua Sichen,
Iordanisq; vocat: curuis en vallibus Hebron
Applaudit, cœloq; simul tua nomina tollit,
Responsatq; Tabor voces, & sydera pulsat.
Nouerat infernus Pluton, cui multa futuri est
Scire datum, in fatis Abrami è sanguine sacram
Progeniem terris promitti, Tartara per quam
Euertenda forent. metuenti talia Pastor

Rexq; idem Sichenus erat ſuſpectus Iacob,
Inuiſusq; nimis: tum quòd nec ſanctius alter
Iuſtitiam legemq; Dei ſeruaret, & aris
Thura daret: tum quòd biſſena prole beatus
Natorum, populum in ſanctum concreſcere ſolus
Poſſe videbatur. quare hanc intentus in vnam
Progeniem, dabat omnem operam quo perdere poſſet:
Præcipue inſignem puerum, cui ſydera fauſta
Naſcenti & late fœlix arriſerat æther.
Quem forma egregium Charites ſtudia inter alebant
Ingenua, & leges patrias rectumq; docebant.
Illi autem mens alta inerat diuina futuri
Neſcio quæ, atq; animus ſummi admirator Olympi,
Et pia religio, & puero prudentia maior.
Ergo & ob has dotes, & quòd per vota parenti
Longæuo hic fuerat Rachele è coniuge chara
Natus, erat patri ante alios dilectus Ioſeph.
Ex his non paruam inuidiam, tacitumq; ſerebat
Fratribus in reliquis odium, & lætale venenum
Alecto, Eumenidum vna, imis emiſſa tenebris
In genus inuiſum: totis quæ adnixa colubris
Dißidium, furiasq; ferat, bellumq; necemq;.
Nec tantis non ipſa malis fortuna fouendis
Affuit, augendisq; odijs. nam forte per æſtum
Quum fraterna cohors pecudes ad pabula nota
Lanigeras vnà ſyluas duxiſſet in altas
Iliceaq; vmbra reſiderent, primus Ioſeph
In fratres conuerſus ait. mea ſomnia fratres
Audite, illa quidem mira, &, niſi me mea fallunt
Auguria, haud vani ſpeciem referentia ſomni.
Nanq; ſub auroram, quum ſeſe ſydera condunt
Caſura iam nocte, & ſolus nunciat ortum
Lucifer, ipſe meas ſpicas offerre videbar
Sacras ante aras: pariter vos ponere veſtras:
Sed noſtri cœlum faſces ſe tollere in altum,
Et rutilam inſignes late diffundere lucem:
Veſtri autem obſcuri atq; humiles ſummittere ſeſe,
Vtpote adorantes noſtros. Cui grandior annis
Atq; odio in puerum non paruo accenſus Iudas
Vane puer quid mira vocas tua ſomnia? nunquid

Illa

Illa aliquis tibi forte Deus demisit ab alto?
Credo equidem, nam vina Deum dicuntur habere,
Qui miranda facit nobis oblata videri.
Augurium quod nam somno tibi fingis ab isto?
Num forsan rex noster eris? tibi sume coronam
E lauro, noceant regi ne vina futuro.
Talia dicenti fratrum quoq; cætera turba
Adclamant, dominumq; vocant, regemq; salutant
Ac puero illudunt: tum patri hæc somnia narrant.
At senior, cui non aberat Deus, omnia mente
Euoluit tacita, atq; in nato grande futurum,
Nescio quid, spectans, alijs tamen omnia natis
Dissimulat, puerumq; monet nos ludere somnos.
Ille autem, cui fata Deus maiora parabat,
Post paulo in somnis aliud quid pondere maius
Perspexit. nam se sublimi in sede locatum,
Sub pedibus Solem ac Lunam stellasq; minores
Vndique adorantes diuinos reddere honores.
Ergo horum interpres, talem nam Numina mentem
Indiderant, rursus fraternas omnia ad aures
Detulit. illi autem subito noua somnia fratris,
Et spes illicitas regnandi, animumq; superbum
Exposuere patri, atq; offensæ signa dedere,
Interniq; odij, atq; accensæ in pectore flammæ.
Obstupuit primum genitor, puerumq; vocatum
His, veluti interpres somni, duro increpat ore.
Te ne igitur pater ac mater fratresq;, ait, & plebs
Omnis adorabit? tu sede locabere in alta,
Nos infra viles humilesq; precabimur? ah te,
Si malus hic error tenet, & spes impia nutrit
Pone animum hunc, atq; his falsis & inanibus vmbris
Deme fidem, teq; his fallacibus eripe monstris:
Quæ Dij, si mala sunt & iniqua, immittere nobis
Non sueuere boni, at potius mala numina, manes
Inferni, exitium in nostrum ludibria fingunt.
Sic falsa ex adytis referunt oracula, sic &
Auguria ex auibus dissectis omina ab extis,
Omnia quæ directa Deo lex nostra profanat.
Vade age, & hæc nobis posthac ne somnia perfer.
Sic ait, & natos alios per dulcia mulcens

Dicta, pater, iubet in Sichen saltusq; virentes
Ducere molle pecus, puerum consistere Ioseph
Se penes. expediunt iuuenes mandata paterna,
Fœlicesq; Hebron valles, & amœna vireta
Inuisunt: sed non virides in vallibus herbæ,
Non vmbræ nemorum, non gratæ è collibus auræ,
Non volucrum cantus inimica insomnia possunt
Ex animis delere; eadem per singula versant
Exacuuntq; odia, atque iræ laxantur habenæ.
Nec non Alecto diris serpentibus instans
Corda vrit, tantumq; odij, tantum excitat ignis,
Vt iam immane nephas animis meditentur iniquis
Perdendi puerum, & sese in scelus omne parandi.
Ergo, dum iuuenes exercent talia, iam Sol
Condiderat geminos ortus, quum luce sequente
Castra mouere parant, Dothainq; in pascua læta
Ducere oues, quo plus patrijs ab ouilibus absint,
Inuisoq; à fratre, pater quem diligat vnum,
Quem sibi, quem reliquis regem haud detrectet habere.
Ergo aliam atque aliam solito plus forte morati
Quum traherent cum nocte diem, miratus abesse
Hos tantum genitor confestim accersit Ioseph:
Iq;, ait, ò, mihi chare puer, fratresq; require
In Sichen, patriq; refer, quæ causa morandi:
Nam timeo, nequid male faustum euenerit illis,
Aut pecori. Ille viam, nulla est mora, corripit, & iam
Aduolat in Sichen: sed fratribus & grege nusquam
Compertis, quid agat, dubius huc spectat & illuc,
Omnia collustrans oculis: modo nomine fratres
Magna voce vocat: tantum nemora alta vocanti
Respondent, vallesq; cauæ. Forte ilicis altæ
Frondator ramorum aderat, qui, vt vidit anhelum
Ancipitemq; sui puerum, noto obuius illi,
Quid quæris puer? inquit: oues si forte paternas,
Si fratres, ne quære istis in vallibus illos,
Quandoquidem audiui dicentes, saltibus ex his
In Dothain cedamus: ibi fratresq; pecusq;
Inuenies: dein monstrat iter, qua tramite recto
Ocyus inueniat lætissima pabula, nanque
Plurima pars exusta aret, nec gramina nutrit.

Ille datum festinat iter. iamq; vltima Sichen
Emensus, Dothain lætus propiora tenebat,
Cum specula longe venientem vidit ab alta
Plena odij fraterna cohors, ac protinus, en Rex
Noster, ait, quem Sol, quem Luna & sydera adorant.
Nos famuli viles ad pastoralia nati,
Per deserta die rabido sub Sole vagamur:
Nocte in speluncis, patulá ue sub arbore somnos
Captamus, tecti rude lana & pellibus hirtis,
Despecti, & vili polenta & flumine pasti.
Ille patris mensa virgata in veste recumbens
Lactibus hœdorum, & lumbo pinguescit ouili,
Repleturq; mero: tum stertens impia nobis
Somniat. hunc'ne igitur fratres, atque ista feremus
Opprobria? an'ne adeo cæci expectabimus, vt iam
Grandior, atq; animus fidens & patris amore
Nos premat, & ditionem omnem & benedicta paterna
Surripiat, sic vera nimis sua somnia reddens
Heu fratrum ignaræ mentes, & pectora cæca.
Cur potius, dum testis abest, dumq; omnia nobis
Dant animos, non hunc capimus? cur protinus istis
Confossum gladijs, puteo non condimus illo
Qui prope contegitur dumis & sentibus atris?
Dicemusq; fame rabidis vrsó ue, lupó ue,
Qui multi deserta habitant hæc, dente peremptum.
Talia iactabant inter se se effera fratres
Consilia. at, cunctis aderat qui maior & annis,
Et maior pietate Ruben, Dij talia nobis
Auertant, ait, ah vestras ne sanguine fratres
Fraterno maculate manus: né ue ira Deorum
Hoc velit, vt scelus ob tantum nos, & domus, & grex
Vnà omnes pereamus. abest si testis, at ipse
Est testis Deus, ipse Deus, quem nulla latere
Facta queunt, quiq; hic & nos nunc spectat, & audit.
Si tamen est animus vobis secludere prorsus
Hunc puerum, sine cæde eius, sine sanguine in illum
Trudite vicinum puteum, & dimittite fatis.
Hæc vero suadebat, vti iam cæde remota
Mox ipse ad puteum sera iam nocte rediret,
Extraheretq; illum, & misero sua pignora patri

Redderet, ac fratrum tandem componeret iras.
Verba omnes mouere. placet sine cæde prehensum
Proijcere in puteum, & miserum dimittere sorti.
Tum Ruben, à vobis fuerint quæcunque peracta,
Horum me insontem videat Deus. ac procul inde
Discessit, syluisq; latens se condidit altis,
Visurus rerum euentum. & iam lætus Ioseph
Festinans aderat: contra fratrum impia turba
Circunfusa ruit minitans, manibusq; reuinctis
Nunc (inquit) tua vana tibi quid somnia prosint,
Aspicies: nunquid regi parebimus omnes?
Ille pauens, stupidusq; rei nouitate precari,
Talia ne insonti facerent, superosq; vocare
Nequicquam: quando impatiens magis & magis vrget
Crescens corde furor, facibus furialis Erinnys
Instat atrox, Dæmonq; malus, qui obsistere fatis
Posse putans, cunctorum aciem vertebat in vnum.
At puer, vt nullis precibus, nullis ue moueri
Fratrum corda videt lachrymis, sed iam impete multo
Compelli in foueam, quod restat, lumina tollens
In cœlum, tales fundebat ad æthera questus.
Dij Abrahæ, Dij magni Isac, Dij patris Iacob
Vos ego si sancte colui, si iussa paterna
Semper obi, semperq; pie & sine crimine vixi,
Aspicite: &, si fata mihi nunc vltima pendent,
Vt moriar, miserum saltem seruate parentem.
At vos ò tenere fratres quos semper amaui,
Maioresq; habui, curate, hæc tristia ad aures
Ne patris adueniant, sed me rapuisse latrones
Dicite, quo saltem spe se soletur inani
Viuentis nati, stygias nec tendat ad vmbras
Ante diem: deserta ipse intumulatus arena
Emoriar. Lachrymæ dicenti talia fusæ
Ex oculis cecidere, simul voxq; ipsa repressa est.
Et iam etiam fratrum sedari pectus & ira
Cœperat, Isachar cum, ne desistite fratres,
Dixit, ab incepto: quin, vinctum & fune ligatum
In foueam mittamus: ibi suspensus in imo
Sistatur fundo, donec meliora parent Dij
Consilia, atque cibum interea capiamus in herba,

Quandoquidem

Quandoquidem iam Sol inuitat, & altior hora.
Assensere omnes dictis, puerumq; reuinctum
Ad puteum flentem ducunt: hic fune ligata
Arboris ad truncum pendentis desuper altæ
Demittunt pauitantem intro, fundoq; relinquunt
Suspensum. ast ipsi circum per gramina fusi
Implentur vili cerere, & cariotide pingui.
At Deus, ætherio terras qui spectat ab axe,
Insontem aspiciens, illo & miseratus amore,
Quo mare, quo terras, quo cœlum condidit altum,
Vnum ex aligeris, qui circum mille, ministris,
Expectant mandata, vocat: fidissime, & inquit,
Vade age, Samariamq; tibi notissima dudum
Arua pete, &, quem scis fatis ad magna vocari
Isacidæ puerum, qui cæco poscit ab antro
Auxilium, & fraterna odia & facta impia plorat,
Hunc inopem solare: nec est mandare necesse,
Quæ referas, cui nota mea est & aperta voluntas.
Sic ait, & nutu placido, quo sydera cursu
Perpetuo ducit, iuuenem dimittit. at ille
Aetherias humeris accingit tenuibus alas,
Queis cœlum illæsum penetrat, queis nubila tranat,
Præuertitq; fuga Zephyros. iamq; æthera scindens,
Aërios tractus, & inania lata secabat.
Qualis, vbi in liquidis stagnis, aut ardea longe est,
Aut albus conspectus olor, sacer accipitrum rex
Post varios gyros sublimis ab æthere lapsus
Immotis secat alta ruens oculo ocyus alis.
Impete non alio volucer cœlestis adibat
Samariæ terras: primus quem vertice summo
Excepit Tabor, insuetùm frondescere syluas
Miratus, terramq; noua vestirier herba,
Et varios præter solitum summittere flores.
Excepere illum prognatæ monte Napeæ,
Et diuina Deo cecinerunt: omnia rupes
Responsant, ipsa antra Deum, syluæq; salutant.
At sacer interpres Diuorum, vt vertice ab alto
Lumina deflexit terris, ac gramine fusos
Vescentesq; videt fratres, ast inde camellos
Mercatorum Arabum spectat, Iouis omnia facta
Imperio,

Imperio, hinc animum ad miserum conuertit Ioseph,
Descenditq; celer: puteiq; in margine summo
Vt stetit, extemplo noua lux effulsit in antro,
Miratum & subitus puerum circumstetit horror.
Quem pius interpres placida sub imagine, & ipso
Ore puer puerum dictis solatur amicis.
Pone metum Dijs chare, patrum Deus ille tuorum,
Qui cœlum regit, huc alto me ex æthere mittit,
Qui referam mandata tuos solantia luctus.
Hinc primum mittère foras, sed venditus auro
Nomine mancipij: tum Nili in regna fereris,
Atque iterum vendère illic, multosq; per annos
Seruus eris. tunc ne vetita atque iniusta libido
Te alliciat, neu Dij alieni, & falsa, caueto,
Numina decipiant. vestrum si semper habebis
Corde Deum, ipse aderit semper tibi, te bona semper,
Quicquid ages, quocunque ieris, fortuna sequetur.
Quin, magis vt fidas animis, tibi magna parantur
Imperia: & tempus veniet, cum vera videbis
Somnia visa tibi, cum te fratresq; paterq;
Supplice adorabunt fletu: misereberis illis,
Né ue perire fame miseros patieris iniqua.
Quin ipsos, natosq; illorum, ipsosq; nepotes
In partem imperij, atque in tua regna vocabis:
Ingens vt tandem populus concrescat, arenæ
Instar: quem Deus Aegypti de parte superba
Deducet tandem, & pedibus super æquora siccis
Pertransisse dabit: mox hæc in regna reducet,
Lacte nouo quæ regna fluent, & melle perenni.
Mox (anni properate) diem fœlicia secla
Aspicient, secla illa diem, quam tanta futuram
Vatum oracla canunt, quum demittatur ab alto
Magna Dei soboles, vestro de sanguine creta,
Quæ scelus antiquum tollat, quæ limina cœli
Clausa diu, magniq; fores præpandat Olympi.
Nec plura effatus cœlum se tollit in altum.

At iuuenis, quanquam stupefactus numine tanto
Restitit, & rerum confusus imagine multa,
Lætatur tamen, atque animum per singula versat,
Speq; futurorum præsentem corde dolorem

Discutit,

Discutit, atque oculos in cœlum & sydera tollens
Sic fatur. Rex terrarum, Rex ætheris alti
Omnipotens, patrum Deus & tutela meorum,
Respice nos, & nostra tuo sub numine si spes
Est omnis, super his primum miserere parentis.
De me autem quicquid statuet tua recta voluntas,
Seu lætum, seu triste pares, nihil ipse recuso.
Vnum oro, si parca mihi vidisse negabit
His oculis fœlicem illam, semperq; beatam,
Optatamq; diem, qua tandem ex æthere summo
Descendet tua progenies, da cernere saltem
In speculo, atque vmbram mostra mihi, speq; fideq;
Noscere da, puroq; eius de fonte lauari.
Dixit, & ex imo traxit suspiria corde.
Interea è Madian, stacten, bdelamq; ferentes
Cinnamaq;, & liquidam styracemq;, & pinguia thura
Transibant Arabes, quà stabant gramine læto
Vescentes iuuenes simul & diuersa loquentes.
Qui vt primum videre viros, Deus (inquit Iudas)
O fratres meliora parat, quàm nostra ferebant
Consilia: his etenim si mercatoribus ipsum
Vendamus puerum, cum lucro auroq; piati
Fraterna à morte immunes reddemur, & ad nos
Posthac nec fama adueniet, nec nomen Ioseph,
Siue Arabes isti Aegyptum, seu barbara regna,
Marmaricam, Libyam ue petant. ergo vnus ad illos
Mittatur, qui mancipij sub nomine, merce
Proposita pretium statuat, responsa reportet.
Dicta placent, qui pacta meat, iam mittitur. ipsi
Interea speluncam adeunt, funemq; ligatum
Arboris ad truncum soluunt, & in æthera sursum
Suspensum educunt puerum: qui talis in auras,
Qualis mane rosa, aut riguo Narcissus in horto,
Prodijt, & formæ seruato vera decore
Signa dedit, certumq; Dei præsentis amorem.
Iamq; aderat mercator Arabs, & nuncius vnà
Vile satis pacti precium. proh Iuppiter, ille,
Quem tanta in fatis promissa, & tanta manebant
Imperia, argenti is deno venditur asse,
Mancipium infœlix. iam curuo terga camello

Excipitur, Nili ignotas iam fertur in oras.
At quadrupes, ceu diuino sub pondere, vector
Insolitos dedit hinnitus, & signa recentis
Lætitiæ: iamq; & grato facilisq;, leuisq;
Sessori tergum, sellamq; accommodat aptam,
Agglomeransq; pedes, retro socia agmina linquit.
At fratres puer, vt cessit, mala nuncia patri
Quis ferat, & quo infanda tegant facta impia pacto,
Ambigui, tandem statuunt præmittere vestem
A puero ereptam, caprino sanguine tinctam
Qui ferat, inuentamq; inter nemora auia dicat:
Danq; placet commissa dari. qui instructus abunde
Omnia, longæuum non hæc miseranda parentem
Expectantem adit, & monstrato sanguine & ipsa
Veste, ait, hanc nostræ nemora inter deuia primæ
Inuenere canes: cuius sit vestis, & vnde
Hic cruor, ignari, patrem primum esse monendum
Duximus, vt te (siquid agendum est) consule agatur.
At pater, vt notam, maculisq; & sanguine vestem
Conspersam vidit, quis te charissime Ioseph,
Quis Diuûm, vt tecum morerer, spes vna senectæ
Nate meæ, quis casus, ait, tam durus ademit?
Heu mala te syluæ fera sustulit. ite per alta
Vos nemora, &, siquid misero de corpore restat,
Omne afferte mihi, saltem vt suprema sepulchri
Dona feram. vel & ipse, feris laniandus, in altas
Proripiar syluas: dabitur natoq; patriq;
Mors eadem. hæc dicens, fœdatos puluere canos
Vellebat, lacerosq; sinu excindebat amictus.
Et famuli tandem collapsum in tecta reportant.
Parte alia Ruben, vt serum se vesper in orbem
Intulit, ad caulas pecudes pecudumq; magistri
Cum redeunt, saltusq; vacant pastoribus omnes,
Desertum ad puteum solus redit, atq; ibi Ioseph
Terq; quaterq; vocat. non respondente vocanti
Vllo, sollicitus, puerum ne forte necassent,
Rem spectare parat, cæsaq; ex ilice conto
Scalam aptat, solersq; imum se mittit in antrum,
Omnia collustrans. verum, postquam omnia dudum
Rimatus, puerum quæsitum haud repperit vsquam,

Ambiguus tandem reliquos perquirere fratres
Destinat: ac pecoris vestigia nota secutus
Per noctem, demum inuentos, de fratre quid actum est,
Inter multa rogat. rem totam ex ordine pandunt.
At Ruben, vt puerum audiuit superesse, nec vllis
Affectum damnis, hinc fratres, inquit, eamus
Ad miserum genitorem, & spe viuentis & auras
Spirantis gnati saltem (quod nunc datur vnum)
Solemur, rapuisse Arabes de more, relicta
Veste, leui pueri fugientis vulnere tincta:
Pastores ita ferre. aliquemq; adducere testem
Expediet, neq; enim deerunt, qui dicere poßint
Se vidisse Arabes. his ergo rite paratis
Patrem adeunt, &, quæ possunt, solatia iungunt.
Ille autem, quamuis aliqua spe forte leuatur,
Non tamen æternas lachrymas planctusq; perennes
Comprimere, aut tristi meditari gaudia mente
Vlla potest, sed vitam ægram noctesq; diesq;
In tenebris, hominum fugiens consortia, ducit.
Interea puerum lætus deportat Ioseph
Mercator, plenis miratus cedere votis
Omnia. non illis terræ exarsere diebus,
Non ventis agitatæ vllæ tolluntur arenæ
Ex solito: puerum charites comitantur euntem,
Et cœli fauor, & faustis spes dextera pennis.
Iamq; pererratis Iudææ finibus, altæ
Incipiunt turres & mœnia Osyridis vrbis
Apparere procul, campis vbi fusa iuuentus
Munera militiæ exercent: hi vincere cursu
Contendunt pedibus, hi fuluo in puluere sudant
Luctantes, alij duro sub pondere cestus.
Pars volucres exercet equos, cursuq; fatigat,
Aut inferre hosti versas post terga sagittas
Discit equo currente, aut hastam tollere campo.
Ergo Arabes postquam accessere, & pulcher Ioseph,
Mirati pugnas, placidi & præludia martis
Consistunt, oculisq; intenti & pectore toto
Vix satis expleri possunt. quos forte magister
Militiæ, Eunuchus regis, cui summa potestas
Et duri data erant Mauortia munera belli,

Vt vidit, confeſtim ad ſeſe accedere iuſſos
Compellat. geritis'ne vllus, quas vendere, merces,
Optetis? quædam, dixere, & aromata, & iſtum
Geſtamus puerum, domino qui ſi placet, vltro
Munus habe: aut emptum ſi mauis, pro indole tanta
Da quod uis: pretium eſt magnum tua gratia nobis.
Ille autem, haud vnquam ingratum mercator habebis
Fetifarum: accipiam puerum, at tu munere largo,
Speq; tua maiore, mihi donabere multo.
His dictis recipit puerum, quem veſte decora
Induit, & ſagulum donat, quo purpura limbo
Fulua nitet, tum donat equum: lætiſſimus ille
Altior it iuuenes inter pulcherrimus omnes.
Quem cuſtode dato lætus præmittit ad vrbem
Fetifer, & charæ vxori commendat habendum.
I nterea ſeras inuexerat Heſperus horas,
Et iuuenum campis cedens manus omnis apertis
Ibat ouans comitata ducem, ac iam pulcher Ioſeph
Vt dominam inuiſit, thalami & cognouit hærilis
Officia, ipſe humilis ſeruorum ſe agmine miſcens
Obuius it domino. media ſe qualis arena
Monſtrat gemma nitens, radijs'ue micantibus aurum,
Talis & ipſe puer multis in millibus ibat.
Quem matres, populusq; omnis mirantur, vt ipſo
Inceſſu, grauis ore, pedes non dimouet vſquam
A duce, non oculos, ſed ſemper totus in illo eſt.
Nec minus, intra ædes vt ventum, epulæq; paratæ,
V lli ipſe officio deeſt, ſeu corpore opus ſit,
Seu celeri ingenio. ſed enim ſuper omnia mira eſt
Grataq; ſedulitas, apta & prudentia cana.
Quo factum eſt paruo poſt tempore, Fetifer illum
Non thalamo vt tantum ipſe ſuo præfecerit vnum,
Sed domui, & rerum ſummam commiſerit omnem.
Scilicet auſpicijs & Dijs cuncta ire ſecundis
Fetifero ſunt viſa, agri producere fruges
V berius, ſobolem armentum, ſibi creſcere honores.
Omnia quæ, oſtento quodam permotus, Ioſeph
Attribuit puero, uatumq; oracula ſuadent.
Arbor erat Perſæa, Deo ſacrata Cameſi,
Aedibus in medijs, quam vectam è Perſide fertur

Orbe pererrato monumentum insigne futurum
Ipsa suis manibus plantasse nepotibus Isis.
Hanc apis externis veniens insedit ab oris,
Insignis fulgore & versicoloribus alis
Pulcher apis: quem mox examen grande secutum
Pendentem ramo longum traxere racemum.
Protinus ostentum ad vates defertur. at ipsi
Venturum externis aliquem portendere ab oris
Declarant, ingens populus quem deinde sequatur,
Ipsum qui fortunæ opibus super æthera tollat
Fetiferum, largosq; simul promittat honores.
Ergo his augurijs tantis censetur Ioseph
Monstrari, hinc maiore illum dignatur honore
Fetifer, hinc omnes adamant: sed maxime Iempsar
Pulchra ducis coniux præ cunctis diligit vnum,
Nescia adhuc, quanto iam sit deuota furrori,
Quis Deus insideat miseram. suspiria nondum
Emittit, nondum lachrymas, sunt omnia læta
Dulciaq;, & nondum quicquam persentit amari.
Quæ Deus, infernas sedes, cocytia regna,
Qui regit, humani generis turbator & osor
Vt vidit Pluton, semenq; accrescere fœlix
Isacidum, inuisam sobolem, vocat ocyus vnum
Seruorum, quibus insidiæ fraudesq; doliq;
Sunt animo, queis mille artesq; viæq; nocendi.
Iq;, ait, & pulchram circum insinuatas Iempsar
Falle dolo, & primas escas, quas sensit amoris,
Tu flabris accende, imis illum ossibus ignem,
Illam immitte facem, quam nec vis vlla Deorum,
Non hominum extinguat: mox ipsum accendere Ioseph
Si possis, omni arte stude. quod vincere siqua
Non dabitur, tu perge tamen, pete rursus Iempsar,
Acrius vre, furorem adde, inspiraq; venenum.
Queis monstris agitata domum permisceat omnem,
Inq; odium, furiasq; omnem conuertat amorem.
I celer, & nihil ipse doli scelerisq; relinque.
Ille hilaris, promptusq; malis sumptam è styge lympham
Miscet acidalio latici, tum ex anguibus vnum
Tisiphones capit, atque sinu mala semina condit.
Fetisari dein tecta petens, nutricis Iempsar

Induit

Induit Iphicles formam, dominamq; salutans
Audi (ait) ò mihi chara, miser quis casus Ioseph
Torquet ad extremum vitæ: vidi ipsa gementem
Nuper, & optantem supremæ munera vitæ.
Quærenti mihi, quæ tanti sit causa doloris,
O mater, ne quære (inquit) nam, siue tacebo,
Siue edam, omnino moriar: præstatq; tacendo
Et vitam, & nostri causam finire doloris.
Cui ego. non sic ò fili, nam vulnera sæpe
Auxilium patefacta & opem inuenere salubrem.
Dic audacter, amásne? hæc si tibi causa doloris,
Spera, & fide puer, nanque ipsum vel tibi amorem
Eripiam magicis, vel tu potiere cupito.
Erubuit: tum dixit, amo. Dij sunt mihi testes,
Hunc quantum eluctans cepi, quàm inuitus amorem,
Infidum in dominum qui me facit. at mihi sit mors
Exoptanda magis, fidum perijsse iuuabit.
Sic ait, & fusis lachrymis pulchra ora rigabat.
Vt video, puer hic dominam te deperit: at ni
Opportune adsis, nimio moriturus amore est.
Cui virgo, ò nutrix quàm dura & tristia portas,
Nanque & amo hunc puerum, & vellem succurrere posse:
Sed me iura Deûm, sed vincla iugalia primum
Obsistunt: tum me tanto male sana periclo
Obijciam, & duri haud formidem coniugis arma?
Et nutrix, ò nata, ipsorum crimina amantum
Dij ridere solent. soluendi iura mariti
Causa potens & iusta tibi est depellere mortem
A puero, qui nec crimen commiserit vnquam,
Ni crimen sit amare nimis, vel amore perire.
Audendum est in amore, pericla nec vlla timenda
Prudenti, Dij deinde ipsos tutantur amantes,
Queis amor, & pietas, est prima & maxima cura.
Est mihi aqua, in dubijs rebus quæ assumpta videre
Vera facit, dubijq; omnis pars vtra legenda est.
Hanc dabo, si hac in re ancipiti stat cernere verum.
Ac stygiam demonstrat aquam, medicataq; fonte
Pocula acydalio. placet ò charissima nutrix,
Virgo (inquit) totumq; manu capit ipsa venenum
Intrepida, atque vno craterem exhaurijt haustu.

His



His actis puerum Iphicle se vertit ad ipsum,
Et gressu ad thalamum illius contendit anili:
Qui laudes superûm regi & diuina legebat.
Vt vero in thalami mentitus limine Dæmon
Constitit, & puero cœlestem assistere Ioseph
Custodem vidit minitantem, ensemq́; coruscum
Vibrantem, extemplo subita formidine captus
Horruit, & retro gressusq́;, animumq́; reduxit,
Aufugitq́; celer: nocturnæq́; alitis ottus
Effigiem capit, & tecto se sistit in alto.

LIBER II.



T misera, vt stygios latices desumpsit Iepsar,
Solaq́; permansit, totis ardere medullis
Visa sibi est, tota in subitum conuertier ignẽ:
Suspiransq́;, gemẽsq́; vnum deposcit Ioseph.
Et modo se imponit stratis, paulumq́; morata
Assurgit, modo mutat & hunc, modo mutat & illum,
Fastiditq́; locum infœlix, nec se capit vsquam.
Non secus ac solet ille, acris præcordia causus
Cui torret, vel quem Dypsas sitibunda momordit.
Tandem ait, heu quidnam est, quod me tam sæuiter vrit?
Est'ne amor, an sumpti latices? nempe est amor iste:
Quo moriar, nisi formosus succurrat Ioseph.
Tu mihi nunc succurre puer, succurrere nanque
Ipsa etiam tibi constituo. moriemur amando
Insontes ambo? Dij tanti criminis haud me
Authorem videant, non hæc Aegyptia tellus.
Dum licuit, potuiq́;, thori concordia iura
Seruaui, nunc maior agit me visq́;, Deusq́;,
Imperioq́; premit. sic sit mihi Numen amicum,
Vt nosco experiorq́; Deum, cui fœmina non est
Contra stare potens. Deus hic custodiet ambos:
Quin &, suetus amare, teget solatia nostra.
Dixerat, impatiensq́; moræ vocat ocyus Efren,
Vnam ex ancillis, dominæ quæ fida solebat
Ferre vigil mandata, vigil responsa referre.
Vade, ait, & puero dic, huc accedat, Ioseph,
Si vacat, & domini si nulla negocia nostri
Impediunt.

Impediunt. vadit illa cita, & mandata facessit.
Nec longe post iussus adest formosus Ioseph.
Quem solum admissum virgo mutata colore
Iuxta astare facit: tum corde & voce tremente
Chare (inquit) puer, atq; oculis mihi gratior ipsis,
Verane tu dominæ dices, quæcunque rogabit?
Vera equidem (an fallam dominos) ait ille, fatebor.
Tu quoduis pete. & illa. puer te perdite amare
Audio: si verum est, debent me nulla latere,
Nec, si sim, quam perdite amas, nam (vera fatebor)
Ipsa etiam te perdite amo. tu nec mihi amanti,
Nec tibi ego crudelis ero: da iungere dextram,
Qualis eris, quantoq; à me donaberis auro?
Sic ait, & summis puero dedit oscula labris.
Ille pudore rubens, & secum mente reuoluens,
Quæ Diuûm interpres puero mandauerat olim
In puteo, neu Dij alieni, aut iniusta libido
Alliceret, taciteq; Deum sibi adesse precatus
Hæc tandem responsa dedit. Quòd perdite amare
Audis me domina, illicitum si forsan amorem
Audis, non vllam fateor me perdite amare:
Nec sic ipse etiam à quoquam peramarier opto,
Præcipue à domina. scis rebus me omnibus vnum
Præfecisse ducem, seclusa coniuge tantum.
An'ne igitur legisq; meæ, dominiq; mei sim
Proditor? ah stygias potius detrudar ad vmbras,
Esca vel alitibus, media intumulatus arena,
Mittar: & hæc dicens dominam, thalamumq; reliquit.
Illa autem, vt sese illusam, & spe funditus omni
Deiectam vidit, tanquam qui fulminis ictu
Percutitur, primum stupefacta immotaq; paulum
Constitit, inde imo ducens suspiria corde,
Astringensq; manus, sese resupina cubili
Strauit inops animi, desertaq; sanguine pallens.
At malus hæc summo tecti de culmine dæmon
Aspiciens, aue deposita, se rursus anilem
Vertit in Iphiclen, miseramq; reuisit Iempsar,
Atque ait. ò, quinam casus te nata malignus
Insequitur? quid cor cecidit? quid pallor in ore est?
Ah ne animum assuetum, ne te ipsam desere nata.

En

En adſum auxilio nutrix tua, pone timorem.
Reſpice me. audito nutricis nomine paulum
Erexit ſeſe in cubitum, tum lumina torquens
O nutrix, quondam nutrix, nunc dira nouerca
Occidiſti, inquit, miſeram me, nec puer ille
Perdite amat, nec ſe (quod longe eſt peius) amari
Suſtinet, aut vllis precibus donis'ue mouetur.
Proieci memet, genus, & decus omne pudore
Fœdaui amiſſo, fractæ ſpes, fœdera rupi
Coniugij: tu cauſa mali, tu criminis huius
Principium. quid reſtat ad hæc, niſi cætera ferro
Conficere, & meritam hanc animam demittere ad orcum?
Cui dictis falſa Iphicle reſpondet amaris.
Heu mulier rerum ignara, & male conſcia amorum,
Quid mirum, puer inſuetus plenusq; pudore,
Ceu virgo intacta, ad primos ſi expauit amoris
Aggreſſus, de te dubius, metuensq; pericli?
Non ita res tractanda fuit, nec tu tamen omnem
Spem depone, rudem puerum nam rurſus adibo,
Arguam, & ignarum, quæ ſint facienda, docebo.
Tu tantum triduo expecta, lux quarta benignum
Sydus habet, miſeros ſydus quod ſpectat amantes
Coniungitq;. ſub hoc Hymenæus ſydere primum
Natus, & ipſe puer Venere enitente Cupido.
His dictis ſeſe paulum ſolatur Iempſar,
Erexitq; cadentem animum. meliora ferant Dij,
Vade (ait) interea ſacras venerabimur aras,
Fundemusq; preces, & amica vocabimus aſtra.
Ergo, vbi luce noua rutilum Sol aureus orbem
Impleuit, viſura Deos ſeſe ornat Iempſar,
Pulchra auro, ſpectanda oſtro, ſpectanda pyropo,
Sed forma ſpectanda magis, proprioq; decore.
Quam matrum numeroſa cohors comitatur euntem,
Nec non & famulis præſes formoſus Ioſeph
Lumina deiectus, dominæq; ſuiq; miſertus
It comes. ipſe tamen ſanctas procedere ad aras
Patronam putat, vt commiſſi criminis oret
Expoſcatq; Deos veniam, & deponat amorem.
Contra autem illa rogat Diuosq; & ſydera cuncta,
Vt faueant votis, & ſint in amore ſecundi.

Hæc eadem celebrat demens & luce sequenti,
Atque alia, donisq; etiam maioribus aras
Accumulat, pecudumq; fibras rimatur & exta.
Verum, Vbi quarta dies rediit, Solq; igneus orbi
Illuxit, lux sancta, inquit, lux optima salue,
Sydera Vos saluete, quibus coniungere amantes
Est amor, & sobolem mundo seruare perennem.
Tum puerum acciri charum iubet. ocyus ille
Nulla timens, & iam dominæ securus amorum
Aduenit. illa itidem sperans fore prospera cuncta
Nutricis decepta dolis, Vt Vidit amatum
In manibus puerum, meus es, meus, inquit, & ipsa
Sum tua: quid prohibet, ne nos iungamur amantes?
Iste torus communis erit: ne gaudia differ,
Neu sortem contemne tuam. tum pallia captat,
Et trahit ad sese puerum. stupet ille pudorem
In domina amissum, tandemq; his Vocibus infit.
Quis furor, aut quænam mala mens olim inclyta coniux
Fetiferi, nunc hæc suadet te talia posse
Moliri? certe Eumenidum nunc te Vna sororum
Exagitat, nam (quam reris) non est tua nutrix
Iphicle, sed de stygiis emissa tenebris
Dirarum Vna, dolis quæ te decepit & astu.
Illa eadem me aggressa malis conatibus ausa est,
Sed Vetuit tentare Deus. Vidi ipse retrorsum
Cedentem, & formam mentitam, & fumida noui
Sulphura, nidoremq; atrum post terga relictum.
Talia dictabat puer. at post ostia dæmon
Qui stabat, clausos magno conamine postes
Impulit, intrauitq; ferox, & lumine toruus
Tartaream effudit Vocem, qua terruit omnes.
En ego mentita Iphicle, en sum Vna sororum
Eumenidum, Vna è stygiis emissa tenebris?
Nunc faxo, experiare. sinuq; cita eripit anguem
Pestiferum, qui secreta sub Veste latebat,
In puerumq; iacit. custos cœlestis at illum
Reppulit, atq; omnes conatus fecit inanes.
At coluber, sibi ut in puerum sublata potestas,
In miseram insidias omnes molitur Iempsar,
Perq; solum tacite irrepens, Ventremq; retorquens

Lubricus,

Lubricus, in vestem insinuans se illabitur: inde
Interiora petens præcordia cuncta pererrat,
Tartareumq; virus iaculatur ad intima cordis.
His monstris puer interea pauefactus, amictus
Immemor aufugit, seq; in sua tecta recepit.
Quem virgo vt fugisse videt, vtq; acre venenum
Sensit, in insanum subito conuersa furorem,
Clamorem immensum tollit, quo ipsa atria, & omnis
Intremuit domus, & timuit vicinia tota.
Non secus, ac si Vulcanus penetralia cuncta
Inuoluat, cœloq; furens incendia iactet.
Currite io matres, scelus atque audite nefandum
Mancipis Hebræi, qui nunc proh Iuppiter ausus
Fetiferi est magni sacrum violare cubile,
Vimq; inferre mihi, nisi nutrix tempore in ipso
Prompta tulisset opem, & sceleratum veste relicta
Eiecisset. io fugitiuum apprehendite serui,
Ite citi, properate, viarum claudite cuncta
Effugia, & domini scelus hoc afferte sub aures.
Talia vociferans misera effundebat Iempsar,
Omnia quæ falsa Iphicle confirmat, & auget,
Dignum morte, fore hoc sceleris qui admittere tantum
Audeat, exacuitq; animos: clam deinde recedit
Nulli visa, & aui similis se immiscuit atris
Nubibus, & Stygias sedes atque impia Ditis
Regna petit, lætoq; refert crudelia facta.
Interea miser à seruis comprensus Ioseph
Ducitur, & nemo est, qui dicere multa volentem
Auscultare velit miserum, non Fetifer ipse,
Quem iam res audita acri compleuerat ira:
Non tamen vt morti damnet, sed turre sub ima,
Carceris esse locus miseris vbi sueuerat, illum
Intrudi iubet, & vigili custode teneri,
Tantum olyra vili, limoso & plumine pasci.
At iuueni cœlestis erat custodia maior
Aliger ætherius, summo qui missus ab axe
Carceris intrarat portas, vbi proxima terras
Nox omnes cæcis tenebris obduxit & vmbra.
Ergo aliàs puero notus, solatur amico
Ore illum, firmatq; animum, tollitq; timorem

Luce noua, excussa noctisq; & carceris vmbra.
Omnia quæ postquam custos Aegyptius alta
Prospexit de turre, Deus Deus, inquit, in illa
Luce viget, nosco splendorem & verba notaui:
Nec deus est illic, nisi & huius criminis insons
Est puer. insontem seruabit Iupiter æquus.
Ex illo custos iuuenem veneratur Ioseph,
Et pascit meliore cibo, quàm dura iubebant
Fetiferi mandata, & duri carceris omne
Tollit onus ferrumq; pedum, visitq; frequenter,
Solaturq;, & sæpe in cœlum educit apertum.
Iamq; quater binos Phœbe compleuerat orbes,
Cum duo, quorum alter pincerna Pharaonis, alter
Pistor erat regis, præ suspicione veneni
In Cerere inuenti, conclusi carcere eodem
Cum puero Isacide fuerant. hi tempore paruo
Post, vterq; vna viderunt somnia nocte,
Somnia, quæ mox mane nouo dum mutua versant,
Ignari, quid portendant monstrent'ue futurum,
Sollicitis stabant animis. quod pulcher Ioseph
Conspiciens, quidnam iuuenes tam pectore tristes
Vos hoc Sole nouo video? nos somnia facta
Nocte hac sollicitos reddunt, quæ exponere, nemo est,
Qui sciat hîc, dixere. quibus sic pulcher Ioseph.
Somnia vos narrate, Deus dignoscere forsan
Illa dabit. dicemus (ait) pincerna, priorq;
Ipse edam. nam vitis erat pulcherrima ternis
Læta propaginibus, gemmas turgescere primum
Palmitibus, mox & flores exire videbam,
Post flores grauidis vuas pendere racemis:
Quos ego maturos manibus premere ipse videbar,
Vinaq; diffundens pateris spumantia plenis
Regi larga dabam, solito Rex more bibebat.
Cui puer interpres. quidnam tua somnia monstrent,
Expediam. vitam illa tuam pulcherrima vitis
Ostendit: gemmæ, flores, vuæq; secutæ
Sunt fructus, quos tu peperisti temporis huius
Curriculo: dabitur merces, & honoribus ipse
Restituêre tuis, & pristina pocula regi
Consueto de more dabis: terna illa propago,

Tres luces (quibus hæc veniant, tibi prospera monstrant.
Tu vero, cum te charum gratumq; Pharaon
Accipiet, nostri (si qua huius gratia facti est)
Sis memor, immeritumq; isto dic carcere claudi.
Tum pistor, simulac vidit dicta omnia recte
Congruere, ipse etiam, dixit, mea somnia pandam.
Nam capiti imposita ipse meo tria plena canistra
Spectabam, duo farinæ inferiora, supremum
Omni opere plenum, omni illo pistoria quod scit
Ars facere, & nostrum ingenium, sed cuncta volucres
Exesse & secum latas deferre per auras.
Cui bonus interpres, Diuûm est nouisse futura,
Falli hominum est, dicam, quid nam tamen augurer ipse
His super. illa (quibus vidisti plena) canistra
Sunt opera & vitæ fructus: duo prima, vbi simplex
Farina est, vitæ monstrant duo tempora prima,
In quibus & simplex vita & syncera peracta est:
Summum opere infido plenum est, & fraude, dolisq;
Omnibus, ingenium quæ, aut ars pistoris iniqui
Extudisse valet, quæ sunt iam cognita regi.
At merces horum meritorum & præmia, fœdæ
Sunt volucres, corui immundi, miluiq; rapaces,
Vulturijq;, caput qui effossaq; lumina pascent
In cruce suspenso: tribus hæc ventura diebus
Terna canistra notant: tamen hæc me fallere possunt,
Si tu animo posis mutari, nam & Deus ipse
Sæpe solet mutare mala & conuertere fata.
Talia tractabant iuuenes. & tertia iam lux
Orbi inuecta aderat, cum custos carcere aperto
Pincernam insontem, noxa pœnaq; solutum
Declarat, miserum regis decreta seueri
Pistorem damnare cruci. de carcere vterq;
Ducitur haud æqua sorte, & longe impare fato.
Hic ad tigna, ille ad regem stipatus ouantum
Et lætus clamore virûm, & clangore tubarum.
Vertitur interea ter Solis cursus in alta
Solstitia, atque nouum mundo portauerat annum:
Forteq; Rex dulcem prona iam nocte quietem
Ducebat, Deus ex alto cum somnia in illum
Immisit, miranda adeo, vt cedente sopore

Attonit.

Attonitus rex magnum aliquid portendere visa
Crederet. ergo omnes iubet è regione vocari
Caldæa, Aegyptoq;, quibus cognoscere cursus
Metiriq; vias cœli, & momenta minuta
Astrorum, casusq; hominum, & prænosse futura est
Cura audax, nec non magicis qui incumbere sacris
Consueuere, & qui ex adytis oracula Diuûm
Consulere, & cæsarum ouiumq; boumq; per exta
Rimari secreta solent, qui noscere flammæ,
Qui fluitantis aquæ motus, qui iungere arenæ
Fatalem numerum, & cognoscere fulminis iras,
Quiq; vias seruare auium, & dignoscere cantus,
Denique, diuini rerum quicunque vocantur.
Quorum ingens numerus magni plena atria regis
Intrarant, alij longis capita alta thyaris
Induti, ast alij spectandi cornibus hirtis,
Auratis alij strophijs: longissima mento
Cunctis pendet barba, ipso stat pallor in ore.
Quos simulac ad se rex alta à sede vocauit,
Somnia visa docet primum, dein munera larga
Promittit, largosq; illis proponit honores,
Somni qui interpres fuerit: noctemq; diemq;
Responso tempus statuit. sed noxq; diesq;
Venerat, & nemo apparet, qui somnia regi
Enodare queat, nulli sua sydera, nulli
Ars magica, aut quæsita aris oracula prosunt:
Non artes aliæ, non barbæ, altæq; thyaræ.
Ergo hinc irasci, & tristis mœrere Pharaon,
Nec quenquam audire, at solo in conclaue latere.
Hîc regis pincerna, memor, quæ in carcere Ioseph
Fecit, & ipsorum quàm verus somnia vates
Exposuit, subito regem petit, atque ita fatur.
Peccaui rex magne tibi, quæ in carcere vidi,
Non referens. nam scis, ut mecum pistor iniquus
Carcere damnatus fuerit sub turre magistri
Militiæ, eunuchi. forte illo carcere eodem
Fetiferi puer Hebræus, puto, crimine falso
Missus erat. duo nos (ita suasi) somnia quædam
Nocte habita à nobis, iuueni narramus. at ille
Diuino quodam afflatu visa omnia nobis

Exponens,

Exponens, mihi, te, dixit, lux tertia ab isto
Carcere deducet, multis & honoribus auctum
Restituet primo officio: te pistor inique
Lux eadem in cruce consistet, te immunda volucrum
Agmina depascent, corui, miluiq; rapaces,
Vulturijq;, nisi ipse animum conuertere poßis
In melius, sic nanque Deus mutatur & ipse.
Omnia quæ euenisse vides. tua somnia certe
Hic puer exponet, magnum nam numen in illo est.
Auditis Rex lætus ait. vade ocyus ergo,
Duc puerum, & nostro iussu de carcere solue.
Ille celer mandata facit, puerumq; parumper
Ornat, detondetq; comas, vestemq; ministrat.
Tum regi adducit timidum. rex omnia lustrat
In puero, sibi cuncta placent, sic denique fatur.
Te puer hi dicunt exponere somnia, nunquid
Vera ferunt? ast ille. Deus rex optime solus
Somnia nosse potest, & sicui maximus ille
Hoc dederit. potero ipse meo pro rege precari
Atque orare Deum: forsan dabit, omnia quando,
Quæ regum sunt, ipse solet curare Deûm rex
Aquæ hominum. dein paulum animoq; & mente moratus,
Nunc, inquit, rex magne mihi tua somnia pande.
Fluminis ad ripas Nili stare ipse videbar,
Rex ait, & septem ecce boues è flumine pulchræ
Exire, & latè errantes per littora pasci
Florentes herbas, lothon, medamq; virentem,
Et suauem mynianta, quibus pinguescere, quantum
Plena solet, sacras quæ ducitur hostia ad aras.
Vix oculos verti, ecce aliæ per littora septem
Deformes, ægræq;, quibus vix pellis adhæret
Oßibus, apparere boues, quæ carice summa
Vix pastæ & dura paliuro & sentibus hirtis
Corpora macra, suis neruis vix ducta, trahebant.
Obstupui. nam dira fames atque ardor edendi
Improbus exegit tantum has, vt pinguia septem
Corpora prima boum congressæ tota vorarent.
Mox iterum dulcis me habuit sopor alter, & ecce
Rursus septem vno spicæ consurgere culmo,
Pulchræq;, grauidæq;, & onustæ pondere multo.

Mox aliæ ſeptem oriri tenueſq; & inanes
Exili è ſtipula, ſcabraq; vrigine toſtæ,
Quæ ſuccum & decus omne aliarum abſumere viſæ
Sunt mihi. miratus, poſtquam ſopor ille receßit,
Somnia propoſui multis, ſed dicere nemo
Scit ſenſum & portenta horum: te ſi manet iſta
Gloria, ſi te vnum è tantis hæc ſomnia poſcunt,
Toto animo lætare puer, te fama ſequetur
Perpetua, & tantis à me ditabere donis,
Vt te non videat maiorem Aegyptia tellus.
Cui iuuenis. rex magne Deus te diligit, ipſe eſt,
Somnia qui immiſit, nec, quæ illa intelligat, eſſe ars
Vlla poteſt, quæ authore Deo non vtitur: vnde
Nec vates potuere tui, quibus omnibus eſt ars
Abſque Deo. primum ſeptem fœlicibus annis
Largius vndantem ſolito, maioreq; Nilum
Flumine rumpentem ripas, ſecumq; trahentem
Fœlicem limum, fœcundæq; æquora arenæ
Fortunata nimis tellus Aegyptia cernet.
His annis tantum meßis, tantum vberis illa
Colliget, vt non ſufficiant ſolita horrea meßi.
Vbertatem iſtam pingues nimiumq; nitentes
Monſtrauere boues ſeptem, quæ è flumine Nili
Exiuere, herbas pingues per littora paſtæ.
Hanc etiam & ſpicæ ſeptem, quas pondere onuſtas
Lætaſq; plenaſq; vno conſurgere culmo
Vidiſti, pariter monſtrant: nam ſomnia viſa
Non duo ſunt, ſed idem oſtendunt. nunc porrige mentem
Optime rex, nam ſeptem annos, qui deinde ſequentur,
Infœlix ſteriles duroſq; Aegyptus habebit.
Ipſe intra ripas demiſſo flumine Nilus
Curret iners, ſupraq; caput limumq; feracem
Non tollet: ſicca arebunt arua omnia, ſicca
Solſtitia, & nulli deſcendent montibus amnes
Conſueti pluuiarum amnes ſub ſydere Cancri,
Aethiopum populis nec hyems æſtiua redibit.
Agricola infœlix nullo verſabit aratro
Arua, nec arenti mandabit ſemina terræ,
Sed miſeros edet annona cogente iuuencos.
Hæc ſeptem docuere boues per littora ſiccæ,

Deformes,

Deformes, macræq;, quibus vix oßibus hærens
Pellis erat. hæc septem illæ rubigine tostæ,
Squallentesq; situ spicæ, & sine pondere turpes
Ostendunt. duplici exemplo te commonet ipse,
Qui nouit ventura, Deus, quo tu quoque solers
Commoueare magis, damnoq; occurrere poßis.
Quod facere vt valeas, si me fortasse requiris,
Sic habeas. maiora para primùm horrea, & omne,
Quod superat segetum his septem fœlicibus annis,
Coge illic, seruaq; vigil: dein multa talenta
Auriq;, argentiq; in fruges vndique emendas
Impende, annorum quantum penuria septem
Exposcet venturæ formi campisq; serendis.
Talia narrabat iuuenis, quæ singula mente
Rex uoluit tacita, tandem & sic voce profatur.
Hoc certe Deus in puero, nec talia dici
Absque Deo potuere, nec illi Aegyptia tellus
Aut Caldæa vidit similem. tum amplectitur illum
Lætitia illachrymans. post me tota ista secundum
Te aspiciet regio, seruatoremq; vocabit.
Sic ait, & chlamydem gemmis ostroq; nitentem
Ferre dat, atque auri torquem circundare collo.
Mos erat, vt gemma cœlata, insignis & auro
Annulus, antiquo regum de more vocatus
Regius, à nullo, nisi rege Pharaone, poßet
Gestari, aut siquis foret ipso ab rege secundus:
Hunc sibi rex digito detractum imponit Ioseph,
Quo populus post regem illum sciat esse secundum.
Præterea, qua se solennibus ipse diebus
Inuectum mula populis vrbiq; solebat
Ceu quendam monstrare Deum, sic mandat & ipsum
Vrbe vehi, mulaq; eadem procedere Ioseph,
Præclamante tuba, regi inclinate secundo
Quisque caput, sanctoq; nouos conspergite flores
Seruatori hominum, solus qui somnia regis
Exposuit, qui plena Deo præcordia gestat.
Talibus ornatus donis, & honoribus auctus
Isacides iuuenis cuncto acclamante senatu
Præficitur toti Aegypto. Qui sedulus omni

Ingenio curaq; in primis horrea vbique
Magna parat, mox frugum ingentibus vndiq; aceruis
Collectis, partim terra Memphitide natis,
Partim emptis aliunde implet, stipatq;, nec vllum
Dat rebus spatium: regionem lustrat, equorum
Comminuit numerum, atq; hominum: Dij cuncta secundat.
Vrbs erat Helipolis, Solis de nomine dicta,
Cuius Rex, idem & templi Phœbiq; sacerdos
Supremus natam formæ & virtutis habebat
Insignem, quam sæpe Deus consultus Apollo
Dixerat haud vlli indigenæ thalamo esse locandam:
Coniugium externum fato maiore parari,
Quo genus, & clari tollantur in astra nepotes.
Ergo istæc iuuenem monstrare oracula Ioseph
Censet & antistes templi, & rex ipse Pharaon.
Quocirca, cum iam septem fœlicibus annis
Aegypto in tota vbertas, atque omnia vbique
Læta forent, placuit regi dignis hymenæis
Et thalamo Isacidem iuuenem sociare iugali,
Lætitiamq; augere, diesq; inducere festos.
Ergo hæc per ludos dum per conuiuia læta
Ducuntur, septem fœcundi messibus anni
Iam finem, vbertasq;, omnis iam copia habebat.
Iamq; pererratis Geminis per sydera Cancri
Sol altos ducebat equos, Aegyptia cum gens
Miratur Nili nulla incrementa videri,
Sed purum & nulla permixtum flumen arena:
Ipsum inter ripas tristi procedere cursu.
Iam tellus fœcunda prius, nunc aret, hiatq;
Vsta siti, nec spes Cereris promittitur vlla.
Semina quin etiam, siqua immittuntur in aruis,
Aut nullos edunt fœtus, aut protinus omne
Enatum fœdæ vitio rubiginis aret,
Aut abit in lolium infœlix, fluidum'ue papauer.
Viuitur ex annis lapsis, retroq; coacto
Fœnore, quod primo sterili vix sufficit anno.
Verum, vbi dira fames homines se vertere ad herbas,
Et pecus immeritum, atq; immunda animalia adegit,
Regem vrbes & rura adeunt, subsidia poscunt.
Rex

Rex ad Præfectum cunctos dimittit Ioseph,
Seruatorem hominum. populis hinc horrea aperta,
Et iustum indictum precium: gaza vndique & omnes
Congestæ portantur opes: æraria regis
Complentur: nec adhuc quartus se verterat annus.
Quid facerent miseræ gentes? sola arua supersunt,
Quæ vendant, si emptorem habeant, nam solus Ioseph
Esse potest pro rege emptor. ergo ille rogatur,
Arua emat, & miseris det opem, nec pacta recuset.
Redditum cuiusq; agri quintam dare regi
Promittunt, sic pacta ineunt, sic fœdera firmant.
Interea, externas quoniam penuria terras
Hæc eadem affligit, populos it fama per omnes
Aegyptum sat frumenti, quod vendat, habere.
Ergo & Sichenus natos affatur Iacob.
Cur non Aegyptum nati, cur regna beata
Non petitis, cur non nobis alimenta paratis?
Num perimat nos ista fames? mandata capessunt
Natorum deni: fratrum natu vltimus astat.
Vt vero Aegyptum petiere, & Osyrida terram
Frumentis præfectum adeunt, & supplice cultu
Aere dato frumenta rogant. cognouit Ioseph
Germanos, statuente Deo, non cognitus illis.
Præteritiq; memor, quamuis iniuria multum
Facta potest, tamen & patris, fratrisq; misertus
Beniamin, his etiam parcit, tum fatur ad illos.
Vnde, & quinam hominum ad nostras acceditis oras?
Illi autem. è terra Canaam, de sanguine Iacob
Venimus huc cogente fame, quæ plurima perdit
Samariam. domus est nobis plenissima, primus
Est pater, vndeni nati, paruiq; nepotes,
Pastorumq; manus, vernarum est plurima turma.
Venimus ergo ad te, nobis alimenta rogantes,
Ne pereat gens tanta, tibi iusta æra dabuntur,
Nec nos immemores erimus. pater optimus vrbem
Ipse regit Sichen, pastor, cui millia multa
Sunt pecudum: quouis precio da viuere tantum.
His verbis quanquan frater commotus, & ægre
Abstinuit lachrymis, ficto tamen omnia vultu

Dißimulans, quid verba mihi datis, inquit? an ipse
Eludar? nisi me os fallit vultusq; loquentum,
Exploratores puto. cur mandata paterna
Non geritis? cur nec frater huc venit & alter?
Ast illi, minime. tales ne rere, precamur.
Per patrem patrisq; Deum iuramus, adire
Nos iußit, nos dira fames: natu vltimus vnus
Cum patre Beniamin adolescens restitit, & spes
Solamenq; senis: nos, qui sufferre laborem
Possumus, atque moras longarum auferre viarum,
Venimus orantes vitam, mandata putantes
Nulla opus esse istuc ferri: miserere præcantum,
Et miserere patris, pueri miserere relicti,
Paruorumq; (potest pietas si in te vlla) nepotum.
Hic lachrymas vix continuit, conuertit & ora,
Toto animo & vultu multum commotus Ioseph.
Inde ait. est mihi firma viri sententia menti,
Frater vt huc alius veniat: vestrum hic erit vnus
Obses, vos alij ad patrem frumenta feretis.
Interea. haud aliter (per Regem & numina iuro)
Vlla potest vobis cedendi hinc esse potestas,
Neu faciem spectare meam, aut audire loquentem.
Consulite, & ternis dentur responsa diebus.
Sic ait, & custode dato victuq; remittit.
Illi, inter sese postquam diuersa locuti
Viderunt præfecti animum, præstare putarunt
Ferri multa domum frumenta, loco obsidis vnum
Dimitti, properare alios, iterumq; reuerti
Emptum alias fruges, alium & conducere fratrem.
Ergo nominibus scriptis sors ducitur, obses
Extrahitur Symeon. & iam lux tertia mundo
Clara aderat, responsa petit præfectus, at ipsi
Enarrant decreta. igitur frumenta parari
Imperat accepto precio: clam deinde ministros
Admonet, vt summis saccis æra omnia ponant.
Quod fuerit cuiusque, datum: custodibus obses
Traditur: at fratres oneratis tergora asellis
Aegyptum, & multo fratrem mœrore relinquunt,
Samariamq; petunt. quò postquam denique ventum est,

Et

Et genitor numero natorum vnum abfore vidit,
Clamat, vbi Symeon meus est? cur cernere natum
Non datur? est'ne æger? minime pater, inquit Iudas,
Sed valet, Aegypti est obses tellure relictus,
Dum rursus redeamus, & hinc ducamus & istum
Beniamin. nam, qui frumenta vendidit, vt nos
Audiuit vir magnus, & ab ipso rege secundus,
Quæsiuit multa a nobis, nunquid pater esset,
An frater nobis alius: quæ cum omnia recte
Diximus, uos certe istas venistis ad oras
Exploratores, inquit, mandata paterna
Cur non huc geritis? cur non alium quoque fratrem
Huc duxistis? ad hæc respondimus omnia. tandem
Summa fuit frumenta dari, nos deinde reuerti,
Adduci puerum, interea detur obses, & vnus
E nobis maneat: per Regem & numina cœli
Iuro (inquit) nec vos aliter frumenta feretis,
Posthac, nec me audire vnquam aut spectare licebit.
At pater, hæc postquam audiuit, proh Iuppiter, inquit,
Est'ne adeo infœlix alius pater? occidit vnus
Natorum, est obses alius, subducitur alter
Cum reliquis, simul vt cuncti moriantur, & ipse
Expectem, ferat hæc nostras crudelis ad aures
Nuncius: ô prius hanc miseram Dij demite vitam.
Talia fundebat lachrymans. circum vndique nati
Solantur, tam aduersa bonos non numina habere.
Mox, vbi depositis soluerunt vincula saccis,
In summis æs omne datum preciumq; repostum
Inueniunt: stupuere omnes, sed tristis Iacob
Hoc derat nati, hoc, inquit, quod funditus omnem
Spem raperet. nam, si vobis Aegyptia ad arua
Sit reditus, qui uos primum vir maximus ille
Exploratores dixit, nunc nomina furum
Imponet, causam inquirens, qua perdere posit.
Nempe ego Beniamin puerum, spem patris, & vnum
Solamen, non huic tradam fidamq; periclo.
Vos alij, si fata vrgent, Diuumq; voluntas,
Ite, rei fidei promissæ: ego, quicquid apud me est
Auriq; argentiq;, dabo, quo vos redimatis.

Et fratrem, & si fors aderit, frumenta feratis.
Quem contra illachrymans iuuenis sic fatur Iudas.
Chare pater nos primum audi, dein consule nobis,
Atque tibi. nam quo pacto continget adire
Illum hominem, qui iurauit per regia sceptra,
Per superos, nisi Beniamin duxerimus ipsum,
Ille quidem nec nos, nec, qui est in carcere, fratrem
Dimittet, faciem'ue eius spectare licebit?
Verum, vt de nobis sint dura & tristia quæque,
Vos miseri quonam pacto viuetis, & vnde
Tanta domus? capiti, quæso, pater optime tandem
Fide meo, puer iste omnes seruabit, & ipsum
Te patrem. mihi præterea duo pignora chara
Sunt, nati, tu illos (concedo) interfice, siquid
Aduersi puero eueniat: depone timorem,
Atque omnem defende domum. quòd pondera saccis
Sint æris posita in nostris, iußisse ministris
Id dominum certum est, incertum, fraude dolóue,
An pietate magis. nos certe audiuimus illum
Insignem virtute omni, nos vidimus illum
Nobiscum fleuisse famem atque incommoda nostra,
Dum teq;, & paruum fratrem, paruosq; nepotes
Commemoramus. age ò genitor, ne tempora differ,
Neu plures innecte moras. & talia dicens
Adiecit lachrymas. victus pater, ibitis ergo,
Tandem ait, & puerum, & regionis dona feretis,
Stactenq;, & lachrymas terebinthi, & roscida mella,
Et gummi, & liquidam styracem & amygdala amara.
Insuper & duplex precium portabitis, & quod
Inuentum fuit in saccis, & quod data poscent
Frumenta. interea faciemus sacra parentum
Nostrorum nostriq; Deo, quò cuncta secundus
Dirigat, & seruos cœlo prospectet ab alto.
Postera phœbeos currus aurora vehebat,
Cum pater & nati sacris de more peractis
Cuncta viæ opportuna parant, et munera, & ipsum
Beniamin: quem iam genitor complexus euntem,
Et lachrymans, I chare puer fœlicibus, inquit,
Auspicijs, si te rediturum fata reseruant,

Vitam

Vitam oro. lachrymæ vetuerunt dicere plura.
Tum simul & reliquos natos complectitur omnes,
Commendatq; Deo. ast illi bona verba precati
Durum iter et longum capiunt, camposq; relinquunt
Samariæ, Solymenq; sacram: iam consita Idumes
Prætereunt palmeta, Gerar, et Tartara vasta
Syrbotis, tandemq; vident Aegyptia regna,
Optatamq; petunt Memphim. quos lætus Ioseph
Suscipit, atque vnà fratrem de carcere soluit.
Vt vero admissis coram data copia fandi,
Sic Ruben. hinc postquam discessimus optime princeps,
Venimus ad genitorem, illi tua maxima iussa
Narramus, fratrem duci te velle minorem
Beniamin hunc istum: tum saccis ordine apertis,
Res mira, in summis precium atque æs omne, quod ante
Exhibitum fuerat, se offert: quis miserit, et cur,
Ignotum est, Deus est testis. verum, vt pater istæc
Audiuit, viditq;, imo suspiria corde
Traxit, et, heu nati, dixit, male numen amicum
Nos aliquod nunc insequitur, Fortuna recessit
Illa bona. è bis sex natis amisimus vnum:
In vinclis alius longinquis exulat oris:
Nunc spes et miseræ solamen dulce senectæ,
Beniamin abduci petitur: vos rursus abitis,
Nescio quò, et vereor, furum ne nomine eatis,
Omnes vt tandem fato pereatis ab vno.
Nos contra miserum solari. fide parentum,
Nostrum et fide Deo, genitor: iustissimus ille,
Ille vir est, regio quem tota Aegyptia dicit
Seruatorem hominum, sanctumq; piumq; fatetur,
Et colit, hinc nihil aduersum durumq; timendum est.
His victus cessit tandem. Vos ibitis ergo,
Et ducetis, ait, puerum; atque hæc parua feretis
Munera, quæ regio fert hæc, stacten, et Terebinthi
Resinam, et liquidam styracem, et amygdala amara,
Mellaq;: dein duplex precium portabitis, et, quod
Impositum fuerat saccis, et, quod data poscent
Frumenta: & demum iusto natumq; patremq;
Commendate illi, pueri miserescat et huius,

Atque

Atque ſenis natos nimium miſereſcat amantis.
Talia dictabat iuuenis, cum lumina princeps
Vix lachrymis cohibens tali eſt ſic ore locutus.
Eſte bonis animis iuuenes, ego munera grata
Accipio regionis, & hunc, qui adductus ab omni
Suſpicione puer vos, omni à fraude piabit.
Ite, & feſſa via, fœda & ſudore lauate
Membra viri, mox luce bona diſcumbite mecum.
Hæc princeps. famulorum alij in conclaue lauacrum,
Vaſa alij menſasq; parant. hæc inter Ioſeph
Multa ſuper regno & populis diſponit alendis.
Dein redit ad fratres, magnamq; educit in aulam,
Regales vbi monſtrat opes, vaſa aurea ſignis
Cælata, argentumq; abacis, ſtratosq; tapetas,
Nec non parietibus circùm pendentia longis
Aulæa, intextis auro & bombice figuris,
Quas dicas ſpirare. illic diuina ſecutus
Iuſſa Abraham, puerum in ſyluas ducebat Iſaac
Mactandum: puer illignis onerabat aſellum
Faſcibus, ipſe pyram genitor vittasq; parabat.
Ille idem dextram vicina in parte leuabat,
Crudelemq; enſem: demiſſus lumina Iſaac
Et flexis genibus ferituro colla parenti
Præbebat: cœli demiſſus ab axe vetabat
Nuncius, & dextram ſublatam enſemq; tenebat.
Parte alia fratrem fugiens tendebat Iacob
In patris antiquas ſedes, cognataq; regna,
Euphratem Tygrimq; inter: patruelibus inde
Virginibus hauribat aquas: tum paſtor ad vndas
Euphratis dum paſcit oues per littora Laban,
Rachelem vocat, & dulces decantat amores.
Talia dum læti ſpectant Iſraele nati,
Spemq; aliquam ſibi promittunt, tum magnus Ioſeph,
Iam genio libemus, ait, date flumina palmis
Vos famuli, tum ſede altus diſcumbit eburna.

Morte præuentus hoc item, quod ſero inceperat,
abſoluere non potuit.



IN OBITV M. ANTONII TVRRII VERONENSIS

AD IOANNEM BAPTISTAM TVRRIVM FRATREM.


T SI egomet tanti casu perculsus amici
Solamen nostris discuperem lacrymis,
Ne mea perpetuo manarent lumina fletu,
Pergeret aut tantus vrere corda dolor,
Attamen, vt mi animi valuit concedere amaror,
Isthæc mœsta tibi carmina persolui:
Quo fortasse meis consolarere camœnis,
Si miseros quicquam musa leuare potest:
Ac ne tu in lacrymas paulatim totus abires,
Liquitur vt pluuio tacta pruina noto.
Quandoquidem charisato te fratris acerbo est
Rumor in extrema viuere tristitia,
Nec iam posse quietis habere, aut commoda somni,
Sed cedente die, sed redeunte queri:
Mœrentemq;, vagumq;, & turpem fletibus ora
Amissum totis quærere littoribus.
Fertur vt Eridani ripas errasse per omnes
Anxia fraterno funere Lampetie.
Septem quam perhibent somni sine munere noctes,
Ieiunam septem continuasse dies.
Et, quoties longo defessa errore viarum
Vmbrosi in ripa concidit Eridani,
Reddite vos Phaëtonta mihi, clamabat ad vndas,
O quæcunq; sub hoc flumine nympha latet.
Te tamen, vllius si cuiquam morte dolendum est,
Iusta quidem tanti causa doloris habet.
Quandoquidem immatura morte tibi omnia frater
Commoda, teq; ipsum perdidit atq; tuos:
Perdidit hei misero charus tibi frater ademptus,
Quo tibi non vllus charior alter erat.

Ille amor, ille tuæ ſolamen dulce iuuentæ,
Ille tuæ fuerat ſpes columenq; domus:
Quicum verſari ſemper, quicum eſſe ſolebas,
Atq; animi arcana dicere conſilia:
Vnum mirari, atq; vnum præponere cunctis:
Ambroſiæ è cuius effluere ore lepos.
O nimium miſeri nos, & genus ærumnoſum,
Deterius quorum eſt conditione nihil.
In nos ſæuitum eſt bello, quo durius vnquam
Vidit nulla ætas, nec feret vlla dies.
Seruitium tulimus crudele, & barbara iuſſa,
Parsq; domos charas liquimus, & patriam.
Relliquias, miſeroſq; abſumpſit tabida ciues
Peſtis, & huc illuc ſæuit Erinnys adhuc.
Nec ſat erat. miſeri crudelia funera COTTAE
Fleuimus. ò indigna Cotta perempte nece,
O COTTA infœlix quæ te fata impia nobis
Tam ſubito ante tuos arripuere dies?
Iam neq; finierant gemitus, & lumina ſiccis
Non bene ceſſarant triſtia flere genis,
Quum tu MARCE cadis, quum nos tot triſtibus actos
Deſeris, heu falſos credulitate tui.
Non hoc viuida nos tua iam ſperare iuuenta,
Hoc tua non virtus, non benefacta dabant,
Exanimem vt nos te iuuenem, nec iam vlla loquentem
Externa miſeri contegeremus humo:
Sed fore, quem fama virtus æquaret olympo,
Vnus qui multos inſtrueres populos.
Qualis ab aërio decurrens monte iugi fons
Communes multis ſufficit vnus aquas.
Nam quid ego aut laudes memorem, aut tua maxima laudũ
Præmia? qua humano profueris generi,
Aut quàm ſæpe animas poſitas iam ſedibus orci
Ad ſua Apollinea membra vocaris ope?
Vos teſtes Ticinæ, & qui inter paſcua lœta
Medoace antiquos abluis Euganeos:
Illo quos fama eſt naturæ arcana docente
Sæpe inter nymphas obſtupuiſſe ſuas:
At nunc amiſſo turbatis fleſſe ſub vndis,

Inq;

Inq; mare assuetas non habuisse vias.
Non tamen aut soli, nec vos magis omnibus amnes
Indoluistis acerbo illius interitu.
Illum etiam graiæ, & nymphæ fleuere latinæ,
Illum etiam Thuscis Calliopea modis.
Quin etiam syluæ, & montes gemuisse feruntur,
Et vos extremi flestis Hyperborei.
Sed mage Benacusq; senex, & Sarca, sepulti
Qui propè vicinum prætereunt tumulum.
Sed magis ipse Athesis, olim qui corpus humandum
Condendum charam perferet in patriam,
Ne extra cognatos cineres, Turriensiaq; ossa
Illum perpetuo terra aliena tegat.
Tunc vos ò patrio prognatæ Naiades amne
Spargite odoratis plena sepulchra rosis.
Tempus erit, cum posteritas mirata nepotum,
Quantum isti, dicent, attribuêre Dei.
Atq; aliquis monumenta legens, & scripta iacentis
Deuota ad mutos serta feret cineres.
Interea ò vos Benaco centum patre nymphæ,
Sarcaq; ab alpinis edite verticibus,
Et vos ò Naci rupes, & saxa Briani,
Et nemora vmbrosis densa cacuminibus
Ferte aliqua, ò nunc ferte meo solatia BATTO,
Et tantam ex animo demite tristitiam.
Quem neq; sancta potest Sophie complexa leuare,
Musa nec assuetis sedula carminibus.
BATTE tamen vates, longum vt quæsisset ademptam,
Et longum flesset Thracius Eurydicen,
Nullo solatus, blando quàm carmine, curas,
Nullo, quàm sophia, dicitur esse magis.
Illi, seu Rhodopes syluis erraret in altis,
Seu in deserti Strymonis aggeribus,
Semper Musa comes, semper pendebat eburna
Ex humero numeris docta sonare lyra.
Ille orbem immensum semper spectabat, & orbis
Ornatum, puris sydera luminibus,
Et maria, & montes vastos, atq; irrequieta
Flumina, tum quicquid deniq; terra parit.

Quorum animaduertens certa ſub lege tenorem,
Paulatim charam ſenſerat Euridicen
Deleri, & triſtem mutari in gaudia mentem,
Tantum animos rerum forma leuare poteſt.
Aſpice lucentem Lunæ titanidis orbem,
Et cum Sole ſuo quæ ſuper aſtra micant.
Omnia ſunt æterna, & vitæ iuncta perenni.
Quæ loca fœlices Dijq; animæq; colunt.
Inferior Lethi regio eſt, ſedesq; malorum,
In qua eſt, quod fœlix intueare, nihil.
Quippe ſolum hoc ventiq;, imbresq;, & cuncta fatigant,
Quæcunq; aëria de regione cadunt.
Adde æſtusq;, hyemesq;, & morborum genus omne.
Tum natura aliqua eſt indiga ſemper ope.
Nos porro deſyderijs mala plurima noſtris
Iunximus, ò præceps in ſua damna genus.
Hinc odia, & timor, & lites, & bella cruenta,
Et via non vni plurima aperta neci.
Attamen in tantis ærumnis eſt animi ſpes
Vnica, quem melior vita beare poteſt.
Quippe, vbi præfulgens vlla virtute reliquit
Corporeum, ſedes aduolat æthereas,
Semideumq; domos, & Diuûm morte carentum,
Hîc, vbi non æſtas, nec fera ſæuit hyems:
Nec dolor, aut deſyderia infœlicia noſtri,
Nec ſors partem aliquam, nec rude vulgus habet.
At ſancti heroes habitant, gens inclyta bello,
Ingeniiq;, nouem qui coluere Deas:
Quiq; pij, iuſtiq;, Deûm præcepta ſecuti,
Et ſancta inſignes qui fuerunt ſophia.
Quos inter tuus ipſe recens à funere frater
Miratur cœlum, cœlicolumq; domos,
Aeternamq; diem, & fœlicem ex ordine gentem,
Inter quos gaudet, ſe quoq; dinumerans.
Quē circum illuſtres animæ, PROAVIQ. PATERQ.
Intentos oculos ore nepotis habent,
Et pulchram effigiem agnoſcunt. miratur & ipſe
Egregiam ſtirpem, magnanimumq; genus:
Agnoſcitq; ſuos, & facta, & nomina diſcit,

Tum quantum ſit adhuc terra habitanda tibi.
O fortunatum nimium, triſtem ante ſenectam
Carpere iter cœli cui potuiſſe datum eſt.
Quas ſyrtes, quos & ſcopulos poſt terga relinquis
MARCE? tibi à quanto eſt ſalua carina mari?
Fortunate iterum, tu non incommoda vitæ
Paſſus adhuc, non quæ plurima habet ſenium,
Sed dulces inter muſas, & Apollinis artes
Fortunata nimis vita peracta tibi eſt.
I decus Auſoniæ iuuenis, numeroq; Deorum
Te immiſce, culta eſt iam tibi terra ſatis.
Illa tuum, dum ſydera erunt, dumq; æquora current,
Nomen in aſtra memor, & benefacta feret.

AD IOANNEM BAPT. TVRRIVM VERONENSEM.

BATTE, animos quando triſtes, curasq; leuare
Muſa poteſt, ego nunc ſortem, caſusq; ſupremos
Ipſe meos triſti ſolabor carmine tecum.
Et tecum dulceis natos, quos funus acerbum
Abſtulit, æterna & pariter caligine texit,
Conquerar: vt ſaltem tenebris, & nocte perenni,
Quantum opis eſt noſtræ, miſerorum nomina demam.
Quæ potui, dum vita illos auræq; fouebant,
Exhibui genitorq;, gubernatorq; duorum
Infœlix. primas alter vix fingere voces,
Alter adhuc teneris iam tum decerpere ab annis
Prima rudimenta, atq; omen præbere parenti.
Quos ego (ſed Zephyri ſpes portauere paternas)
Cenſueram, ſi fata darent, cum poſceret aetas
Fortior, ad dulceis tecum traducere muſas
Aſſiduos, cytharamq; humeris ſuſpendere eburnam.
Inde, vbi iam cœlum, ac Solem, fulgentiaq; aſtra,
Terramq;, & liquidos ignes, æquorq; profundum
Mirari inciperent, latisq; animalia campis,
Te monſtrante viam, te rerum arcana docente
Mens fuerat dulceis ſophiæ deducere ad hortos,
Hortos, quos ver perpetuum, quos aura fauoni

Semper

Semper alit, ſemper cœleſti nectare paſcit.
Hic tremulo, & longa confecto ætate parenti
Purpureos legerent flores: ſeniiq; leuamen,
Threicia canerent cythara, quæ plurima quondam
Audiſſent te populea meditante ſub vmbra,
Diuino mirantem Atheſim dum carmine mulces,
Et rerum canis, & teneri primordia mundi.
Fortunate ſenex, ſi natorum ore referri
Fata ſinant, vt nata chao antiquiſſima rerum
Materies viſi correpta cupidine pulchri
Arſerit, atq; Deum thalamo complexa, iugarit
Corpora prima: quibus diſcordia nata hymenæis,
Et diuiſa locis, ſuprema petiuerit ignis
Purior, & nitidis vicinus ſederit aſtris:
Quem iuxta per inane amplum ſe fuderit aer:
Ima autem tellus vaſto circum obruta ponto
Conſtiterit: quam dudum hinc inde agitantibus vndis
Subſterni latè campi, deformiaq; arua
Paulatim apparere ſupra, & concreſcere montes
Cœperunt, procul & nudas oſtendere cautes,
Mox nemora, & virides vndis mirantibus ornos.
Montanis tum ſpeluncis, & rupibus altis
Exiluere vdæ formoſo corpore nymphæ,
In viridi flauos ſiccantes littore crines.
O fortunatum nimium, ſi numina tantum
Hæc mihi ſeruaſſent, ſi non caſura dediſſent.
Verum aliter Lacheſi viſum eſt, quo tempore primum
Natorum cœpit producere fila duorum.
Quippe auram miſeris, & dulcem noſcere vitam,
Spemq; ſui dederat præbere: alia omnia ventis
Tradita, nocte atra & tenebris inuoluerat orci.
Non licuit firmos annis, virideſq; iuuenta
Inſpicere, & charæ ad metam deducere vitæ.
Nec potui votis, nec ope adiuuiſſe paterna
Clamantes, fruſtraq; patris ſuprema petentes
Auxilia, & nota nequicquam voce vocantes.
Heu mortem inuiſam, quis te mihi PAVLE Deorum
Arripit, & miſerum complexibus abſtrahit iſtis?
Tu prior immiti correptus morte, parentem

Deſeris,

Deseris, & dulceis auras, & lumina linquis.
Quòd te si tali dederant sub lege futurum
Fata mihi, non iam fuerat mœroris abunde,
Non gemitus? quid me tantis è patribus vnum
Cœlicolæ lacrymisq; nouis, & morte recenti
Opprimitis, charoq; etiam spoliatis IVLO?
Heu miserande puer, quanto plena omnia luctu
Liquisti abscedens. quem non væsana Deorum
Incusauit inops, cum te complexa iacentem
Aspiceret laniata comas & pectora mater.
Ah misera, ah male fausta parens, quid numina fletu
Sollicitas? iacet ille, velut succisus aratro
Flos tener, & frustra non audit tanta gementem.
Ah misera, ah quid sublatum complexa moraris?
Ille tuus non iam est. Vos illam in funere matres
Collapsam accipite, exanimemq; reponite tectis.

At vos insontes animæ, charissima nuper
Pignora, quod misero superest optare parenti,
Semper auete, mei, vt licuit, semperq; valete.
Seu dulce Elysium functos, vmbræq; tenebunt
Sanctorum nemorum, puro seu sydera cœlo,
Ipse ego vos semper lacrymis, vos carmine tristi
Prosequar, & vestris persoluam iusta sepulchris:
Donec me vobis tenuem coniunxerit vmbram
Summa dies, natis æquat quæ sola parentes.

Interea curas, numeris, musaq; leuemus
BATTE animos: quando rerum mortalis origo est
Quando etiam vitæ norunt vasta æquora finem.
Scilicet & quondam veniet labentibus annis
Illa dies, quum iam curuo sub vomere taurus
Insudet, terramq; grauis præuertat arator,
Nunc vbi cœruleæ rostris spumantibus vndæ
Sulcantur, verruntq; citæ freta longa carinæ.
Nec vos ò liquidi fontes æterna manebunt
Secula, se tanto quamuis pater efferat amne
Eridanus, tumidusq; fluat tot cornibus Ister.
Quin etiam aërij montes, mirabile dictu,
Thaygetus, Syphilusq;, iugo & Cymbotus opaco
Ingentes post æstates, ac secula longa,

Senserunt

Senserunt seniumq; suum, supremaq; fata:
Ex quo materies thalamos, primosq; hymenæos,
Atq; elementa nouus sensit discordia mundus.

AD DANIELEM RHAINERIVM VERONAE PRAEFECTVM.

RHENERI venerande, vno quo sospite, nondum
Iustitia, & virtus terris antiqua recessit,
Multa quidem monumenta tuis sub fascibus Vrbis,
Multa cadunt antiqua piorum & templa Deorum,
Et Bromij vites, & amicæ pacis oliuæ.
Verum hæc ex vrbis re dilabuntur, & ipsi
Vltro etiam sua sacra volunt procumbere Diui.
Ah saltem antiquo medicorum parcere ritu
Fasq;, & suetus amor pietatis, & inclyta virtus
Magna tui valeant. valeant hoc more vetusto,
Quo nostri vixere atavi, vixere parentes,
Te duce venturi longum superare nepotes.
Sanctior hic templis, hic Diuûm est sanctior aris,
Quem neq; tempus edax potuit, nec secula tanta,
Non belli rabies, non ipsum infringere ferrum,
Tantum est iustitiam violari, & fœdera rumpi.
Scilicet & sacra est medicina, vetusq; Deorum
Inuentum, & sacri medici, quibus author Apollo:
Qui reuocare animas iam caligantibus orci
Faucibus impositas ad charæ munera vitæ,
Aetheriosq; haustus, & dulcia lumina possunt:
Qui genus innocuum, vitæq; ad publica nati
Commoda, diuinas tantum didicere per artes
Exercere æuum, atq; humanæ præesse saluti.
Hos æquum est te præcipue longeq; tueri
Rheneri ante alios, idem cui cessit Apollo
Ipse suas artes, & munera nobilis oti:
Quemq; domos Diuûm docuit, perq; omnia duxit
Sydera: quem graio insignem latioq; cothurno
Secretas dedit Aonidum percurrere syluas,

Et calamos, citharamq; humeris suspendit eburnam.
Idem te dulces Sophiæ deduxit ad hortos,
Hortos, quos ver perpetuum, quos aura fauoni
Semper alit, semper cœlesti nectare pascit.
Salue magne parens, qui tot virtutibus auctus
Vrbem iustitia, & diuis in pace secundis
Egregiam moderare, Athesis qua flumine pulchro
Labitur, & placido secat arua virentia cursu.
Tu quoq; magna virûm genitrix vrbs inclyta salue,
Cura Deûm VERONA, tui cessere labores,
Aerumnæq; graues, atq; horrida Martis imago,
Sanguinis & væsana sitis, & tristis erinnys.
Barbara iam cessit rabies, & in alpibus atrox
Sæuitiam miles, gelidumq; exercet ad Albim.
Iam duros nimium seruitus, & fera iussa
Dessuemus perferre, vllos non iam vrbe Tyrannos
Conspicimus, sed te Rheneri maxime, sed te
Magne pater: vno tandem quo sospite, nobis
Iam bona libertas redijt, pacemq; per agros
Læta Ceres, Bacchiq; chorus comitantur ouantes.
Gaudete, ò quicunque boni speratis agrestes,
Quorum amor est sobolis, studiumq; nepotibus arua
Incolere, & paruas vlmis attollere vites.
Tempus io, nunc tempus adest, quo secula parcæ
Aurea nent, tandem quæ nunc te præside læta
Incipiunt: sed erunt nobis tunc maxima, quum te
Insignem sceptro Venetûm sanctaq; thiara
Regna salutabunt terris diffusa, tuumq;,
Quà Sol exoriens visit, quà deserit orbem
Occiduus, late clarum feret Adria nomen.

AD IOAN. MATHAEVM GIBERTVM Episcopum Veronensem.

ILLE tuus GIBERTE, sacras, qui in montibus aras
Melsineis tibi constituit, qui teq;, tuumq;
Per nemus omne canit, perq; omnia littora nomen,
Hæc enata suis mittit tibi poma sub hortis
Aurea, quæ quondam Medorum è finibus Atlas

Transtulit, & magno seruabat tuta Dracone:
Mox victor sacra expolians pomaria Perseus,
Dum leuibus nostrum talaribus aëra tranat,
Donauit Charitæ Benaci ad flumina Nymphæ.
Insuper hos Giberte tibi dat munera pisces,
Qui quondam Hetrusci nautæ, nostraq; fuere
Effigie, nunc Benaci sub gurgite nantes
Cœrula conuerrunt sinuatis æquora caudis.
Quod si forte iuuat tanti miracula facti,
Atq; hominum quondam versas audire figuras,
Ipse eadem, Saloï quæ quondam ad littora BATTVS,
BATTVS amor Dryadum cecinit, mihi rettulit Aegon.
Forte senex Cretæ patrijs Saturnus ab oris
Ab Ioue depulsus, regnum sedesq; quietas
Quærebat latio in magno, fataliaq; arua:
Iamq; diem medio Sol inclinabat ab axe,
Quum fessus, longaq; via siccatus & æstu,
Ad vada Benaci viridi prospectat in herba
Vescentes nautas, & puri grandia Bacchi
Pocula miscentes: placido quos ore salutans,
Ecquis, ait, vestrum pueri succurrit egenti,
Defessoq; seni? quis pocula parua ministrat,
Extinguitq; sitim? poscenti illudere Nautæ,
Et ridere senem. quis enim præsentibus vndis
Possit habere sitim? en flumine largius illo
Ebiberis, gelidaq; æstum solabere lympha.
Illusus Deus immissis in flumina palmis
Haurit aquas, pronusq; bibit: tum versus ad illas
Remigio cautes, quæ fluctibus vndiq; circum
Clauduntur, medijsq; iacet parua insula in vndis,
Ostenditq; locum: precium gens impia iniquum
Postulat, at pactus senior tamen omnia firmat,
Adiuratq; Deos testes, scanditq; phaselum.
Illi autem, dum naui cita liquida æquora sulcant,
Ignari, quis nam sedeat Deus, Eia age nobis
Fare senex, quonam latebras pro crimine quæris?
An'ne fugam subrepto auro, dominoq; relicto
In loca tuta paras? Sed te tua fata sequuntur
Demens, quem nullæ poterunt seruare latebræ.

Nomine

Nomine Carpus erat, qui tam temeraria verba
Dixerat, ingeminant comites, aurumq; reposcunt,
Proferri subreptum aurum: ni proferat, omne
Vi rapiant, pulsumq; rate in media æquora turbent.
Quos placidus dictis senior demulcet amicis.
Hetrusci nautæ, quæ nunc mens impia suadet
Nec seruare fidem vos, nec meminisse Deorum?
Dicenti iam vis, iam dextra infertur. At ille,
Qui tandem agnosci posset Deus, Impia, dixit,
Gens inimica Deûm, dabitur, quod poscitis, aurum,
Hoc imo sub fonte aurum poscetis auari.
Dixerat. Ast illis veniam poscentibus, & vox
Deficit, et iam se cernunt mutescere, & ora
In rictum latè patulum producta dehiscunt,
In pinnas abiere manus, vestisq; rigescit
In squammas, caudamq; pedes sinuantur in imam.
Qui fuerat subita obductus formidine, mansit
Pallidus ore color, quanquam liuoris iniqui
Indicium suffusa nigris sint corpora guttis.
Carpus aquas primus, numen qui læsit, in amplas
Se primus dedit, & fundo sub condidit imo.
Inde alij celeri sese in media æquora saltu
Præcipitant, vacuamq; ratem, & sine remige linquunt.
Iam Deus super vnus erat, subit ipse magistri
Munus, & adductis pelagi petit vltima ripis.
Expositus ripa placidus conuersus ad vndas,
Ecquid Io Nymphæ Benacides ista supersit
Nauis, & hunc amnem sacrum male fausta carina,
Et vestras sulcabit aquas? En certe ita & huius
Criminis hoc scopulo semper monumenta manebunt.
Dixit, & in partem rupis conuersa pependit
Cum remis ratis ipsa suis, vbi cernere conchas
Nunc etiam licet, externo quas littore Nautæ
Collectas miseri media imposuere carina.
Ex illo nunc Benaci per littora nantes,
Atq; auri venas fundo pascuntur in imo,
Nunc etiam à primo retinentes nomina Carpo.

AD MARGARITAM VALESIAM
Nauariæ Reginam
Cæsaris Fregosij nomine.

DVM me Cenomanos inter tenet Itala tellus
Zefrediq; arces, mens autem nescia claudi
Libera trans gelidas Alpes Rhodanumq; vagatur,
Trans Ararim, cœlumq; beatum & Gallica semper
Regna videt, Regemq; suum, tecumq; moratur
Assidue, versatq; tuas sub pectore laudes,
Ecce mihi cælata auro gemmaq; nitenti
Armipotens, galeaq; ferox & Gorgone Pallas
Oblata est, seu fors tulerit, seu fata dedere.
Continuo visa ante oculos effulgere Imago
Magna tui, inq; ipsa micuerunt Pallade, vultus
Virtutesq; tuæ, moresq;, & facta decusq;.
Quippe illam è cunctis sic tu mortalibus vna
Assimilas, sic vna refers, in Pallade vt & tu
Noscare, & Pallas in te. siue illa Minerua
Seu dici Bellona velit, consensus vtrinq;
Est idem, ora, animi, genius, cognataq; virtus.
Iure igitur tibi debetur, tibi conuenit vni
Gemma, aurum, effigiesq; Deæ, siue est Polycleti,
Siue Myronis opus. placeat tibi munus: imago
Est tua: sit gratus cum munere, muneris author.
Quòd si digressus paulum, & prouectus amore
Pierio, dum me dulces per grandia Musæ
Facta tua, & dum per monumenta Heroica ducunt,
Ipse tuas memorem laudes, quibus æthera ad altum
Scandis, & illa simul referam, per quæ vna Mineruam
Vsq; adeo assimilas, iuuet auscultare canentem,
Si vacat, & solitæ sunt te oblectare camœnæ.
Illa parente Deo Ioue magno, fratre superbit
Gradiuo. tum forte acres in bella phalanges
Si quando exacuit, latè timor occupat vrbes,
Turbati tremuere hostes, ac terga dedere.
Ipsa hastam quatit, atque horrenti gorgone sæuit.
Ante Deam diræ effigies, terrorq;, minæq;

Sanguineæ, & dans terga pauor, visq; impia, & iræ,
Vinclaq;, vindictæq; astant, & mortis imago.
At vero positis armis, atq; ægide dira,
Mollius humanas si demittatur ad artes,
Mansuetosq; vsus, tum dulcia carmina cantat,
Et facilem exercet musam, aut heroica gesta
Describit, numeris'ue orbes metitur & astra.
Sin autem imperijs & maiestatis honore
Gaudeat, æternæ ramis insignis oliuæ
Aut iustas sancit leges, aut iura ministrat,
Aut arces struit, aut medias regina per vrbes
Incedit, matresq; super longe eminet omnes:
Condensi agglomerant altis clamoribus aphri,
Spectatumq; ruunt, arasq; & publica ponunt
Templa Deæ, plausu resonat Tritonia ripa.
Tu pariter magno Gallorum rege, Deoq;
Ac Ioue nata simul, Germano Marte superbis.
Nam Martem quisnam esse neget, seu fortia nudus
Brachia, præualidosq; artus, atq; Herculis armos
Ostendit, Taurumq; vno prostrauerit ictu:
Siue acrem pictisq; armis spectandus & auro
Pressit equum, struxit'ue acies, & victor in hostes,
Ceu torrens, signa atq; viros sternitq; fugatq;:
Fulmineo've Iouis tonitrus imitatus & arma
Tormento, muros & magnas diruit vrbes?
Te quoq; tantorum comitem, partemq; secundam
Bellorum, si quando acies atq; arma mouenda
Perculsæ tremuere vrbes, horrorq;, pauorq;
It campis, Mars Germanam comitatur ouantem:
Attoniti spectant populi, gaudentq; tueri
Nunc primum, nunc & medium, nunc agmen obire
Postremum, nunc pellere equum, nunc tendere in hostem,
Turbantem cuneos, & abactis agmina signis.
Assistunt comites circum solertia, & astus,
Et magna audentes animi, & tolerantia dura,
Curaq;, sedulitasq; vigil, spesq; alta, laborq;,
Et Diuum fauor, & ventis fortuna secundis,
Pone sequens magno graditur victoria plausu.
Nec minus horrenti a bello, partisq; triumphis

Si

Si iuuat ingenij, pacisq; incumbere in artes,
Nunc lauro redimita comas, imitata sorores
Castalias, plectis numeros, & carmina dictas,
Carmina, nec rerum fato subiecta, nec æuo:
Nunc magnos dimensa orbes in templa Deorum
Attollis animos, patrioq; assuescis olympo:
Nunc tua describis vel regum gesta tuorum,
Aut eadem depingis acu. stant curribus altis
Et pater, & proauus, cunctiq; ex ordine reges,
Captiuosq; hostes, & vinctos colla Tyrannos
Ante rotas longis ducunt in templa triumphis:
Ipsa opus & textum stupet immortale Minerua.
Quam vero, ò quam te dicam, quum legibus æquis
Iustitiaq; feros populos frenasq;, regisq;,
Et diuina doces iura, & ciuilia ferre:
Aut arces tollis, aut propugnacula condis:
Aut matres inter medias, populosq; frequentes
Incedis regina. fauor comitatur euntem,
Maiestasq;, pudorq;, tamen qui Pallada possit
Armatam, & Martis gradientem in bella decere.
It dextra pax læta manu, & prætendit oliuam.
Applaudunt Sequani, floresq; & lilia passim
Effundunt, gaudentq; tuas attollere laudes,
Reginamq; Deamq;, salutiferamq; salutant,
Et pace insignem, & bello ferroq; potentem.
Fortunata nimis, magnus quam Cæsar, & omnis
Suspicit exoratq; orbis, cui lumine tellus
Fœlici arridet, totus cui militat æther.
Dijs quanquam visum aspectu tibi debita regna
Paulisper priuare tuo, seu crimine ciues
Id meruere aliquo, seu te tua fata reseruant
Ad maiora, viamq; tuis virtutibus amplam
Expediunt, panduntq;. Etenim iam tempora læta
Illa instant, quum post lacrymas, post publica vota
Te tandem tua regna nouis decorata trophæis
Accipiant, & iusta tibi solennia soluant.
Iam ludi, festiq; dies, iam sacra parantur
Iam placidus ripa gaudet Meniascus amœna:
In templis pueri impubes, mixtæq; puellæ

Sacra

sacra canent, ortusq; tuos ad sydera tollent:
Vt nascentem vlnis primæ excepere camœnæ,
Melleq;, & Aonio tetigerunt ora liquore:
Vt Charites fouere Deæ, et decus omne dedere:
Vt parua in numerum pedibus cunabula diuæ
Pellentes, manibus nentes fatalia pensa
Grandia concordes cecinerunt fata sorores.
Stabunt ingentes sublatis molibus arcus
Cælati gestisq; tuis, factisq; tuorum.
Supra omnes humeris extans altaq; corona
Frater erit, senosq; ferox ex hoste triumphos
Ducet ouans. mox fortuna congressus iniqua,
Cum dura bellare Dea, et decernere dudum
Cogetur. longe illa euris in bella vocatis
Obijcere aduersos, & toto nubila cœlo,
Et casus, et monstra modis minitantia miris
Cernetur: Rex contra animis, et fortibus ausis,
Et virtute noua tandem superare cadentem,
Tendentemq; manus: tum ferro et compede vinctam
Protrahere, et campo captiuam ducere aperto:
Nubila diffugere, et turpi deformia monstra
Victa fuga, vario bello consumpta fameq;
In cæcas latebras obscuraq; tartara condi.
O, mihi si tantum iuuenili in corpore vitæ,
Et tantum det Parca mihi, hæc ventura superstes
Vt videam, comiterq; tuos regina triumphos:
Mox etiam spectare queam et maiora parari.
En erit, en vnquam illa dies, cum Gallica signa
Attolli, et Sequanos compleri milite campos
Conspiciam, fremere arma Rhemos, fremere arma Cadurcos,
Aulercosq;, Heduosq;, et pictis Lingonas hastis?
In medijs regem secum catafracta trahentem
Agmina, sublimem sanctas procedere ad aras;
Per caput et sacram regum de more coronam
Iurantem, et Solymas repetentem debita sceptris
Regna suis: te parte alia fortes Iturischos,
Andelos, Biturasq; feros in bella mouentem:
Consilijs, tantoq; operi comitemq; ducemq;
Ascitam: nec non tanto sub rege coactam

In ferrum ruere Italiam, & socia arma trahentem
Signa sequi. mox ò liceat cœloq; secundo,
Et præsente Deo, tot sese addentibus vna
Prospicere immensum consterni puppibus æquor,
Carmeliq; procul rupes, & littora Iopes
Læta Dei classem, & victricia vela vocare,
Et trepidum Euphratem, & magni tremere hostia Nili.
Tunc ego non alium Martem, mihi Pallada poscam
Non aliam mihi: rex Mauors, tu, maxima Pallas
Sola eris. ò ego tunc gemino sub numine tutus
Per medios hostes videor densosq; maniplos
Victor agi, videorq; mea sub cuspide fractos
Munera magna tibi captiuos ducere reges:
Nec non & spolia ampla tuis addenda triumphis
Iungere, barbaricas vestes, regumq; Thiaras,
Armaq;, migdoniosq; arcus, lyciasq; pharetras:
Cernere & exanimem fuso cum milite portas
Caucaseas atq; hircanos inquirere saltus
Maumethem, & sese extremis occludere bactris.
Hæc, precor, hæc propere eueniant fœlicibus astris,
Si qua fata dabunt, votis si Iuppiter adsit.
Interea, siue hæc te cura & gloria tangit,
Seu pacem Europæ miseræ moliris, & arma
In superûm sæuos hostes auertere tentas,
Magnanimo assistente tuis conatibus ANNA,
ANNA spectato meritis, cui summa potestas
Tradita, quo rerum moles onerosa recumbit,
Quicquid agis, si quando animum conuertis ad ipsam
Italiam, neq; enim teneat non hæc quoq; cura,
Tunc dicas, cœlo ante alios mihi fidus in illo est,
Qui nisi pro rege inuigilans noctesq; diesq;
Illic res Italas, & regia munera tractet,
Gallica suspiret regna, & tabescat abesse.
Præterea, Dea bellipotens, quæ munera CAESAR
FREGOSVS, parua illa quidem, sed congrua mitto,
Haud ingrata tibi latijs accedat ab oris,
Vna eadem, faciesq; tui, faciesq; Mineruæ.
Quin etiam, quoties Diuam spectare iuuabit,
Te toties spectare puta. Sed, me quoq; tanti

Si facies, si me tali dignabere honore,
Cum memor ipsa mei fueris, tum nomine nostro
Longæuamq; diem, & fœlicia cuncta precata
Diua tuum saluere iube super omnia Martem.

AD FRANCISCVM TVRRIVM VERONENSEM.

TVRRI, si aut mihi villa & lar sit lætior, aut tu
Ferre domum tenuem possis, paruosq; penates
Vrbe procul ruri sese abscondentis amici,
Quantum ego te his mecum CAPHIIS in montibus optē,
Montibus his, vbi, si querulæ nemora alta cicadæ
Non rumpant, equidem vix norim æstatis adesse
Tempora, tam leni mitescit Iulius aura.
Sed quid, si est angusta domus, dum puluere & omni
Munda situ: dum sit nullo turbata tumultu,
Nescia curarum, nullius conscia culpæ:
Alta vbi per totum sit pax, & amica camœnis
Ocia, & integri per magna silentia somni?
Quid refert, alius minio laquearia rubra
Si inspicere, ipse velim fuligine nigra videre?
Si non deiectum cœlo Iouis igne Typhoëa
Terrigenasq; alios, spirantia signa, videbis
Admirans opus æterni memorabile IVLI,
At bona libertas aderit, quæ rura beata
Præcipue insequitur, simplexq; incedit & exlex.
Hîc tibi, si paulo digitus sit inunctior, aut si
Potanti insonuit cyathus, vel si pede vtroq;
Non steteris, nemo obijciet, nemoq; sedentem
Arguet, hoc illi si fors super incubuit crus.
Stare, sedere, esse ex libito, & potare licebit.
Forsitan &, mihi quid vitæ, quid sit studiorum,
Nosse optas, quò vel damnes, vel singula laudes.
Mane uenit, iuuat Auroram Solemq; videre
Nascentem, qui non alio consurgit eoo
Pulchrior, vnde noua lætantur singula luce,

Et Syluæ, scopuliq;, & pictis nubibus aër.
Parte alia Benacum alto de colle saluto,
Centum cui virides inuergunt flumina nymphæ:
Ipse sinu magno genitor magno excipit amne.
Tum iuuat aut spectare boues mugitibus alta
Complentes nemora, aut pulsas in pascua capras.
Præ caper it, cui barba iubat, cui cornua pendent
Intorta, & grandes olido de corpore setæ.
Pone gregem reliquum compellit harundine virgo
Vpilio, multo armantur cui balthea fuso.
Interea natos discentes rustica amare
Numina, vicini nemoris gelidam voco in vmbram,
Qui libros, qui secum horæ solatia portent.
Hîc legitur viridiq; thoro, saxóue sedetur
Glandifera sub Fago, aut Castanea hirsuta.
At variæ circùm syluis, & frondibus altis
Aßuetæ ludunt volucres, atq; æthera mulcent.
Tum densum nemus, atque vmbræ per gramina læta
Ieiunas nos inuitant spatiarier horas.
At feßi hæc inter pueri sitiuntq;, dolentq;
Plus æquo retineri, & iam musasq;, librosq;,
Et Pana, & gelidi pinus odere Lycæi.
Ergo præcurrère, & aquas, & vina pararunt
Lucenti in vitro, & flores sparsere nitentes.
Aduenio. primas atro lita mora cruore,
Aut großi mensas ineunt, Cors cætera, & hortus
Sufficit. Interea crebro sonat area pulsu,
Increpitat seges, & duri sub Sole coloni
Alternis terram feriunt, & Adorea flagris.
Fit clamor, resonat tellus rupesq; propinquæ,
Et paleæ sursum strepitu iactantur inanes:
Læta Ceres alto ridens despectat Olympo.
Vmbra diem reliquum, somnus, libriq;, viæq;
Producunt, dum siccam æstu Canis excoquit vrbem.
Verum, vbi cœruleis serus sese extulit vndis
Vesper, & in Cœlum surgentia sydera vexit,
Vicina è specula, magni admirator olympi,
Alta rupe sedens natis astra omnia monstro:

Accendoq;

Accendoq; animos patriæ cœlestis amore.
Illi admirari, & cognoscere sydera discunt
Cæpheaq;, Arctonq;, & seruantem plaustra Bootem.
Hæc ergo præferre vrbi, & contemnere magna
Si possis, quid te teneat, ne tu ocyus ad nos
Accurras? etiam has sedes, hæc limina magnus
NAVGERVS subijt, nec dedignatus adire est
BATTVS amor musarum, ipsum quo tempore primus
Pana, atq; antiquos cecinit telluris amores.
Hîc me etiam desueta Deæ, medicumq;, senemq;
Carmina iusserunt canere, & ridere beato
Illudentem vrbem, & male sani murmura vulgi.
Verum, hæc GIBERTVS ne viderit ipse, caueto:
Ni forsan Bubulone animum, curasq; relaxans
Propter aquam viridi lætus consederit herba
Quà placidus leni descendit Tartarus amne.
Scilicet hîc numeros non aspernatur, & audit
Nos etiam, & nostram, quamuis sit rustica, Musam.
Verum, vbi se sibi restituit, mentemq; recepit
Illam alto intentam cœlo, seu sacra sacerdos
Munera obit, totum seu contemplatur olympum,
Tum supra & musas, & ruris numina supra est,
Vitam agitans Diuûm, Dijs se cœlestibus æquans.

SAcrorum si plena Deo sunt pectora vatum,
Si norunt triplices fata futura Deæ:
Fortunate infans, verus tibi gloria vates
Grandia concordes concinuere Deæ.
Ecce tuo fœlix nasci nouus annus ab ortu
Incipit, atque omen nomine habere tuo.
Cresce cito, magniq; patris mirarier acta
Incipe, & inuicti CAESARIS arma sequi.
Tempus erit, tibi cum partis iam mille trophæis
Et fessi rebus compositis Latij,
Barbaricis captis opibus, Ducibusq; subactis
Multa tibi circum tempora laurus eat.
Tum læta ante tuum stabit victoria templum,
Claudet & aerata lumina ahena sera.

IMpositum quum te pheretro miserande MADRVTI
Cerneret illachrymans Cæsar, circumq; videret
Et spolia, & victis erepta ex hostibus arma,
Et modo victrices iuxta mœrere phalanges,
Quantum (inquit) tua Mors nostris inimica triumphis
Lætitiæ, decorisq; adimit, spes quanta futuri
Tecum ALIPRANDE cadit. Sed nō tua viuida virtus,
Vt te hunc aspicerem, tua non promiserat ætas:
Sed fore, qui Solymis mecum atq; oriente subacto,
Barbaricis regum spolijs & mille trophæis
Olim magna tui decorares templa Tridenti.
Inuidit mors tanta tibi. Vos nobile corpus
Ferte Ducis vestri iuuenes, & reddite matri
Exanimi: sed & hæc miseræ solatia ferte,
Se tantum peperisse virum, qui Cæsaris vsq;
Et comes, & benegestarum pars maxima rerum,
Cæsaris ex animo nullo delebitur æuo.

DVm Medica MONTANE doces ope vincere fata,
Et Lachesi inuita viuere posse diu,
Lethæo indignans pressit te parca sopore,
Et secuit vitæ grandia fila tuæ.
Sic, animas & tu Asclepi dum subtrahis orco,
Te quoque sæuorum perdidit ira Deûm.

AD ALEXAND. FARNESIVM
Cardinalem amplissimum.

PRiscæ virtutis, Romani & sanguinis hæres
FARNESI, quoniam nec Dij munuscula læta
Despiciunt, hominum spicas, ac serta rosarum,
Libaq; & exigui deuotum thuris honorem:
Tu quoq; (si mores imitari, ac facta Deorum
Præcipue Heroum est) non dedignabere parua
FRASTORI quæ dona tui natusq; paterq;
Perpetui affectus monimenta, ac pignora mittunt.
Hos tibi patre Lyco, Scylla genitrice gemellos

Dat natus sua dona canes. Scyllæ inclita origo
A Nilo est: Lycus à magno descendit Araxe.
Qui quondam Euganeas transmissi munus ad oras,
Præstabant cunctis, siue aprum figere morsu
Esset opus, rapidum cursu seu vincere ceruum.
Horum igitur sobolem natus tibi ab vbere matris
Nutrijt ablatam, & nostris exercuit aruis
Venatu assiduo, & vires durante labore,
Nostrorum famam nemorum, geminumq; ferarum
Terrorem, nunc ille tibi quam mittit habendam,
Romanis eadem in campis si forte sequetur
Gloria, & ignota fors in regione iuuabit.
At genitor, nati cum munere, carmina mittit
Hæc tibi: quæ, quanquam tristi fugiente senecta
Lætitias cantusq;, tamen voluere camœnæ
In te vnum, Dominæq; mei, nimiumq; potentes,
Vt canerem, musaq; canes comitarer amica.
Ergo tot rerum curis, ac pondere tanto,
Quo premeris, dum rem Romanam, ac publica curas,
Siquando defessum animum, mentemq; remittes
Liber, & ad dulces poteris te vertere musas,
Hæc quoq; nostra leges: ea si dignabere tanti,
Inter Romanas vt eant spectanda camœnas.
Quod si etiam recreare animum corpusq; iuuabit
Venatu, & latos saltus ac densa ferarum
Lustra fatigare, & capreas agitare fugaces,
Tum canibus miscere tuis, tecumq; vocare
Ne pigeat nato missos. hirsutior ille
Cuncta niger, tantum pedibusq; & gutture canus,
Non inuitus herum Tyberonis voce sequetur.
Ast Athiso (nanque hoc alter de flumine nostro
Nomen habet) nec cursu impar, nec dente minaci
Segnior, anguineo suffusus terga colore,
Frontem albo pictus discrimine, pictus & albo
Ceruicem, caudamq; imam, pectusq;, pedesq;,
Addictus lateri nunquam discedet herili:
Tantus amor domini: nisi forte cupidine prædæ
Conspectæ impatiens etiam retinacula frangat.
Hic tu, vel pulchro Calaï, vel Tyndaridi alto

Polluci

Polluci similis, syluas latratibus omnes
Complebis, rupesq; hominum clamoribus altas,
Vectus equo hæmonio, & fulgenti clarus in ostro.
Attonitæ visu discent nemora inter amare
Rusticæ Hamadriades, discetis amare Dianæ
Insuetæ comites: volucri sed concitus ille
Fertur equo, vestrosq; aliò deportat amores,
Insequiturq; feras. ah ne illum accensa cupido
Venandi, excitos syluis impellat in Vrsos:
Ne in sæuos impellat apros: tibi cura, Dione
Aeneadum genitrix, sit custodire nepotem,
Et iuuenem ilicea defessum sistere in vmbra.
Sat syluis animoq; datum est: illum sua Roma
Poscit, et expectat lati res publica mundi.
I spes magna vrbis, rebusq; vocantibus adsis.
Interea, quando mihi Diuus habebere semper,
Ipse tibi CAPHIIS sacras in montibus aras
Instituam, qua se summo de vertice collis
Tollit, et æquatum Benaci prospicit æquor,
Et virides olea ripas, patriamq; Catulli.
Hîc tibi solennemq; diem, et renouanda quotannis
Sacra, tuo statuam semper de nomine dicta.
Tunc rosa, tunc violæ, tunc purpurei hyacinthi,
Verbenæq; senem deceant, tunc texere flores,
Et viridem cano capiti imposuisse cororam,
Lætitiaq; diem et multo producere Baccho,
Fallentem senium, et curas de corde fugantem.
Forsitan et musarum aliqua, et tibi fautor Apollo
Plectra mihi, citharamq; dabit: Deus ipse canentem
Perq; tuos annos, perq; acta illustria ducet.
Infanti vt prima impellens cunabula Pallas
Adcecinit cantu graio, cantuq; latino,
Scilicet et fari lingua assuefecit vtraq;.
Vt puerum aonio perfusum labra liquore,
Per dulces musarum hortos et amœna vireta
Perduxit, nunc Vranie, nunc Calliopea,
Nunc Clio monstrante viam, nullaq; sororum
Non donante rosas, et serta virentia lauro.
Tum mores animumq; dedit, sensumq; senilem,

Atq; vrbem regere, ac sacro splendere galero.
Nec iam Roma capit, sed lata in regna vocatum
Ad pacem Europæ, non te maria alta fatigant,
Non iuga, non toties superatis nubibus alpes.
Te pœninæ arces, celerem te Norica saxa
Spectarunt rapido montana per ardua cursu,
Quantum Sol cœli, tantum telluris obire
Matre Dea comitante, & iter monstrante nepoti.
Nec satis hæc: maiora vrgent. Germania nuper
Grata Deo, nunc ingenijs elata superbis
Detrectare iugum Imperij, & se opponere patrum
Sanctorum placitis, & sacris legibus audet:
Nec iam Pontificum, nec iam vllos Cæsaris audit
Infœlix monitus, sed læuo numine Diuûm
Arma parat: socium Cæsar te poscit in hostes,
Pro sceptro Imperij, pro relligione Deorum.
Tunc primum stupidæ gentes videre latinæ
Te, FRATREMQ. tuum patria virtute, animisq;
Inuictis pariter, res duri & munera belli
Tractantes: gemini quales duxisse feruntur
Tyndaridæ pulchri graias in bella cohortes.
Tunc primum Romana acies, antiquaq; virtus
Visa fuit: Ducibus tantis Mauortia pubes
Magnanimi Aeneadæ, memores virtutis auitæ
Bella cient: Italo pleni iam milite campi
Densantur: iam procedunt longo ordine signa
Sublata in ventos, lateq; inimica minantur.
Nec mora, iam summis Romanus miles, & arma
Alpibus apparent: concussæ motibus illæ
Fuderunt gemitus, longe vagus audijt Oenus,
Obriguitq; gelu: riguerunt flumina Rheni,
Et pauidus fluxit demissis cornibus Ister.
Romanum ad nomen planxerunt pectora matres,
Charaq; in hercinias traxerunt pignora syluas.
Sed quò me rapitis musæ? quid facta reuoluo
FARNESI? Maiora animo iam concipe, teq;
Impauidum, inuictumq;, alijs accinge triumphis.

Adiu-

AD IVLIVM III.
Pontificem Maximum.

Maxime Diuini pastor gregis inclyte VLI,
In terris cui summa Vni est concessa potestas,
Sceptra Vicesq; Dei gerere,& regna infera ditis,
Cœlorumq; fores aperire,& claudere posse:
Si tu, dum magnæ Italiæ, dum prospicis omni
Europæ,& Vasta mundi sub mole laboras,
Paulisper potes à tantis secedere curis,
Et potes agrestes pastorum audire camœnas,
Nunc aures adhibe placidas mihi. Nanque ego, quæ Pan,
Pan magnus cecinit nostros Ventura sub annos,
Nunc referam, tua magne pater pars maxima quorum est,
Cuius ab auspicijs Parcæ noua sæcula Voluunt.
Nec te pœniteat pastorem audire canentem,
Quando etiam Admeti tauros formosus Apollo
Pauit ad Amphrysi ripas, tenuiq; cicuta
Non puduit cantare Deum sub tegmine acerno:
Et Veneri dilectus oues ductauit Adonis.
Scilicet & tu etiam post grandia nomina pastor
Diceris, atq; hoc in primis cognomine gaudes,
Et pecudes curare soles, pecudumq; magistros.
Forte ego, dum medio terras Sol excoquit æstu,
Ipse Suessani pastor puer Incola campi
Ducebam pastas Viridi de Valle capellas
In nemorum secreta, Vmbras & frigora quærens,
Qua placidus cursu descendit in æquora Lyris.
Est lucus, prisci quem sacrauere latini
Syluano: in cuius medio densa ilice cinctum
Est pratum, agrestes Vbi Dij persæpe Videri
Audiriq; solent: hîc Capripedes Satyriscos
Pastorumq; manum iunctis per mutua palmis
In girum canere, & lætas agitare choreas
Inuenio admirans. medius Pan magnus ouantem
Ad calamos, cantusq; regit ducitq; coronam.
Dumq; Deus canit ipse, silet tum cætera pubes.

Dum

Dum ſilet ille, alij Thyaſos, cantusq; , ſequentes
Inſtaurant, repetuntq; Dei poſtrema canentis.
Ingeminat poſtrema nemus, reſpondet & Echo.
Tum me reſpiciens, mihi ſanguine proximus Acmon,
Acmon aquinatis paſtor gregis, huc puer, inquit,
Huc ades ò Neore, & te his adiunge choreis:
Aut, ſpectare magis ſi te iuuat, aggere ab illo
Proſpice, dum ſaturæ ſua ducant ocia capræ.
Cui ego. quin potius iuuet hoc de ceſpite veſtros
Spectantem luſus, molli requieſcere in herba.
Et tum forte Deus buccas ſandice rubentes
Inflans, & picea frontem præcinctus acuta,
Ad calamos circumſiliens, hæc carmina cantu
Fatidico inſanus latas fundebat ad auras.
Dicite Io Satyriſci, & Io geminate coloni,
Aurea fœlici naſcuntur ſecula mundo.
Excipiunt Iuuenes, iterat nemus, aſſonat Echo,
Aurea fœlici naſcuntur ſecula mundo.
Tum ſequitur Deus. ante tamen rex magnus Olympi
Bellumq; , horribilemq; famem, diramq; flagellis
Armatam Alecto è tenebris, & faucibus Orci
Immittet terris, genus vt mortale coërcens
Caſtiget, fraudesq; hominum, faſtusq; ſuperbos,
Et luxus, & ſpes miſeras, & gaudia vana:
Dum tandem ſeſe, atq; Deos cognoſcere diſcant.
Mox tantum expectatum illud, quod carmine ſacro
Tot vates cecinere pij, fœlicibus aſtris
Adueniet tempus, quo Mons ille arduus, ille
Mons ingens, ſublime caput ſuper omnia tollat
Culmina, ſydereum qui vertice tangat Olympum:
Quò neque vis ventorum adeat, non fulminis ignes.
Dicite Io Satyriſci, & Io geminate coloni.
Aurea fœlici naſcuntur ſecula mundo.
Hoc in Monte, Dei pecudes paſcentur & Agni,
Graminis æterni pingues, & velleris aurei.
Exilient & aquæ viuæ, quibus vbera capræ
Grandia diſtendant, diſtendant vbera vaccæ.

Non malus hîc serpens, non noxia creuerit herba,
Non sentes, sterilis'ue filix, non frigida Taxus,
Sed bis lecta seges, sed bis grauis vua racemis:
Corticibusq; cauæ sudabunt balsama pinus.
Hinc magnis præstantem animis, & fortibus ausis
Fortunata nimis pastorem hæc secula habebunt,
Qui virtute regat populos, & legibus æqui:
Diuinas qui impinguet oues, & pascua latè
Extendat, pecudesq; ipsas, & ouilia seruet.
Hîc primum diram Alecto, & Cocytia monstra
Caucasea ærata religabit rupe catena.
Inde famem miseram è latio, populisq; Deorum
Pellet in hostiles gentes, & barbara regna.
Tum læta vbertas, segetumq; onerata maniplis
Alma Ceres Italas spicis venerabitur aras:
Quam circum pueri salient, & rustica pubes,
Ridentesq; iocos, incomptaq; carmina dicent.
At noti musis Damones & Alphesibœi
Vota patri magno, laudesq; & sacra canentes
Aeternis illum numeris ad sydera tollent,
Heroemq;, Deumq;, salutiferumq; vocabunt.
  Dicite Io Satyrisci, & Io geminate coloni.
    Aurea fœlici nascuntur secula mundo.
Ille animum mox ad pacem, & discordia regum
Pectora conuertet, sanctisq; hortatibus iras,
Atque odia, et cæcos regnorum et laudis amores,
Horrendamq; sitim cædis, fusiq; cruoris
Sedabit, pelletq; feri mala semina belli.
Tum Pax alma ferens ramos fœlicis oliuæ,
Atq; Amor, et iunctis pariter Concordia dextris,
Et Genius comitum, et generis Hymenæus amator
Inuisent latè populos, Latiiq; per arua
Lætitiam, risusq; ferent: tum iusta cupido
Bellorum, piaq; arma, Dei vertentur in hostes.
Iam video augustis latè plena æquora velis
Feruere, iam trepidare vagi septem ostia Nili,
Euphratemq;, Tygrimq; suo se condere in amne.

Iam

Iam nec Bactra ipsum capiunt, non India tota
Maumetem fugientem, ipsum non caucasus ingens,
Non qui tot syluas, iuga tot comprendit Imaus.
Dicite Io Satyrisci, et Io geminate coloni.
Aurea fœlici nascuntur secula mundo.
Quæ nam, quæ properant tantæ per cœrula puppes
Deuotæ ad Tyberim, magnæq; ad mœnia Romæ,
Ceu densæ ad nidos latum per inane columbæ?
Agnosco gentem innocuam, numerumq; beatum,
Fœlices animas, fatis ab origine prima
Dilectas, quæ cœlo olim, Diuisq; fruantur.
En iam sanctam Vrbem, iam septem in collibus aras
Impositas, summiq; pedes Pastoris adorant.
Hos inter, video, et nostri longa æquora sulcant
Arcades, Italiamq; petunt, fataliaq; arua
Arcades. ò Soli quondam cantare periti
Pastores, quos iustitia è tellure recedens
Postremos liquit, nunc rursus læta reuisit.
O sancti properate, vocat Deus æthere ab alto:
Vos alius iam grex, aliudq; expectat ouile.
Quin venit illa dies, quum nos quoq; Menala nostra,
Arcadiamq; omnem, qua immani à gente repulsi
Fugimus in latium, longo post tempore tandem
Visamus, dulcemq; auram. ò Placidissime Peneu,
O Ladon, vos ò gelidi pineta Lycæi
Quando ego per vestros meditabor carmina lucos,
Menalios quando recinet mea tibia versus?
Menalus auritas, dantesq; oracula quercus
Semper habet, semper doctas ille audit auenas
Concipe Menalios mea Tibia, concipe versus.
Talia cantabat memorans Pan magnus: at ACMON
Hæc referes puer, inquit, et hoc tibi munus habeto
Nunc paruum, ventura dies maiora reseruat.
Tum mihi fiscellam dono dedit optimus ACMON,
Dicere et occasus astrorum, dicere et ortus,
Et quid quæq; ferat tellus, quæ commoda Baccho,
Quæ Cereri, quid nam ventos, quid nunciet hymbres,

Quæ tempestatum, cœli quæ signa sereni.
Denique quæ cunctis natura sit indita rebus.
Virtutem in primis & honestum, quemq; docere,
Ac vitij ipse expers, aliena in dicere promptus.
Et iam tempus erat pastum deducere capras.

INCIDENS AD IOAN. BAPTISTAM TVRRIVM VERONENSEM.

ILLA colum exercens saxo consedit aprico,
Læta tepore nouo, & liquefacta Sole pruina:
At iuxta nemore in magno grex pascitur omnis,

Ad eundem.

FRigidus at syluis Aquilo si increuerit, aut si
Hyberni pluuijs descendent nubibus hymbres,
Nos habeat domus, & multo lar luceat igne.
Vpilio ingentem aut fagum, vel scissile robur
Sufficiat, tum vos, claro quando igne soletis
Iuniperi suaues circum diffundere odores,
Et vos palladiæ flammis imponat oliuæ.
Ante focum tibi paruus erit, qui ludat, Iulus,
Blanditias ferat, & nondum constantia verba.
Ipse legam magni tecum monumenta Maronis.
O fortunatos nimium, si fata, quod æui
Nos manet, hac vna dederint producere vitam.

Ad eundem.

IAM veniet ver purpureum, iuuenisq; reuertens
Annus aget Zephyros, & cœlo desuper alto
Deducet pleno genitalia semina cornu:
Vnde hominum genus, & pecudum, vitæq; natantum,
Et pictæ volucres, & amantes rorida plantæ
In Venerem cœco æterni rapiuntur amore.
Gaudete, ò quicunque bonum speratis agrestes,
Quorum amor est sobolis, studiumq; nepotibus arua
Incolere, & paruas vlmis attollere vites:
Annus Io, nouus annus adest: mutatur & ætas,
Et meliora nouo nascuntur sæcula mundo.

Bella pater procul, & diras Saturnus Erinnes
Arcebit caro è latio, ac sub tartara mittet.
Tum lethum, & cæcus furor, & væsana cupido
Perpetuis extra terras religata cathenis
Persoluent pœnas scelerum: at pax alta per omnem
Italiam magno populos sub Cæsare viset.
Ille autem insignis spolijs, & mille trophæis
Instituet festos alta ad capitolia ludos.
Stabit onusta ingens, tarpæi ad limina templi
Quercus honore sacra, & prænuncia temporis aurei.
Tum vescæ glandes, tum terra sponte ferente
Omnia: comparibus disiunget colla iuuencis
Agricola, & rudibus mirabitur hordea sulcis
Sponte adolere sua, & nullo frumenta colono
Vndantem lætis segetem flauescere campis.
Noctibus in syluas & mollia prata serenis
Aethereo dulcem commixtum nectare rorem
Sudabit cœlum: tenera qui lectus ab herba
Mortales saturat mensa dapibusq; Deorum.
Salue magne Tybri, & vos natæ Tybride nymphæ,
Tuq; senex pater Eridane, & qui flumine tusco
Benace in nostro placidus perlaberis agro.
Tuq; Athesis, cunctiq; amnes saluete latini,
Dijq; omnes magnæ Hesperiæ, qui sæcula soli
Aurea Saturni primo meministis ab æuo:
Quum sæpes vel limes adhuc communibus agris
Non foret, aut vlli variarent iugera sulci,
Sponte sua sed terra ferax daret omnia, & ipsæ
Præberent dulci victum de robore glandes.

Incidens ad eundem.

QVarum pars brumæ impatiens, & condita terræ
Expectat ver egelidum, flatusq; fauoni:
Pars passura hyemem, læta ab radice virescit,
Emittitq; comam, siculumq; atq; altera beta,
Atq; ari virides, & odoriferæ calaminthæ,
Atq; olus, atq; rumex, & salsi gramina Crithmi.
Quas inter suaues mollesq; aspirat odores

Nunc, decus hortorum, menta; at, si vera loquuntur,
Nympharum quondam pulcherrima graiugenarum.
Tum iuuat & frondes Apij, & sisymbria læta,
Intubaq;, & toto florentes frigore soncos
Incolere, atq; hortis aquilonem arcere nocentem.
Nox venit, & pastæ redeunt ad tecta capellæ.
Præ caper it, cui barba iubat, cui cornua pendent
Intorta, & grandes olido de corpore setæ.
Pone gregem reliquum compellit arundine virgo
Vpilio, multo armantur cui balthea fuso.
At mater longæua, igni dum braßica feruet,
Mulctra effert, grauidoq; recens lac vbere mulget.
Rusticus interea pinguis collector oliuæ,
Interea & validus prima de nocte bubulcus
Aduenere domum: congesta tum focus orno
Ingenti, aut fago, vel fragmine roboris, ardet.
Tolluntur lætæ flammæ, lateq; relucent.

Aliud incidens ad eundem.

AT nemora, & liquidis manantia fontibus arua,
Et placidus myrteta inter, laurosq; virentes
Vicinus nitido Benacus labitur amne.
At focus, & circùm pueri vernæq; canentes,
Dum cœna vndanti coquitur syluestris aheno,
Grandiaq; exurunt crepitantes robora flammæ,
Suspensæ è summis pendent laquearibus vuæ,
Malaq;, castaneæq;, & passo fistula ventre.
Hyberna de nocte, boum stabula alta petuntur.
Vnà omnes matresq;, viriq;, omnisq; iuuentus
Insomnem exercent noctem: pars pensa fatigat:
Pars texit teneros amerino vimine quallos:
Atq; anus hîc aliqua interea, dum vellera carpit,
Et teretem tremulo propellit pollice fusum,
Languentis oculos fabella fallit inani.

Aliud.

MAne domi validos pluuia vt conclusit agrestes,
Cæditur iliceo distenta sagimine porca.
Læta domus. tum sollicita in farcimine mater

Pingue

Pingue suis niueum, & dissecti frustra cerebri,
Et niueum lac purpureo cum sanguine miscet.
Tum semen maratri, atq; arentis gramina tymbræ
Adijcit, inspersoq; coli sale concaua complet.

BATTVS amor Dryadũ defunctum pastor IOLAM
Flebat. eum fontes, Alpinaq; numina circum,
Sarcaq;, pumiceoq; sedens Benacus ab antro
Mœrentem lacrymis consolabantur obortis.
Ille autem nulla accipiens solamina, tantum
Deserta sub rupe, in littoribus Benaci,
Talia nequicquam surdas iactabat ad vndas.
Immites Diui, & crudeles vos quoq; Parcæ,
Crudeles nimium Parcæ. Vos ibitis amnes,
Aëreæ stabunt rupes: nusquam amplius ipse
His terris, nunquam hoc cœlo agnoscetur Iolas.
Vt cecidit? semel in pratis vt purpureus flos,
Quem tetigit vel hyems, vel iniquo Sirius astro.
Currite iam fluuiorum vndæ, & producite vitam,
Et rupes durate: tamen non alter Iolas
Hos pecus in montes, non hæc ad flumina ducet.

AD M. ANTONIVM FLAMINIVM
& Galeatium Florimontium.

DVM vos fatidicos vates, arcanaq; sensa
Voluitis, atq; animum cœlesti nectare alentes,
Alloquijs, magnoq; Dei consuescitis ori
Fœlices Duce Gibberto, Campense magistro:
Quid dicam miserum me agere, & quam ducere vitam
Irrequietum animi, & quærentem indagine vana
Naturam semper fugientem: quæ se vbi paulum
Ostendit mihi, mox facies in mille repente,
Ceu Proteus, conuersa sequentem eludit, & angit
Mœrentem senijq; horas, cassumq; laborem?
Nuper enim tenues species, simulachraq; rerum,
Quæ

Quæ fluere ex ipsis dicuntur, perq; meare
Omnia, dum sector meditans, tacitusq; requiro
Auia syluarum, & secreta silentia solus,
Cognoui tamen his spectris illudier ipsis:
Vt sensus feriant nostros, semperq; lacessant,
Perq; fores, caulasq; animæ ludantq;, meentq;,
Ac remeent, ipsamq; nec interSomnia linquant.
Ergo hoc elusum studio, fessumq; labore
Tandem me miserata suos abduxit in hortos
Musa memor, tetricumq; animum somno, atq; quiete
Curauit, numerisq; & blando carmine fouit.
Tum mihi. quo tandem ò semper mortalia quærens
Hanc colere vsque voles terram? nunquám ne relinques
Has tenebras, nunquam'ne in lucem lumina tolles?
An nescis, quæcunq; hic sunt, quæ hac nocte teguntur,
Omnia res prorsus veras non esse, sed vmbras,
Aut specula, vnde ad nos aliena elucet imago?
Terra quidem, & maria alta, atque his circunfluus aër,
Et quæ consistunt ex ijs, hæc omnia tenues
Sunt vmbræ, humanos quæ tanquam somnia quædam
Pertingunt animos, fallaci & imagine ludunt,
Nunquam eadem, fluxu semper variata perenni.
Sol autem, Lunæq; globus, fulgentiaq; astra
Cætera, sint quamuis meliori prædita vita,
Et donata æuo immortali, hæc ipsa tamen sunt
Aeterni specula: in quæ animus, qui est inde profectus,
Inspiciens, patriæ quodam quasi tactus amore
Ardescit. sed enim, quoniam hîc non perstat, at vltra
Nescio, quid sequitur auens, tacitusq; requirit,
Nosse licet * ipsum consistere verum
Non finem: verum esse aliud quid, cuius imago
Splendet in ijs: quod per se ipsum est, & principium esse
Omnibus æternum, ante omnem numerumq; diemq;.
In quo alium Solem, atq; aliam splendescere Lunam
Aspicias, aliosq; orbes, alia astra manere,
Terramq;, fluuiosq; alios, atque aëra, & ignem,
Et nemora, atque alijs errare animalia Syluis:

Deniq; cuncta alia cernas vegetantia vita.
Ergo, vmbras cum iam satis, & specula illa, superq;
Spectaris, longa iandudum in nocte pererrans,
Fas tandem lucem, atq; ipsum perquirere verum.
Quod quoniam longe seiunctum est corpore ab omni,
Nec nexus habet, aut affinem sensibus vllis
Naturam, scito esse animum tibi dissociandum
Corpore, purgandumq; omni contage recepta,
Terrena labe, et mortalis luminis haustu:
Quærendæq; aliæ syluæ, callesq; tenendi
Sunt alij, meliorq;, Deum quæ semita monstrat.
Hæc musa. ò si te comitem dent rura beata
Bardolena mihi, ò qui nos propter amœnum
Benacum viridi syluis in littore sistat:
Atq; olea, lauroq; tegat, detq; abdita vatum
Sensa, et vtranq; Dei præceptam euoluere legem.
Rura, oro, Gibberte tuo benacea vati
Da, viridesq; oleas, et multa protege lauro.
Ille tuas laudes primum canet, et tua facta
Inclyta Mœonijs numeris ad sydera tollet.
Vt puerum mirata sacro cum Tybride Roma
Ante annos meritis titulis et honoribus auxit.
Vt res Romana, et sacrorum tradita iussu
Pontificum tibi summa in te vno sæpe resedit.
Vt septem fremuere nouis applausibus arces.
Macte animis, macte ingenio, tu traijcis æquor
Barbaricum, et ferro reges in bella ruentes
Alloquijs frenas, et cœptos ore tumultus,
Armaq;, et hostiles animos, et prælia sedas:
Fœdera, amicitiasq; feris, pacemq; reportas
Italiæ, populisq; Dei. nec te tamen ingens
Terra capit. toto iuuenem tot plausibus orbe
Exceptum, tua te pietas, tua maxima virtus
In cœlum vehit, et terræ dat spernere honores:
Dat contemnere opes, vniq; incumbere olympo,
Ac solis Diuorum epulis, et nectare pasci.
Hæc vbi perpetuo cantauit carmine, et omnes
Respondent

Respondent latè rupes. tunc concitus œstro
Fatidico, plenusq; Deo Dauidica vates
Ipse etiam pater interpres oracula soluit,
Dignus, qui ante omnes citharam pertractet eburnam:
*Quam quondam Solymæ stupuere * * *.*

FINIS.

REGISTRVM

* A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL
MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX
YY ZZ AAA BBB CCC DDD EEE
FFF GGG HHH III KKK LLL
MMM NNN OOO PPP QQQ
RRR SSS TTT VVV XXX
YYY ZZZ &&&.

Omnes sunt duerni pręter &&&, qui est ternus.

VENETIIS APVD HAEREDES
LVCAEANTONII IVNTAE.
M D L V.

Andreæ Naugerii patricii Veneti

ORATIONES DVAE HABITAE

VNA

IN FVNERE BARTHOLOMAEI LIVIANI

ALTERA

IN FVNERE LEONARDI LAVRETANI

VENETIARVM PRINCIPIS

Carmináq. Nonnulla.

LECTORI. C

EST hic humanißime Lector cur, & fragilitatis vitæ humanæ recorderis, & quantum magnis sæpe viris fortuna inuidere solita sit, poßis agnoscere. ANDREAS enim NAVGERIVS vir tum acri iudicio, tum dicendi arte, quanta vix alius: quum annum ætatis quartum & quadragesimum ageret: immatura morte præuentus, nec quæ iam pridem moliri cœperat, scribere, nec quæ iam scripserat, vt absoluta atq; vndiq; perfecta legerentur, facere potuit. nam quum ex Hispaniensi diuturna legatione vix dum Venetias rediisset, visq; alia belli maior, proxima æstate, aduentu Cæsaris in Italiam, exarsura esse videretur: ineunte vere, celeri, ac (vt fieri potuit) citato cursu, orator in Galliam mittitur. vnde in morbum incidens, quum vix primum patriæ officium præstitisset: Regem semel aut iterum allocutus, triduo ferè absumptus est. & quoniam vir summi ingenij, summiq; etiam spiritus, & qui se ipsum probe cognosceret, quæ fecisset, nō esse eiusmodi putabat, vt inuulgari citra sui nominis iacturam possent: dum tantæ existimationi, quanta iam ipse apud omnes eruditos omnium ferè nationum agebat, vtpote nec polita satis, nec vnquam recognita, non vsquequaq; responderent: quæcunq; apud se habuit, igne deleuit. quod quidem coniectura colligi facile iccirco potest: quia & adolescens adhuc, quum se ad bonorum poetarum, ac cum primis Virgilij imitationem traduceret (vt eius ad Vulcanum epigrāma testatur) syluas suas D Statij imitatione factas exußit. nisi quis forte suspicari malit: ea furto alicuius, quo tum ille familiariter vteretur, perijsse. nam erat re uera cum amicis omnibus minime dißimulator. Verum (vtcunq; sese res habeat) libri eius de VENATIONE duo pulcherrimi heroico carmine scripti, & vnus de SITV ORBIS eodem stilo confectus, itemq; lusus complures, quos alias amici eius legere, nusq̃; omnino apparent. atq;, vt omittā laudationem illam, quam in funere Cypriæ Reginæ de Veneta CORNELIORVM gente nobilißima publice habuit: & alia multa, quæ pari iactura perierunt: quo piaculo dixerim luculentißimam HISTORIAM ab ingressu Caroli octaui in Italiā ad hæc vsq; tempora, tot vigilijs, tantoq; labore deductam desiderari? sed quis hāc culpam præstare debeat? quando (ait poeta) ducunt volentem fata, nolentem trahunt. Amici igitur hæc, quæ vides, & quidem pleraq; imperfecta, quoniam omnino extabant: vel clanculum exscripta, quum adhuc essent in litura: vel familiaribus tantū immatura quamuis olim tradita: veluti quasdā funeris eius reliquias collegere: satis pietati suæ datum existimantes, si haudquaq̃; penitus tanti viri memoria tam exiguo vitæ spatio terminaretur. Tu itaq; lector optime, siquid in his te iuuerit: aut non omnino displicebunt: precaberis interim tibi, ut quū diligens laboriosusq; fueris, tuis tamē cœptis melior fortuna non desit.



ANDREAE NAVGERII
PATRICII VENETI
ORATIO HABITA
IN FVNERE BARTHOLOMÆI LIVIANI.



I, quantum in me doloris eſt, tantum eſſet ingenij: ſperarem profecto parē me BARTHOLOMÆI LIVIANI laudibus orationem habiturum. cum vero ingenium, vel minus etiam, quā mediocre ſit: tantus autem mentem dolor opprimat: vt is vel maximi cuiuſq; ingenij vires poſsit infringere: ſi quidē flendum ſit, nullus me magis idoneus: ſi præclariſsimæ maximi huius Imperatoris laudes celebrandæ, nullus minus reperiri poteſt. ſunt illæ quidē tam illuſtres, vt omnium oculos in ſe trahant: vt nemo ſit, qui eas non videat. quoties tamen mihi in mentem venit: quàm alieno hic tempore nobis ereptus ſit: concidit animus: quæcunq; dicere inſtitui, è memoria omnia dilabuntur. dolere ſolum iuuat: doleo meo, doleo ipſius, doleo reipu.
B noſtræ, doleo bonorum omnium, qui vbiq; ſunt nomine, meo: quod illum, qui me vnice amabat: quem ego velut inſtar quoddam antiquitatis admirabar: tum, cum minime id timerem, amiſi. ipſius, nō quod mortem obierit (ea enim conditione natus erat: vt aliquando moreretur) ſed quod, cum vnum maxime expeteret: vnum à Dijs immortalibus votis omnibus optaret: vt reip. noſtræ in eum gradum reſtituere imperiū poſſet: ex quo proximis bellis collapſum erat: cum iam propè eſſet, vt id perficeret: ſubita morte interceptus, voti compos fieri non potuerit. reip. noſtræ nomine doleo: quod, cum illa hoc gubernante, è maximis ac turbulentiſsimis tempeſtatibus ſæpe ſeruata, portum iam aſpiceret, erepto malo quodam fato gubernatore, medio in curſu ſit relicta. Subſtituiſtis vos quidem patres optimi fortiſsimum, ac ſapientiſsimum virum: quo ad gubernaculum ſedente omni timore vacui eſſe debetis: interruptus tamē eſt curſus ille: ſecundus ille flatus deſeruit: multæ poſſunt in infido hoc mari exiſtere tempeſtates: quæ, ſi non ſubmergere, at perturbare tamen res noſtras queant. iam vero tantum in illo bonis omnibus præſidiū ſemper fuit, vt hoc vno amiſſo, omnia mihi iam amiſiſſe videantur. Hæc ipſe cum mecum cogito: communemq; hanc iacturam ante oculos mihi ꝓpono: ita ſuccumbit dolori animus: ita auocatur ab inſtituto ſuo mens:

vt quò me vertam, quod principium ſumam, neſciam. In vos quidẽ vniuerſos cum intueor, triſtem mihi quandam ipſius mœroris faciem videre videor. doletis omnes, mœſti eſtis oẽs, ſed quo magis doletis, hoc diligentius funus ducitis: honores mortuo, quos poteſtis, redditis, frequẽtes ad me audiendum coitis: ita vos ad ea, quę debetis pręſtanda; dolor adiuuat: mihi, ad ea, quæ debeo, maximo eſt impedimento. cohibebo eũ igitur: nec committam, vt minus ego gratus in meo obeundo munere, quàm vos in veſtro eſtis, fuiſſe videar. Solent omnes, qui quempiam laudant, quaſi præſcripto quodam, patriam, genus, educationem illius laudare: neq; id cum faciunt, ſine certa ratione faciunt. Vt enim plantæ, cũ bono è genere lectæ, feraci ſolo depactæ, frequenti adiutæ cultura ſunt, tum demum vberes fructus ferũt, ſic in hominibus cęteriſq; animalibus, genus, patria, educatio, multum refert. quod quanquam ita ſit, aliam tamen ego quandam in Imperatore hoc noſtro rationem ſequar. omnia, quæ vere alicuius dici non poſſunt, prætermittam: animi virtutes, quæ illius, in quo inſunt, vere eſſe dicuntur, eas dicam. neq; id à me tamen eo fieri arbitramini, quo is ignobili patria ortus, obſcuro genere natus, male educatus ſit: ſed & maiora ſunt ea, quæ mihi propoſui: &, hæc ſi perſequar, lõgior ſim quàm aures veſtræ pati poſsint. Quid enim? ROMAM laudem? at ea, ſi breuitati conſuluero: multis laudibus defraudanda: ſi omnia explicare voluero, vel perpetua multorum ſcripta repetenda. de LIVIORVM genere dicam? vnus Salinator totum diem expoſceret. poſſem equidem de FRANCISCO Bartholomæi ipſius patre fortiſsimo & clariſsimo ſuæ ætatis viro dicere, ſed nolo ex hoc riuulo in id flumen laudem deriuare, ex quo in eius etiam maiores laus maxima redundat. At pueritia ſub Napolionis Vrſini diſciplina acta, ſub Virginij adoleſcentia, commemoranda, ad maiora feſtino. ego cum agrum fœcundũ video, etiam ſi vt cultus ſit, neſcio: neq; agricolæ laborem conſpicio, ex ipſo tamen fructu bene cultum iudico. vos item cum maximarum virtutum prouentum, qui vere animi fructus eſt, videritis, bene cultum animum exiſtimare debetis. his ergo omnibus iam relictis, ad ea, quæ mihi dicenda propoſui, veniamus. Sæpe ego mecum (quod & veſtrum cuilibet ſæpenumero euenire arbitror) ea, quæ de veteribus memorię mandata ſunt, repetere ſoleo. cum magnos illorum temporum viros ante oculos mihi propoſui, pręclaros quidem multos, multos omni laude dignos inuenio, ſed vnus eſt C. Cæſar, quem admirer. ac fuit, cum multa, quæ de eo dicerentur, ficta eſſe arbitrarer, neq; tot tam diuerſorum generum virtutes cadere in vnum hominem poſſe cenſerem. hanc mihi Bartholomæus Liuianus incredulitatem ademit. Cæſarem ille omnibus, quicunque

A que vnq̃ fuerunt,imperatoribus anteponebat, Cæsarem maxime imita-
batur, fœlicitatem assequi eius non potuit (neq; enim hoc in nobis est)
virtutes ita assecutus est,vt nemo vnquam illi similior fuerit . ac ne mihi
hoc loco ea,quæ de Cæsare scripta sunt,sint repetenda , quæ in hoc fue-
runt dicam,vos ea,quæ legistis,taciti subijcietis.Primo quidem,quoniã
de imperatore loquimur,imperatorię omnes virtutes,ita summæ in hoc
fuerunt,vt in nullo magis.cõsilium in Imperatore summum esse decet,
nisi enim quæ agẽda sunt,prius consuluerit : casu quasi quodam res eius
omnes ferantur,necesse est.neq; hoc tamen satis:cum recte quippiam cõ
sultum est,tum industria etiam quædam ac celeritas ad id perficiendum
requiritur.Quãtus in ambobus his fuerit Imperator noster,è multis præ
clarissimis rebus eius gestis licet cognoscere . sed ego omnia non perse-
quar,pauca quædam perstringam. Bello illo,quod inter Gallos atq; Hi-
spanos super Neapolitano regno acerrimũ fuit,eo prælio,quod ad Ly
rim gestum est,Hispanis affuit.lõge superiores numero Galli erant , ob-
iecerant se tamen illis Hispani,quo transitu fluminis prohiberent , sed
cum hostium quotidie vires crescerent,nemo ꝓpè in toto exercitu erat,
qui non ab incępto desistere,& munito se loco continere tutius arbitra-
retur.vnus hic id sensit,quod solus nostra ætate ob res gestas magnus di-
ctus,tunc Hispanorum Imperator,& secutus Consaluus est,& ei vt per-
B ficeret,commisit.itaq; ille pontẽ in Lyri paucissimis diebus,semota qua-
dam parte,tam secreto,vt id Galli nunquam rescierint , conficit . maxi-
mo silentio exercitum traducit,hostes viribus suis confidentes , ac nihil
tale suspicantes de improuiso adortus,in fugam vertit.tanta cędes facta,
vt qui è bello superfuerint,deditionem facere coacti sint.hoc ob facinus,
ab egregio illo ac maximo Imperatore ita laudatus est,vt multa etiã præ
mia & ab illo,& ab rege postea ipso consecutus sit.Sed quid ego ea, quæ
pro alijs gesserit,conquiro? non'ne maxima sunt ea,quæ plurima ꝓ no-
stra rep.nostros ante oculos,his bellis proximis facinora ædidit? Germa
nico bello,cum omnes in nos aditus effera illa gens tẽtaret, omni ex par-
te in nostros fines irrumpere conaretur : Cadubriensi cruento illo præ-
lio non solum compescuit,sed & multa eorum oppida vi cœpit:atque eò
tandem redegit,vt potius quemadmodum sua tuerentur, quàm vt alie-
na inuaderent,cogitarent.atque ipsum illud prælium quomodo gestum
est? occupato Cadubrio,perfracta iam alpium claustra, iam patefactum
in nos iter Germanis omnibus credebatur. & profecto nisi admirabilis
quædam viri huius virtus ipso in tempore subuenisset, turbulentissima
tum procella illa,res nostræ omnes procubuissent.magnæ , quæ iam ad-
erant copiæ,in dies augebantur:tota in nos se effusura Germania videba
tur.

tur. quid hic interea? cum longiſsime abeſſe putaretur: ducto magnis itineribus per aſpera quædam loca, atque oppleta niuibus exercitu, qua ne feris quidem vnquam aditus patuiſſet: ita derepente, & à tergo & ab omni parte ſe hoſtibus oſtendit: ita omnem incluſis fugæ ſpem intercepit: vt ſubita illi atque inexpectata re perterriti, nec quid agerent ſatis ſcirent: & ad vnum omnes, ne nuncio quidem cladis relicto, cæſi ſint. Sapiens hoc ac ſalutare nobis conſilium fuit, incredibilis celeritas: cum in omnibus hæc rebus, tum in bellicis multum valet: hac omnibus Cęſar præſtitit: plura hac, quàm militum multitudine bella confecit. hac noſter Imperator nulli ſecundus inuentus eſt: hac magnis vos ſæpius periculis liberauit. Ac, ne à Germanis diſcedam: occupauerant proximo illi anno amœniſsimam illam, ac vobis opportuniſsimam Foroiulij regionem: ſuburbano vos veſtro carebatis: poſsidebant hoſtes. magnę equitum, magnæ peditum manus ad portum Naonis coactæ erant. obſidebat Opſopium alius exercitus: quod ſolum oppidum HIERONYMI SAVORGNANI fortiſsimi atque amantiſsimi reip. huius viri, virtute defendebatur. magni intererat priuſquam id expugnaretur: & hoſtium vires coirent: ijs, qui ad portum Naonis erant, occurrere. quin id ageretur, impedimento Hiſpani erant: qui cum ad Ateſte oppidum caſtra haberent: Patauij Imperatorem veſtrum morari cogebant: neque is ſe inde commouere ſine magno rerum veſtrarum periculo poſſe videbatur. ſed perſæpe euenit, vt ea facilius fiant: quæ factu difficillima putantur. conſilium Imperator audaciæ plenum capit: omnem ſpem in celeritate ponit: cum expedita militum manu portum Naonis pergit: improuiſos hoſtes occupat: alios cædit: alios capit: vrbem recipit: nihil commoratur: magnis itineribus Opſopium ire contendit. neſcio quomodo elapſus de hac cæde rumor pauloante quàm noſtri adeſſent: Germanos, qui oppidum obſidebant, in fugam vertit. ita illi è noſtrorum manibus erepti ſunt: Opſopium obſidione liberatum. Imperator Patauium reuertitur. Hiſpanis, diſceſiſſe, hoſtes profligaſſe, redijſſe, ſimul omnia nunciata ſunt: ita nihil in nos moliri potuerunt. multa cogor præterire ne nimius ſim: ſed hoc nullo pacto prætereundum eſt: quod eodem anno in Hiſpanos paucis menſibus poſt id, quod commemorauimus facinus, geſsit. Totis illis ęſtiuis Patauio egreſſus caſtra munitis locis habuerat: &, cum eo amplius ob militum paucitatem non poſſet: ſatis à ſe fieri arbitratus erat: ſi hoſtem præda, ac populationibus prohibuiſſet. his hoc pacto ductis, cum ad Rhodigium iam Hiſpani, & propinqua circum loca in hyberna conceſiſſent: & hic ſe tutiſsimos, tum obiectu Atheſis arbitrarentur: tum quod noſtros maxime deſpiciebant: vt qui nunquam tota æſtate niſi ad

A tumultuaria bella castris progressi essent: occasionem sibi oblatam Imperator noster ad egregium aliquid patrandum ratus, magno itinere tota nocte confecto, ignaris hostibus flumen superat: securos ac nil tale suspicantes deimprouiso aggreditur. Rhodigio nullis resistentibus potitur: partim obtruncat: partim capit. sic callidissimam illam gentem fefellit. quod nisi militum lassitudo, quam longo ac præcipiti ex itinere contraxerant: fuisset impedimento: omnibus, qui vicinis erant in oppidis deletis, iam tum ab Hispanorum iugo nostras has regiones liberasset. multa præter hæc proferre possem, sed historiam non scribo: virtutes maximi huius Imperatoris mihi strictim percurrendas sumpsi. ac iam satis ostendisse videor, neque in deliberando consilium, neque in agendo industriam in eo vnquam desideratam. Sed cum hęc in Imperatore necessaria sunt: tum id etiam opus est: ne in gerendis negocijs vlli se labori subtrahat: ne pericula declinet: sed his potius se nonnunquam offerat. Mirum est quàm is semper labores omnes non solum non subterfugerit: sed & vltro appetierit. corpore quidem paruo fuit: sed ita tamen à natura compacto, vt laborum omnium esset tolerantissimum, hoc ille, quod à natura habuerat: sic confirmarat: sic exercitatione auxerat: vt vnus esset, cui labor omnis voluptas esse videretur. Non illum hyemis, non æstatis vis, non pluuiæ, non venti, non niues, ab incepto vnquā
B vllo retardarunt: iuxta omnia patiebatur: labores omnes primus subibat: postremus ab illis desistebat: vel gregarij militis opera nōnunquam, cum id res posceret: fungebatur. hac re fiebat, vt nemo in toto esset exercitu: qui, cum Imperatorem ipsum nulla in re sibi parcentem videret: non vltra vires etiam omnia toleraret. Audite, audite, præclaram Imperatoris vestri super hac re vocem. cum sæpe omnibus iam fatigatis solus indefessus persisteret: admirantibus ijs, qui aderant, dicere solebat. Non perinde ac militem (vt maior etiam eius sit labor) Imperatorem fatigari: ad militem nihil ex labore aliud quàm lassitudinem peruenire: Imperatoris laborem magna ex parte leuari spe gloriæ, quæ consecutura inde videretur. O, vocem magni indicem animi, eximiæ testem virtutis, quę solam gloriam dignum se præmium arbitraretur: cætera omnia putaret contemnenda. At vero in periculis subeundis, qua fortitudine semper fuit? in hoc quidem multorum reprehensiones sæpe perpessus est: qui audacius se periculis obijcere illum dicerent: quàm deceret Imperatorem: cuius consilio potius quàm manu res geri debeat. sed næ illi parum, quo se is tempore periculis obiecerit, considerarunt. non eo inficias Imperatoris consilium, militum manum, in bello exposci: sed incidunt tempora, cum vel maxime Imperator ipse in hostes irruere, primum se illis

opponere

opponere debeat: cum ſcilicet laborat exercitus: cum ſuperiores ſunt hoſtes. non'ne id aliquando Cæſar? non'ne alij ſæpe maximi viri fecerunt? at is ſæpius quàm alij: ſæpius enim aduerſa laborauit fortuna. An (vt alia prætercam) in Abduenſi illa clade, cum omnes in fugam turpiter verſi eſſent: capiendi tum conſilij tempus erat? conſilio ſcilicet inhiberi fuga poterat. & conſilium tamen egregium id dici poteſt, quo vſus eſt: & multis ſępe profuit. in perdita iam re extremum tentauit remedium: expertus eſt, an qui aliter ſiſti non poſſent: cum ſolum illum, aut cum paucis pugnantem viderent: pudore adducti in hoſtem reuerterentur. nihil profecit: relictus, vulneribus multis affectus, captus eſt. at nec medici quidem, cum deſperatæ iam ſalutis ægros curant: & periculoſa adhibent remedia: ſemper proficiunt: at arti tamen ſuæ obtemperant: neq; reprehendi debent. anceps ſit conſilium neceſſe eſt, quo profligatis iam rebus ſuccurritur. & nonnunquam tamen bene cedit. Quid proxime? cum conſerto iam prœlio, ac confecto propè, regi ſuperueniſſet: acerrime Heluetij incumberent: labarent Galli: ita dubia eſſet victoria, vt inclinata propè Gallorum res eſſet. nondum exercitus noſter: ipſe tantum, cum ijs qui adſunt ſuis atque alijs admodum perpaucis adeſſet: non'ne audax & periculoſum facinus aggreſſus eſt? cum paucis illis in confertiſſimos Heluetios irrupit. id tempus exigebat. at irruptio illa Gallos reſtituit: Heluetios in fugam vertit: victoriam demum regi faciliorem fecit. Non eſt cuiuſquam præſtare quid eueniat: ſed cum nihil eorum, quæ recte ęſtimanti facienda eſſe videantur, prætermiſſum eſt: quicunq; ſequatur euentus, laudari is, qui id egerit, debet. aduerſam ille ſæpe fortunam perpeſſus eſt: nunquam ſibi ipſe defuit: omnia tentauit: omnia expertus eſt: nunquam ſine vulnere diſceſsit: nonnunquam etiam in hoſtium poteſtatem venit. laudari debet, quod intentatum nihil reliquerit: vacare culpa debet, quod ſucceſſu caruerit audacia. Sed non in hac ſolum re fortitudo omnis conſiſtit. magnum quidem eſt res arduas præſenti animo aggredi: periculis ſe obiectare: mortem non timere: ſed alia quædam eſt etiam fortitudo: ex qua hæc ipſa, quaſi è radice quadam pullulat. humana contemnere: caſus omnes deſpicere: nulli homini, nulli fortunæ ſuccumbere: altiorem animum habere, quàm vt obrui ijs, qui in hac vita ſunt, fluctibus poſsit, id demum eſt vere fortem eſſe. hoc qui conſecutus ſit, mirum ſi pericula, ſi mortem non timeat. Fuit hæc in Imperatore hoc noſtro virtus eximia. humana omnia ſemper deſpexit. fortunę ictus ita excepit, vt animo ſemper eſſet erectior: nunquam victus eſt, quin validior tanquam hydra quædam, in hoſtem reſurgeret: vt mihi qui aduerſam etiam fortunam vicerit, nunquam victus fuiſſe videatur. Dicet aliquis

A quis, ſpe quadam ſuſtentatus eſt: nunq̃ ita eſt victus, vt ſe in hoſtem reſumpturum vires nõ ſperarit. Funeſto illo pręlio, quod ad Abduam geſſimus, captus eſt: ſine vlla exeundi ſpe, cuſtodiæ traditus: ibi per quadriennium fuit: quid interea? langori ſe dedit? magnum illum animũ querelarum ſordibus inquinauit? nihil minus. videte qua tranquillitate fuerit: rerum ſuarũ cõmentaria, aliquot de re militari libros, vnum de inſtruẽdo exercitu, conſcripſit. O fortitudinem animi ſingularem: quod alij nullis curis perturbati, pacatiſsimo in ocio, iucundiſsimis in ſeceſsibus, omnibus delitijs inuitati, vix faciunt: hic quin ageret, non carcer, non mille animum pertentantes curæ, non qui illum ne quid ſcriberet, prohibebãt cuſtodes: impedimento eſſe potuerunt. multa ſcripſerunt de hac virtute philoſophi oẽs: verbis illi, hic vitæ exemplis eam oſtẽdit. nec vero cęteris omnibus minus abundauit. Bellicæ, quas hactenus diximus, virtutes, ſpecioſæ ille quidẽ auditu ſunt: nec ſine illis magnus exiſtere Imperator poteſt: ſed & aliæ tñ ſunt, quæ & maximo illi ornamento ſint: & quãuis media in acie non verſentur: neceſſariæ tñ admodum videãtur. ac primũ quanta Imperatorem iuſtitia eſſe debet? hæc mater virtutũ omnium eſt: hæc regula: ſine hac ne latronum quidẽ cœtus perdurare poſsit. ſumma in hoc fuit. Duo omnino ſunt, quę iuſtitiã magnopere impedire ſoleant, odium, atq; amor. qui odio adducti nihil iniuſti egerint, perpauci admo

B dum: qui amore, multo reperti ſunt pauciores. acriores enim in bonis viris amoris, q̃ odij ſtimuli ſunt. neminem hoc ego vnq̃ amicorum amantiorem noui: neminem, qui ſuos omnes magis dilexerit: eo vſq; tñ amore prouehebatur: vt cum ſua oĩa expoſita amicis eſſent: nulli rei, nulli labori, vt illis obſequeretur, parceret: inter iuſtitię tñ fines permanendum ſibi eſſe iudicaret. Magna iuſtitiæ pars eſt pietas: vt ab omni ſuperſtitione, ſic ab omni impietate longiſsime abſuit. re potius, q̃ oſtentatiõe vlla Deos coluit. In parentes is ſemper fuit, vt cum puer adhuc eſſet, nunq̃ tamen ceſſandum duxerit, dum Frãciſcum patrem à Paulo pontifice maximo, in cuſtodia iãdiu habitum liberarit. Cum vero ij ẽt, qui animos noſtros rectis excolunt diſciplinis: ij, qui nos inſtruunt, parentum loco ſint habẽdi: qua pietate Napolionem Vrſinum, ſub quo pueritiam egit, ſemper proſecutus eſt? Audiui ego ſæpius huius de illo ſermones: vt optimum virum, vt maximum Imperatorem laudabat: cum ipſa antiquitate cõparabat: tam libenter, tam copioſe de eius virtutibus verba faciebat: vt multis, qui aderant, nimius ẽt nonnunquam videretur. Fide, quæ fundamentum iuſtitiæ dicitur, qua fuerit, ſi apud alios verba facerem: mihi vel in primis dicendum eſſe cenſerem: apud vos, qui eam experti eſtis: qui alijs teſtes eſſe debetis: hoc vnũ dicam. multos vos quidẽ habuiſtis egregios

Imperatores:qui tot virtutibus floruerit,fortaſſe nullũ: tali fide oĩno nul C
lum habuiſtis.non amici illam, non hoſtes vnq̃ deſiderarunt. Iam eius
liberalitas oratione mea vt cognoſcatur, non indiget.tot mihi huius eſſe
poſſunt teſtes,quot eã experti ſunt. oĩbus patebat: nulli fons iſte claude-
batur.id vere ſuũ eſſe dicebat,quod alicui donaſſet:id fortunę iniurijs nõ
ſubiacere:eo ſe cæteris ditiorẽ eſſe ardentiſsime deſiderare. Multa tum
in priuata,tum in imperatoria vita ſunt,quæ ab gerendis negocijs inter-
pellent. ſed maiore nihil vi, q̃ voluptates. appoſuit illas ſenſibus noſtris
quaſi titillationes quaſdã natura:his cum indulgemus: cũ frena laxius re-
mittimus:ab omni alia nos abſtrahunt cogitatione.hinc data temperãtia
eſt:quæ eis modereť. hæc hahenas regit:hæc in girum eas rationis cogit:
ac nobis obſequẽtes facit.hæc in Imperatore noſtro ſingularis fuit. Ve-
natione tum,cum in ocio eſſet, plurimũ delectatus eſt:atq; ea quidem va
rie.cum robuſtiore eſſet corpore, in agreſtes ſues ferri: vrſos aggredi: in
difficillimis quibuſq; exerceri cõſueuit.mox ingraueſcente iam ætate,le-
porum venationes,falconum aucupia,ſecutus eſt. his delectatus,cæteras
oẽs,quæ corpori,atq; animo officiunt voluptates,quantum potuit,aſper
natus eſt:nunq̃ in earum poteſtate fuit. Epulabatur ille quidem lautiſsi-
me:plurimi ſemper cũ illo diſcũbebant:affluebant epulæ omne genus:ni
hil ad regium apparatum deerat:id ſcilicet ſplendoris opinabatur.ipſe in
hac abundantia vno ſemper cibi genere,& eo viliori veſcebať.hinc robu D
ſtum illud & nullis morbis obnoxium, hinc laborum oĩum patiens cor-
pus:hinc modico ſatiabatur ſomno: hinc nunq̃ hebeti mente erat. Age
vero quæ clementia,quæ humanitas in illo fuit? in nullo vnq̃ maior. atq;
hic mihi euellenda quædam è multorũ animis,opinio eſt: quæ è quorun
dam aut maleuolorum , aut res non recte perpendentium ſermonibus
inhæſerat. Crudelitas clementiſsimo Imperatori obijciebať: quod mul
tos ſæpe milites morte multaret:difficiles ad eum eſſe aditus dicebantur:
quod ira percitus ſemper eſſet. de crudelitate primum loquar.Ego,cum
veteres illos Romanos,cum militarem eorũ diſciplinam conſidero: hac
vna video cæteris eos gentibus præſtitiſſe: hac vna eò perueniſſe,vt ijdẽ
imperij,qui terrarum, fines eſſent. non calliditate Pœnos,non Germa-
nos vi corporis ſuperabant: diſciplina vna erat: quæ inuictos redderet.
hanc ita tuebantur Imperatores: ita ſeruabant milites: vt qui paululum
modo in ea deliquiſſet: nulla ei eſſet pœna recuſanda. ob hanc Mallius
ille Torquatus filium iuſsit interimi: & quod admirabilius eſt:filius ipſe,
qui ad mortẽ ducebatur: cum exercitũ pro ſe in patrem ſeditionẽ paran-
tem conſpexiſſet,cõpeſcuit:affirmauitq; neminẽ tanti eſſe:vt ob illũ cor-
rumpi diſciplina deberet.diſciplinam ille ſcilicet,qua patriæ vitã ſuſten-

A tari credebat: vitæ anteponebat ſuæ. Quid Appius Claudius? quid L.
Paulus? non'ne ex ijs, qui loco ceſſerant, decimum quenq; ſecuri ꝑcuſſit?
non'ne idem mitiſsimus principum Auguſtus? non'ne alij Imperatores
multi fecerunt? De Mallio nõ loquor: reliqui oẽs ſeueri ſemper, & boni
diſciplinæ cuſtodes, nunq̃ crudeles ſunt habiti. crudeles habiti eſſent, ſi
paucorũ quorundam ſalutem patriæ antepoſuiſſent. Ignari ſcilicet vete-
res illi ac crudeles oẽs: nos ſapientes ac mites: qui Imperatores noſtros, cũ
non decimum quenq;, vt illi, ſed vnum aut alterũ ex toto exercitu, mili-
taribus præceptis non obtẽperantẽ pœna afficiunt: crudeles arbitramur.
mirum igitur ſi nos exteræ nationes oẽs contemnunt: nobis oẽs inſultãt.
iam in noſtros fines, non vt ad bellũ aliquod periculoſum, ſed vt ad præ-
dam expoſitam veniunt. Pudet, pudet inquam dicere, omnẽ illam, quæ
propria Italorum eſſe dicebatur: virtutẽ amiſimus. quod ſi diſciplinam
illam veterem ſequeremur: ſi Imperatores, qui reſtituere eã iam lapſam
cupiunt: nõ crudeles, ſed fortitudinis, ac veræ virtutis reuocatores crede
remus: non audacius illi in nos irruerent, q̃ nos illos repelleremus. Semꝑ
hic vel in hoſtes ipſos fuit mitiſsimus: præter eos, qui in ipſo belli furore
cecidiſſent: neminem vnq̃ interemit. Si è militibus quẽpiam aliqñ ſup-
plicio affecit: deliquerat ille: militares leges contẽpſerat. quod vos, ſi ve-
ſtræ hæ vrbanæ leges non ſeruentur, & facitis: &, ni faciatis, oĩa peſſum
B eant: id in caſtris, vbi, ſi non adſit Imperatorum metus, vis dominetur ne
ceſſe eſt: fieri non licebit? Solitus eſt Lacedæmoniorum dux Clearchus
dicere Imperatorem à militibus magis q̃ hoſtem metui debere. recte qui
dem ille. ſed ego hoſtem metuat miles nolim: Imperatorem, velim. Sed
de his iam ſatis, pauca de iracundia dicam. Iraſcebatur ille quidem non
nunq̃ vehementius. hoc cũ naturæ, quæ eiuſmodi erat: vt facile iræ flucti
bus efferueſceret: tũ voluntatis ẽt erat. volebat ille iraſci (vt aiebat) quod,
cum ſe neq; corporis proceritate, neq; formę dignitate quadam à natura
honeſtatum videret: ſi facilis ac mitis ſemper fuiſſet: ne contẽptui eſſet,
verebatur: iracundia armari ſe quaſi aculeis quibuſdam dicebat. Sed vt
hæc non probetur ratio: atq; iracundiorem illum q̃ deceret, fuiſſe conce-
dam. quid vnq̃ ira perturbatus fecit: quod ſedato ẽt animo non feciſſet?
acrioribus vſus eſt verbis: at æqui ac boni terminos nunq̃ prætergreſſus
eſt. nunq̃ in bonos viros exarſit: magnam ſemper & iuſtã iræ cauſam ha-
buit. ſi ea caruiſſet, non ille quidẽ melior fuiſſet vir: ſed oĩbus fortaſſe gra
tior. atqui cum ea deferbuerat, q̃ affabilis, q̃ comis erat? nihil eius conſue-
tudine iucundius: nihil ſermonibus vrbanius inueniri poterat. Ingenio
vero (vt ad id iam veniamus) tam acri fuit: vt, cum literis paululũ admo-
dum vacaſſet: tam apte, tam acute, tam cum oĩum liberaliũ artium peri-

tis,quod ſæpius facere conſueuerat:de his ipſis, quæ illorum artibus con C
tinent̃,rebus loqueretur : vt oĩa de illis ſcripta euoluiſſe, omnia excuſiſſe
videretur.qua in re multum eloquentia ẽt quadam admirabili adiuuaba
tur.huius tñ ex eius ore flumen profluebat: vt oẽs ſecum, quò vellet,ra-
peret. audiſtis vos eum ſæpe Patres conſcripti:& ita audiſtis: vt cũ pluri-
mum eius oratiõe delectaremini:animos tñ veſtros impelli, atq; in illius
ſententiã non inuitos trahi ſentiretis.fuit hæc reipu.noſtræ perſępe ſum-
mopere vtilis eloquẽtia,cum apud vos,tum vero apud milites maxime.
ſi ad pugnã cohortandi erant:nemo acrius incitabat:ſi aliqua de re caſti-
gandi:nemo grauius,nemo ſeuerius reprehendebat:ſi conſolandi:nemo
lenius ægris animis medebatur. Multa iam à me de maximi huius viri
laudibus dicta ſunt:neq; id tñ,quod maxime ad rem attinet:quantã mili-
taris diſciplinæ ſcientiã habuerit,vllo modo prætermittẽdũ eſt. Floruit
hæc quodam tpe maxime diſciplina:tunc ſcilicet,cum veteres illam Ro-
mani coluerunt.multi tunc in ea viri excellentes & clari extiterunt: neq;
id mirum.omne ſtudiũ,omnem operam in ea oẽs collocabant: eam non
ſolũ,quod & opes & honores pareret,ſequebant̃:ſed, cum varijs quoti-
die vexarentur bellis: neq; vlla perfrui quiete poſſent: neceſsitate ẽt qua-
dam ad illam cõpellebantur. poſtq̃ vero oĩbus deuictis, pax Italię parta:
bella aut nulla,aut longe à domo gerebantur: exareſcere ac collabi pau-
latim cœpit. Hiſpaniæ, Galliæ, Pannoniæ,extremæ cæteræ imperij pro- D
uinciæ,ſuis quæq; legionibus cuſtodiebãtur.hæ cum in iiſdem locis diu-
tius permanerent: in externos mores paulatim mutatæ,in his,quæ cuiq;
obuenerant,regionibus, ad hoc vſq; tempus perſeuerarunt: diſciplinam
aſsiduis bellis exercitæ, non ex toto amiſerunt. In Italia, in qua, vel nul-
læ relictæ legiones: vel, ſiquæ relictæ, longa pace mollitæ, ocio ſe atque
inertiæ tradiderunt: oĩs penitus euanuit. atq; eò tandem ventum eſt:vt
paulo ſupra noſtram ætatem,quoties bella Italis gerenda eſſent,condu-
cendus è Germania aut Pannonia miles eſſet: Itali,vel tubarum ſonum
atq; armorum ſplendorem reformidarent. noſtra demum ætate excitari
aliquantulum ſopita illa virtus cœpit:ſed pauci tñ, qui antiquam illã di-
ſciplinam ſcirent,inuenti ſunt.Imperator noſter q̃ exacte illam calluerit,
vel ex hoc conſiderate.Cum primum Imperator eſt veſter factus:ita cor-
ruptum exercitũ accepit: vt ad alia oĩa potius,q̃ ad gerendum bellũ ido-
neus videretur.fecit id,quod in Africa Q.Metellus Iugurthino bello fe-
cit:arctioribus legum vinculis aſtringendo, continuis laboribus fatigan-
do,ordini aſſuefaciendo,grauiſsimam ijs,qui locũ desererent,pœnã pro-
ponendo, ita breui correxit: vt eo & res veſtras acerrime tutatus ſit: &
egregia multa facinora ædiderit:& hoſtibus,quibus antea cõtẽptui erat:
formidabilem

A formidabilem reddiderit. Affui ego nuper,cum per eas iter faceret re-
giones:in quibus,cũ ob non satis ꝑspectos incolentiũ animos,tum ob ꝓ-
pinquos hostes multa timẽda essent.tam caute incedebatur:ita ordinem
seruabant oẽs:ita ab agmine discedebat nemo:ita vel calones ipsi sub suis
signis ibant:vt ego,& reip. nostrę maxime gratularer: & disciplinã iam
antiquã illam restitutã arbitrarer. Iam vero in reliquis artis huius parti-
bus,expugnãdis,defendendisq; vrbibus quãtus fuit?nolo nunc vobis,vt
septimo ab hinc anno,Carmontium,Noriciam,Tergeste,Postoniã mu
nitissimas vrbes,in ditionẽ vestrã redegerit, cõmemorare: nemo est,qui
nesciat.hoc vnũ dicam:iam Brixia,iam Verona potiti essetis:si sęuissima
id nobis mors nõ inuidisset. Scio quid loquar:coniectura non fallor: ni-
hil illi inuium,nihil satis munitũ esse poterat:oẽs aditus,oẽs expugnatio-
num modos, oẽs astus norat. Idem,si aliqua defendenda vrbs esset: ita
oĩbus hostium conatibus ire obuiã sciebat: vt nihil in eũ tentari posse vi-
deretur:quod non irritũ fieret. Testis mihi sit celeberrima illa Braccani
oppugnatio:quã ita tolerauit:vt,cum vrbs vndiq; innumeris Alexandri
pontificis maximi copijs,qui Vrsinũ nomen delere instituerat,premere-
tur:hic cũ quingentis tm̃ propugnatoribus resisteret:nõ solum eã tutatus
sit:sed & facta sæpius eruptione,multos trucidarit: tormenta oppugnato
ria non pauca abduxerit:ab obsidione desistere demũ coegerit. Sed quid
B ego aliunde testes voco?satis amplum mihi testimoniũ prębere vrbs vna
Patauium potest.non'ne hęc ab Hispanorũ ac Theutonum impetu con-
seruata,his deinde ab illo aggeribus,his turribus,his fossis munita:vt vna
oẽs omnium vndiq; gentiũ exercitus,omnẽ vim,contẽnere:ac nostrę nõ
solũ reip.sed totius ẽt Italiæ propugnaculũ quoddam validissimum dici
possit?non'ne id docet, nihil in hac esse bellorũ scientia,quod huius in-
genium subterfugerit? Tormẽtis quidẽ illis bellicis,quibus nos ita anti-
quitatem superamus: vt his iam solis propè bella oĩa conficiantur: vrbes
certe nulla re magis aut expugnentur:aut defendantur: nõ solũ optime
vti,sed & ea qualia esse, qua ratione fieri deberent: tam exacte norat:vt
eorum ẽt artifices,multa nonnunq̃ ab eo docerentur. Ex his tot ac tan-
tis,quas de hoc viro cõmemorauimus virtutibus:maximã apud suos,ma
ximam apud hostes auctoritatẽ consecutus est. Atq; in secunda quidem
fortuna, maximi ab hostibus fieri & vsitatũ, & non magnũ est.hic cum
tertio ab hinc anno infœliciter in Hispanos, ad Vicetiam pugnatum
esset:& se post incõmodum illud,Patauium recepisset:tantæ tñ apud ho-
stes existimationis fuit: vt hoc vno vrbẽ vobis illam conseruatam putẽ.
An creditis longitudine itineris, viarum asperitate, timore aliquo noui
exercitus, quod vrbẽ scirent munitissimã, hostes retardatos?nihil horũ
fuit.

fuit.non longe aberant: faciles vndequaq; accessus erant: omnes vestras C
vires in eo,quē ipsi fuderant, exercitu,positas sciebant: vrbs ipsa nōdum
ijs,quibus nūc est,munitionibus erat instructa.quid igitur eos deterruit?
vnus Imperator vester: vnus inq̃ Imperator vester vobis eo tpe vrbem il
lam, qua spiritum ducitis, conseruauit. Tanti illū faciebant: vt ægre se
victoriā consecutos crederent:vrbē vero,in qua ille esset, expugnare,pe-
nitus desperarent. Considerate iam ea,quæ à nobis hactenus dicta sunt:
nihil huic,quod ad optimū virum,nihil,quod ad summū Imperatorem
constituēdum opus sit:defuisse inuenietis.vna defuit fortuna.hæc cū illo
acerbissimū semper bellū gessit. voluit scilicet id verum esse ostendere,
quod de ea dici solet:aduersam sæpe consilio esse. nunq̃ hic non optime
consuluit:nunq̃ ijs, quæ ad perficiendū id,quod consultū est,pertinent:
caruit: bono sæpe successu caruit. at hoc quidem præstare potest nemo.
Maiores fortunæ accessione virtutes eius fieri non potuissent:illustriores
potuissent.nullius vnq̃ res gestæ Impatoris,si cōsilio fortuna subscripsis-
set:admirabiliores fuissent.multis se illa magnis,atq; egregijs huius con-
silijs opposuit:multas cogitationes ab eo,quod destinarat: sæpe diuertit.
atq;, vt alia oīa prætercam, quis extremo ex hoc actu, cuius maxima,vt
quis fœlix aut infœlix dicatur, ratio habēda est:non fortunæ in illū iniu-
riam cognoscat?plurimos toto hoc septennio, cū in misera illa captiuita
te,tum postea aduerso hoc ac difficili reipu. nostræ tpe, labores pertule- D
rat:cessisse iam tēpestas oīs, atq; inducta quædam tranquillitas videbat:
parta regi socio atq;amico vestro de Heluetijs victoria, Hispanis referre
pedē coactis,nihil erat,quod à vobis ille,quod à rege sperare non posset:
iam de illius vos, de suorū ille militū præmijs cogitabat: cum ecce malo
quodam fato,nō ferro,non tormentorū ictu vllo,sed,quod miserrimum
est mortis genus, vi morbi extinctus est.O importunam sortē: ò inuida
nonnunq̃ fata: quantum aberat,vt Verona ac Brixia receptis, quod vel
solo eius aduentu fieri posse credebatur: nos rebus iam per eū nostris in
tuto collocatis,oībus eum honoribus,oībus laudibus prosequeremur:il-
le gloria quadā immortali frueretur?multo tum illi minus acerba fuisset
mors.quanq̃ eam hac animi fortitudine tolerauit:qua alia aduersa multa
solitus est perferre. vnicum,& eū nondum bimum puerū,tres adolescen
tulas,& egregiæ indolis filias,præclarissimam,ac sui amantissimā vxorē
relinquebat:relinquebat hos oēs,qui hic adsunt:hos à paruulis ipse disci-
plina instruxerat militari:hos vt filios diligebat: horū opera in multis bel
lis vsus fuerat:neq; vnquam nō fortissimos,ac sui amantissimos viros no
rat:relinquebat demum hanc nōdum in tuto collocatam rēp. Non ne-
gare se dixit ob hæc oīa sibi mortem acerbam esse: consolari se tñ,quod
neq; orba

A neq; orba filiorum ætas, neq; vidua ac sine præsidio futura vxor videretur: vos oẽs non vt tutores solum, sed vt bonos parẽtes illos amplexuros, hanc protecturos pro cõperto habere. amplissimum hoc patrimonium, firmissimum præsidium esse. Quod vero his suis ea, quæ à se mererẽtur præmia, reddere non potuisset, id ferre ægrius: eam tñ in vobis prudentiã semper nouisse: vt speraret vos eorũ virtutem nõ paruifacturos: neq; vllo sumptui parsuros, vt hoc fortissimorum iuuenum robur, has vires, reip. vestræ, cui magno vsui esse possunt: conseruetis. vltimum illud, quod, cũ adhuc nostra eius operã desideraret resp. tum moreretur: id sibi esse grauissimum. Sui quidem nullam curam habere: sexagesimum iam annum cõplesse: satis vixisse: post mortem non dubitare sibi æternam inter deos sedẽ paratam: vnde hæc humana despiciens, veram illã ac bonis oĩbus affluentem vitã degat. Hæc cum dixisset, ijs oĩbus, quę à religiõe præcipiuntur, peractis, ita tranquille decessit: vt non aliã in vitã, sed aliam in domum cõmigrare videretur. opinione ego illũ sua frustratum non arbitror: inter deos sedet: pace fruitur trãquillissima: iam fœlix dici potest: sed illius infœlix domus: hæc me dolore conficit: hęc maxime perturbat. minus infœlix puer, quod, cum nihil adhuc percipiat, quo patre sit priuatus, nescit: an eò fortasse ẽt magis infœlix, quo minus infœlicitatem suã sentit? infœlices certe filiæ: quod & id iam cognoscunt: & ea ætate sunt,
B quæ nullas ad resistẽdum dolori vires habeat: infœlicissima vxor, quæ & filiarum lachrymis affligitur: & quo fœlicior prius esse oĩbus videbatur: hoc acrius dolet. Soli vos patres optimi his oĩbus vulneribus mederi potestis: amplexamini totam domum: nullum, quod pios viros deceat: officium prætermittite: sic & illi, siquis mortuis eorũ, quæ hic fiunt: sensus est: pergratum facietis: cum sua se spe frustratum nõ videbit: & vos vestrũ munus implebitis: ac grati ab omnibus iudicabimini. debetis hoc vos illi multas ob causas: sed ob hanc maxime, quod ob rempu. vestram obijsse mortem dici potest. dum enim nulla sibi pro illa in re parcit: dum eos ẽt, qui tolerari nequeunt, libentissime labores subit: nullam de salute sua curam gerit: in eum morbũ incidit, quo extinctus est. quæ itaq; suscipiẽdorum laborũ, eadẽ mortis causa dici debet. Ei igitur, qui pro vobis mortuus est: reddite, quæ debetis. vitam illi non potestis: ijs, quibus maximo emolumento erat: reddite. id ita demum à vobis fiet: si filij mortuũ patrẽ non cognorint: vxor viri præsidiũ non desiderarit: ipsius ij, qui adsunt familiares, quæ ab eo sperabant: à vobis fuerint consecuti. Extremum id à me fortasse nunc expectetur: vt hunc, quem ex egregij huius Imperatoris morte mœrorẽ in oĩbus video: verbis coner mitigare: qui ego id possum, qui ab alijs sim consolandus? Sed abijcienda tñ hæc omnis animi

mollities:

mollities: sumēda illa virtus, qua hic plurimū polluit: ferēda sunt leuiter C
oīa: oībus est aduersis casibus resistendū. Vos quidē, qui eū semper secuti
estis, q eius semp virtutū spectatores fuistis, hoc vel in primis decet. turpe
est vobis, q nullos vnq̃ hostes, nulla tela, nulla mortis pericula reformida
stis: nunc dolori manus dare. Induite illā animi fortitudinē q̄ fortissimis,
& quales vos estis, viris cōuenit. an si vel paucis vobis in cōfertissimos sit
hostes irrūpendum: in instructissimas mille acies incurrēdum: iubente id
imperatore vestro recusetis? noui ego vos: noui animorū vestrorum for-
titudinem: noui amorem, quo illū prosequebamini: ne morte quidem
proposita absterreremini. Nunc cū idem ille Imperator vester iubeat, ne
diutius doleatis: morē non geretis? iubere aūt id illum, siquis totam ab eo
actam vitam consideret: si vos præcepta ea, quæ quotidie auribus vestris
inculcabat, recordari velitis: ita nulli dubiū esse debet, vt hoc vno dolore
vestro, vel maxime eius quietē perturbari putem. ferrei profecto fuissetis:
neq; humani quicq̃ in vobis fuisset: si hac tanta calamitate accepta nō in-
gemuissetis. sed iam dolori indultū satis: nunc omnem eius vim in hostē
conuertite. ite, reip. subuenite: eum, quē debetis imitamini: nolite cōmit-
tere, vt Imperatoris morte languidiorem militum virtutē factam, hostes
gaudeant, nos tristemur: ad hoc vos dolor incitet: ad hoc impellat. Vos
vero reliqui oēs, qui adestis ciues, & horum, & aliorū, qui vobis adsunt,
virtute confisi, de rep. nihil dubitate: & omnem, quē ob hanc causam cō- D
ceperatis: dolorē deponite. illius ēt causa non est, quod doleatis. bene cū
illo actum est: ex misera hac vita in æternam illam sublatus bonis oībus
fruitur. neq; vero cū recte considero cuiusquā mihi deflenda mors vide-
tur: tantumq; abest, vt eū, qui ex hac vita celerius cōmigrarit: infœlicem
iudicē: vt eo ēt fœliciorem putem. siquis sæua quadam in mari existente
tēpestate, multis simul soluētibus, quā celerrime omni ventorū vi, omni
pelagi impetu superato, in portum, quò cursum direxerat, prouehatur:
non'ne is fœlicissime iter suū confecisse dicēdus? reliqui quo diutius cō-
morentur eò infœliciores habēdi sunt? ita profecto se res habet. Simile
ego quoddam in vita hac nostra reperio: nihil illa aliud est, q̃ in procello
so quodam mari nauigatio. ægritudines, mollitiæ, calamitates, aduersa
alia, quasi huius vitæ tēpestates dici possunt: portus ipse, quò cursus oībus
dirigendus, mors est. cur igitur qui in hunc portū ex illis fluctibus celer-
rime nauigarit, nō eò haberi fœlicior debeat, quo citius tot malis ereptus
in tranquillo constiterit? non probatur hoc ita vobis fortasse, vt fœlices
esse cupiatis. non probetur sanè: at eos tamen, qui eò peruenerint, non lu
ctu prosequamini: sed fœlices ducite: ac si de vobis bene promeriti sint:
non lachrymis, sed diuinis honoribus colite.



ANDREAE NAVGERII
ORATIO HABITA
IN FVNERE LEONARDI LAVRETANI VENETIARVM PRINCIPIS.



CREDO EGO, siquis eorum,quę à nobis geruntͣ,mortuis sensus est: LEONARDVM LAVRETANVM, cum ornatissimas has,quas illi celebratis, exequias, hãc pompam funeris, hunc nobilissimum consessum vestrum, hunc vniuersæ ciuitatis mœrorem videt: quod ex his omnibus quamplurimorum illius in remp.meritorum memores sitis,cognoscit:& libentissimo hęc animo accipere:& nõ parum beneuolentia,& pietate hac in se vestra lætari. Neq; tamen, siquis recte consideret: vlla re illum magis gaudere,quàm his laudibus, hac virtutum suarum prædicatione existimandum est. vt enim reliqui honores omnes, quibus vos mortuos Principes vestros ornare consueuistis:& quos nunc huic cumulatissimos redditis:& maximi sint,& pro amplitudine imperij,ac reipu. vestrę dignitate constituti:opu
B lentiam tamen quandam potius, ac reipublicæ splendorem præ se ferre videntur:quàm vt illi,cui tribuũtur, quicquam afferant: quod illius dici iure posit. laudationes hæ propriæ illius sunt,qui laudatur: neq; quicq̃ ex his sibi alius vendicat.ac per aliquot,illi,dies in vulgi ore sunt: paulatim deinde è memoria excidunt:& breui tempore contabescunt: atq;,vt diutissime durent:memoriam certe hominum,qui eos viderint, non excedunt.hæ,siquis recte eas scripserit,in dies augescunt:neq; vllo tempore conficiuntur: sed ex eo potius vires sumunt:atq; omnem superare posteritatem cõtendunt.atq; illi,& eo tantum in loco, in quo exhibiti sint: atq; ab ijs tantum,qui affuerint,spectari queunt.hæ, totum orbem peragrantur:hæ, se omnibus passim ostẽdunt:atq; eodem etiam tempore diuersissimis in locis esse possunt. non immerito igitur, vt quisq; est optimus,ita maxime laude ducitur: nec vehementius vllum in bonis omnibus desiderium est,quàm gloriæ.difficilem quandam,& laboriosam vitæ rationem suscipiunt:qui virtutis via niti constituerunt.nulli illis,non vel vltro suscipiendi labores, nulla non pericula subeunda, omnes contemnendæ voluptates,acerba sæpe omnia perpetienda sunt.neq; tamen tam agresti, ac fero animo quisquam habendus est:vt credendum sit,ijs illum, quæ naturæ aspera,atq; inimica sunt,delectari. quid ergo est?vna laudis spes ac gloriæ,pericula & labores leuat:voluptatum illecebras ne-

gligit: acerbitates mitigat. hæc vt vmbra virtutem ſequitur: atq; ea mer- C
ces eſt, quam vnam illa moleſtiarum omnium expoſcit: hæc tam acres
bonorum animis ſtimulos admouet: vt non ſolum, qui vitæ eam com-
modis anteferrent, inuenti ſint: ſed multi, & hi maximi ac fortiſsimi viri
mortem vltro ſubierunt: vt immortalem ſui memoriam relinquerent.
hoc pacto ſe vitam, quæ breuis admodum data nobis eſt: longiſsime pro
ferre poſſe, atq; æternam propè efficere arbitrati ſunt. Quæ cum cogno
ſcerent maiores noſtri: hanc bonis à natura inſitam cupiditatem gloriæ,
non ſolum alere, ſed augere etiam, ſi fieri vlla ratione poſſet: reipu. vtile
exiſtimarunt. atq; vt in omnibus reip. partibus alia multa diuinitus, ſic
ad cæteros hos honores, qui defunctis Principibus conſtituti ſunt: lauda-
tiones addi, & eorum celebrari virtutes voluerunt. his enim, non ſolum
qui recte reip. præfuerint, quæ meriti ſunt, laudis præmia conſequuntur:
ſed reliqui etiam, qui idem ſubituri munus ſunt, ad recte agendum ac-
cenduntur: cum recte factorum gloriam non ſecum mori, ſed ita memo
riæ mandari vident: vt tum maxime diuturnioris illam vitæ initium ſu-
mere, affimare poſsimus. Vnum fortaſſe ſit: quod hoc tempore, in ve-
ſtra hac pietate, in hoc tam grato in Principem veſtrum officio, deſide-
rari poſsit: quod non is illi laudator contigit: qui dicendo illius aſſequi
virtutes queat: qui idoneus ſit, quæ plurima ille ſemper æternitate digna
geſsit, ita ſcriptis mandare: vt ad poſteros peruentura, & in omne æuum D
celeberrimum illi nomen prorogatura videatur. ſed ne ob hoc quidem,
ſiquis id diligenter perpendat: quicquam eſt, quod queri poſsit. vos quan
tum in vobis eſt, omnia quæ à gratis animis expectari poſſunt, præſtatis.
funus ampliſsimũ pro eius in vos meritis, & reip. opibus ducitis: adeſtis
ad id honeſtandum frequentes pat. optimi: adeſt vniuerſus populus: ne-
mo omnium eſt, qui non illum, vt optimum reip. parẽtem raptum fleat:
qui non illum, quamuis tardiſsima ſenectute conſumptum, vt primis ta-
men annis acerbiſsime ereptum conqueratur. ad hæc, eum ego pro con-
cione laudare iuſſus ſum. nihil, quod officij veſtri eſſet, relictum à vobis
eſt. à me eſt, ſiqua in re minus illius meritis ſatisfactum eſſe exiſtimari de
bet. ego vero eas præclari huius Principis virtutes eſſe animaduerto: vt
nullius vnquam tanta dicendi vis, tanta ingenij facultas fuerit: quam pa-
rem illis celebrandis putem. quamobrem non mihi id vitio vertendum
eſt: ſi eas aſſequi non poſſum: ſed eò ille admirabilior haberi debet: quo il
lius laudes, non mea ſolũ, quæ minor etiam q̃ mediocris eſt: ſed & omni
eloquentia maiores ſunt. neq; vero ob id ſileri de illis decet. male enim
ſe res habeat: ſi quò plura ac maiora in quopiam ornamenta ſunt: quod
difficile ſit illa oratione complecti: eò de illo minus dicatur: atq; eo præ-
mio, quod vnum maxime virtus exoptat: ob virtutem maxime defraude
tur.

A tur. enitar igitur quantum à me fieri poterit, eo munere, quod mihi iniunctum est, recte defungi: cui tum ego profecto satisfecisse existimandus sum: cum illa, quæ à me dici poterunt, pro ea, quæ in me est dicendi facultate, explicaro. Primum omnium, quoniam de eo mihi Principe verba facienda sunt: in quo vno, quæ in hominibus laudari solent, cumulatissime omnia inuenta sint: non id mihi solum considerādum est, quid à me dici, sed multo magis, quid eorum, quæ plurima suppetunt, omitti oporteat. si enim ea, quæ dici possent, persequi omnia voluero: neq; id, quod mihi ad dicendum temporis datum est, sufficiat: neq; aures fortasse vestræ pati possint. De pulcherrima igitur hac VRBE, præclarissima hac repu. maximi imperij sede, libertatis domicilio, totius Italiæ, atque adeo terrarum omnium tutissima quadam arce, & ipsius Principis, & nostrum omnium patria communi, nihil est, quod hoc tempore dicendum putem: quanquam enim non parui ad gloriam refert, qua quisque in ciuitate sit natus: & ipse etiam præclarissimus Imperator Themistocles, si Seriphius natus esset, nunquam se nobilem futurum fuisse confessus sit: multo tamen ego ea magis laude digna arbitror, quæ in homine ipso sunt: quàm hæc externa, & quæ fortunæ arbitrio dispensantur. quāobrem de ipso etiā Leonardi genere, quod & multo etiam vobis, quàm mihi est notius: non est, quod à me multa expectetis. sed ne de tam illu-
B stri tamen familia omnino nihil audiatur: hoc vnum dicam. vti Romæ è Curionum genere plures quondam dicendi facultate, è Scæuolarum, iuris scientia præstiterunt: ita LAVRETANAM familiam fato quodam huic reip. datam: quæ seminarium quasi quoddam summorum esset imperatorum. omnes propè huius reip. opes, omnis dignitas, quæ maxima est, maritimis rebus creuit. multa mari maiores nostri egregia facinora sæpe gesserunt: multa hoc tempore quotidie à præclaris Imperatoribus vestris, cum res exigit, geruntur: atq; ea semper nostrorum in hac re virtus apparuit: vt non sine causa iam tot annos maris imperium Veneto nomini concessum sit. sed siquis omnia recordari, aut ex annalibus quærere voluerit: plures propè ex vna Lauretanorum familia imperatores rem præclare gessisse, quàm ex reliquis omnibus inueniet. vt mihi diuina quadam mente nomen huic familiæ inditum videatur: quæ omni bello superior victoriæ semper lauream reportaret. Neq; vero ex hoc genere ego quenquam nominabo: ne de HIERONYMO quidem Leonardi patre, & viro optimo, & sapiētissimo senatore quicquam dicetur. vnus mihi sit Leonardus satis: ad cuius vnius laudes celebrandas omnes orationis meæ vires, quantæcunq; hæ sunt, conferantur. qui cum præclarissima domi exempla haberet: ac maiorum sibi suorum virtutem, non solum quam imitaretur, sed etiam quam superaret, proposuisset: ita id

consecutus est:vt in eam familiam,quæ nullo pacto fieri illustrior puta- C
batur: multum tamen luminis intulerit. Ac mihi quidem sæpenumero
cogitanti, quàm multa ab ijs,qui præclaris è maioribus orti sunt,expecta
ri soleant: quamq; illis, si vel minimum quid deliquerint, nihil ignosca-
tur:dubiũ visum est,melius'ne ac conducibilius homini sit,non ex igno-
bilibus quidem viris nasci,sed ex ijs tamen,qui non ita magni fuerint:vt
eorum nobis gesta oneri futura sint:& eam fortasse expectationem exci-
tatura:quæ nullo pacto sustineri à nobis possit. & profecto ita se rem ha-
bere comperio: quanquam hoc admodum tutum sit: nam & facilior
errato est venia: & si nihil feceris,non exigitur:siquid egregie feceris:id,
cum non vt debitum præstes, gratius,ac magnæ tibi laudi est: longe ta-
men maiores res ab illis geri:quos & expectatio hominum,& parentum
virtus excitet.hęret enim eorum animis quasi fax quædã,assidua cogita-
tio:quæ noctes diesq; illos ad egregium agendũ aliquid inflammet: quo
maioribus suis digni reperiantur: ac patrimonium gloriæ sibi ab illis reli
ctum & tueri, & augere possint. hoc (vt alios omittam) in Principe hoc
nostro facillime cognosci potuit. nihil erat, quod ab hoc homines non
expectarent:sic maiorum ille suorum virtutibus excitatus est:vt omniũ
tamen expectationem vicerit:tantum gloriæ à maioribus suis acceperat:
vt difficillime eam tueri posse crederetur: sic illam auxit: vt non eos so-
lum,sed omnes,qui vnquam fuerunt, principes superarit.at vero anteq̃ D
de ijs,quæ ab eo in principatu gesta sunt,loquar:totus ex ordine egregij
huius viri cursus,quo ad altissimum dignitatis gradum ascendit: propo-
nendus vobis est:& vt quæq; ab eo gesta sunt,ita quæq; dicenda,ita vt ne
incunabula quidem ipsa tãti principis prętermittamus. Cum puer esset:
egregia quædam pulchritudo & probitate,& præclara ingenij adiuncta
indole,sic in illo elucebat:vt cum multum ab his illa ornamenti accipe-
ret:non minus tamen illius hæc essent cõmendatione gratiora. primam
hanc ille ætatem in literarum studijs exegit:ac,quod mirum omnibus vi
deri possit,tantum puerili illa institutione, quæ vix primis percipiendis
rudimentis satis est,profecit:vt nunquam postea sit literarum expers ha-
bitus. Vt primum vero è pueris excessit:simul ea, quæ se prius ostende-
rant, augeri videbantur: simul prudentia ac virtutes omnes pullulare,
atque admirabili quodam prouentu se efferre cœperunt cumq; ille iam
quæ maiorum suorum virtus fuisset, quid ab se illis deberi crederetur,
consideraret: ac non multo post, cum tempus esset, capescendam sibi
remp.constituisset:non in vmbra,atq; ocio interea delitescendum, neq;
quid agendum esset, è libellis quibusdam ediscendum:sed in solem atq;
aciem sibi prodeundum censuit.ac maiorum quidem ille nostrorum mo
rem atq; institutum id secutus est: quo ego vno seruato, nostram remp.

A maxime auctam, intermisso, non parum debilitatam puto. Existimarũt maiores nostri, eos, qui ad remp. administrãdam admittuntur: omnium rerum peritos esse oportere: facillime enim in scopulos intrudi rempu. posse: si imperito commissa sit. adolescentes ideo ac iuuenes sic institui: vt cum ad remp. accedunt, gnari sint rerum, quæ necessariæ sunt: summo pere vtile & tutum esse crediderunt. præterea vt maximæ reip. diuitiæ, cum vsus posceret, præsto esse possent: omni studio sibi perficiẽdum esse opinati sunt. has enim non pacis solum ornamenta, sed cum nonnunq̃ bella, vel inuitis etiam suscipienda sint: neruos illos esse, quibus maxime reipu. vires sustententur. ad hæc cum admirabilem, & munitissimum hunc huius vrbis situm intuerentur: quo nulli exercitus, nulla vis, nulli hostes, omni aditu mari intercluso, peruenire possint: tum demum & hanc se inexpugnabilem reddituros, & rem venetam maxime auctam iri arbitrati sunt: si mare, quo solo adiri potest, validis classibus possiderent. hæc tria illi cum sibi efficienda proposuissent: admirabili quadam sapientia vno omnia instituto assecuti sunt. constituerunt enim, vt com plures quotannis onerariæ triremes, quæ mercaturam exercerent, ad omnes nostri maris oras, & extra hoc etiam quædam, nauigarent: atq; in his patricios ire adolescentes voluerunt. ex hoc id effectum est: vt, cum illæ, omnes propè maritimas Asiæ vrbes, omne interius Africæ litus,
B Hispanias, Gallias, omnem propè Europam, omnes, quæ circa eam sunt, insulas adirent: qui in his essent, diuersa rerum publicarum genera, diuersa imperia intuerentur: multarum nationum, atque hominum mores cognoscerent: ac per hæc prudentiores facti, cum exacta in his iuuentute ad rempu. accederent: eam sapientissime administrarent. Atque ego quidem neque negare vllo pacto possum: neq;, si possim, negem: multa in libris inueniri, multa sapientissimorum hominum præcepta memoriæ tradita: quibus & hac, & omni alia in re, quæ homini agenda sit: instrui possimus. sed vt hoc non negem: sic id constantissime affirmare ausim: multos sine vllis literis ipso rerum vsu edoctos, sapientissimos ac regendæ reip. scientissimos extitisse. prudentia enim ea nimirum est: quæ in omnibus, quæ à nobis geruntur, rebus dominatur. ea quanquam multa à literis habet adiumenta: eò tamen habet: quod quæ multi viderunt, quæ experti sunt, ea memoriæ prodita legere, & legendo institui, ac doceri possumus. quæ si adiumento esse nobis fatemur: quanto id magis referre credendum est: siquis, quæ alij legunt, videat: quæ scripta in libris sunt, in his ille versetur: neq; cuiusquam scriptis, quæ plerunq; falsa sunt: sed ipsis rebus, quæ nulla ratione inuerti possunt: erudiatur? prudentissimos Homerus, Vlyssem, & Nestorem, atq; omnibus in rebus sapientissimos fingit: neq; tamen aut ocio, aut lite

ris deditos, vnquam comperimus. dum multorum ille hominum & vrbes, & mores videt, prudētiam illam assecutus est. hic trium sæculorum spatio, plurima tum videndo, tum audiendo, atq; ipse etiam gerendo, maximum rerum omnium vsum adeptus, ac sapientissimus existimatus est. quæ cum maioribus nota essent: præclare quod à nobis dictum est, instituerunt. sed & id, etiam instituto illo assecuti sunt: vt mirum in modum reipublicæ opes crescerent: præter portoria enim, quæ maximum è plurimis, quæ & importantur, & exportantur rebus, reipublicæ emolumentum afferunt: auctis assidua mercatura priuatorum diuitijs, in hac præsertim administrandę reipublicæ ratione, augeri publicas necesse est. fiebat id etiam assiduis his nauigationibus: vt multi maritimæ rei peritissimi euaderent: atq; hi quoties instruendæ classes essent, eam reipublicæ operam nauarent: vt non sine causa per tot annos venetum nomen cunctis gentibus mari formidolosum fuerit: ac non solum his propugnaculis semper vrbs se nostra tutata sit: sed & longissime imperij sui fines protulerit. dolerem patres optimi institutum hoc aboleri: quererer iuuentutem nostram non iam his artibus niti, quibus hæc creuit respublica: sed alijs captam studijs vrbanæ se inertiæ, atq; ocio penitus dedidisse: nisi sperarem, ac planè iam viderem, omnia iam à vobis, quæ proximi huius belli motu concussa, ac labefactata erant, firmari: neq; quicquam prætermitti, quod vobis aut ad vtilitatem, aut ad dignitatem reipu. necessarium videatur. Sed, vt vnde digressus sum, redeam: totam Leonardus iuuentutem non inertem, non ociosam, sed in laboribus, assiduis in diuersissimas regiones nauigationibus, perdiscendo rerum omnium vsu egit: multas prouincias atq; vrbes adijt: multa diuersorum populorum imperia perspexit: multarum gentium mores, atq; instituta percepit. quo factum est: vt non solum mercatura opes, quam diligenter & cum dignitate exercuit: sed & prudentiam quoq;, quæ illi à natura maxima data erat, mirum in modum tamen hæc cognoscendo auxerit. neq; vero hæc sola in illo conspiciebatur: sed & reliquis ita virtutibus abundabat: vt mirum nemini videri debeat, cum in Africa negociaretur, id quod diuulgatum est, Aegyptium illi quendam senem diuinantem, dixisse, & fœlicissimum & suæ ciuitatis principem futurum. Equidem non nego potuisse senem illum cœlesti quodam afflatu cōmoueri: & ea, quæ futura essent, huic pręsertim, q̄ dijs semper charissimus fuisse existimandus est, diuino monitu nunciasse: sed hoc contendo, sine vlla id etiam diuinatione, ex ipsis huius virtutibus prędici facile potuisse. Non immerito igitur, vt primum domum venit: atq; animum ad regendam remp. appulit: oēs honorum gradus adeptus est: neq; quicquam in rep. nostra tam amplum fuit: quo non ille dignissimus iudicaretur. plures ille magistratus tum in

C (margin, beside the first line) · D (margin, beside "ti, quod vobis aut ad vtilitatem")

vrbe,

A vrbe,tum extra vrbem, alijs multis in locis geſsit:atq; eos ita geſsit: vt cũ ſumma omnia ſibi homines,ob egregiam quandam,quę de illo in oĩum animis inſederat, opinionem, cum magiſtratum inibat, pollicerentur: magiſtratu defunctus non modo, quæ ſibi illi promiſerant, ſed multo plura,q̃ quiſquã aut optare,aut ſibi ipſe fingere auſus eſſet: præſtitiſſe videretur. Dicenda illi in vrbanis magiſtratibus de rep.ſententia ſępe erat. hic vero prudentia illa admirabilis campum,quo excurreret, ac ſe oſtenderet nacta,omnium oculos in ſe trahebat. cum multa ille præterita meminiſſet:præſentia omnia exactiſsime perpenderet: ac rerum inter ſe nexum,& conſequentiam quaſi quandam,diligentiſsime conſideraret: nemo futura acrius coniectabatur: nemo coniectura minus fallebatur. ea vero verborum grauitate,ea dignitate orationis vtebatur: vt,cum nullis id ille illecebris, nullo artificio aucuparetur:nemo tamen vehementius in quam vellet partem audientium animos impelleret:in nullius ſententiam frequentiora ſenatuſconſulta fierent.atq; id ille eo etiam facilius aſſequebatur: quod egregius illius quidam in remp. amor erat omnibus perſpectiſsimus.nemo erat, qui neſciret, nulla illũ priuata re,nullis ſuis cõmodis vnq̃ moueri:non amicitijs peruerti:non inimicitijs perturbari: nihil in gratiam cuiusq̃ loqui:nihil dies nocteſq; aliud cogitare,q̃ quemadmodum reip.prodeſſe poſſet:nihil dicere,quod non reip.vtile arbitra-
B retur.hæc cum de illo homines ſentirent: mirum ſi maxima eius verbis auctoritas inerat:ſi ſemper eſt ſenatus princeps habitus. Age vero in iure tum in vrbe,tum extra vrbem dicundo qualis fuit? equidem difficillimum eſſe arbitror ſine multorum offenſione,ita iuſtitiæ præcepta ſeruare:vt nihil ab illis recedatur.ac multi quidem ita triſtes,ita acerbi in iudicando ſunt:vt vel vtranq; partem etiam: nemo fortaſſe eſt: qui non eorũ ſaltem animos, quos contra ſtatuit,offendat.hic,cum nulla gratia,nullis opibus, nulla vi,nullis precibus permoueri vnq̃ potuerit: quin grauiſsimus,& ſeueriſsimus iuſtitiæ cuſtos eſſet:ita tamen illam iuſtitiæ aſperitatem clementia & comitate quadam condire eſt ſolitus:vt ne ij quidem, quos contra pronunciabat:cur illi inimici eſſe poſſent, inuenirent. magna hæc ingenij vis: virtutes eas, quæ diuerſiſsimæ, atq; aduerſæ propè inter ſe eſſe creduntur,ita coniungere:vt non alteri ſolum altera non officiat:ſed & magno etiam ſit ornamento.quid?in cæteris qualis inuentus eſt?abſtinentia ſingulari: ſumma in rebus omnibus temperantia. ita faciles ad eum aditus patebant:vt neq; tempore, neq; loco vnq̃ vllo quiſquã excluſus ſit:quin & eum adire,& quæ vellet,libere loqui poſſet. Iam populos,qui eius curæ cõmiſsi erant,non ille vt dominus, ſed vt bonus parens regebat. amabat omnes: æquus erat omnibus: ſed bonos tamen & amore & indulgentia quadam præcipua proſequebatur. ex his fiebat: vt

hæ

hæ fœlicißimæ ciuitates esse,quibus ille præerat,putarẽtur.his ille gradi- C
bus,hac via nixus in amplißimam hanc huius principatus arcem ascen-
dit.cum enim eius iam late nomen increbuisset: virtutes omnibus notæ
essent: Augustino Barbadico principe defuncto, in eius locum suffectus
est. Percursa sunt à me multa breuiter:quæ multo profecto & latius &
ornatius erant explicanda.omissa etiam non pauca. neq; enim in vlla hic
vitæ parte,non omni laude,omni admiratione dignus fuit.sed rapuit me
ad se citius fortasse q̃ decuit, ipsius principatus splendor. hic suo lumine
quasi tenebras reliquis rebus offudit. de quo cum mihi multa dicenda
essent:ac ne longitudine orationis meæ vobis molestus essem,vererer: sa
tius visum est,eorum , quæ minora certe sunt, quædam relinquere,q̃ ex
maioribus his quicq̃ prætermittere. quanq̃ ne de his quidem est, quod
sperem à me omnia dici posse. longe enim inferiores ingenij mei vires
sunt.sed tamen, si illa omnia persequi voluissem : multo pauciora de his
verba facere coactus essem. nunc nulla re interpellabor : quo minus ea,
quæ à me dici poterunt,explicentur. Maior quædam res,ac longe diffi-
cilius q̃ homines opinantur,negocium est:vnum quempiam,aut regnũ,
aut cuiusmodi imperium aliquod administrare. non enim solum quæ
in priuatis hominibus probari solent:ea in hoc,qui cæteris præest, requi-
runtur:sed & multo hunc rebus omnibus præstantiorem esse conuenit:
&,cum in illis vel magna plerunq; vitia virtute aliqua obtegantur:hic, D
quod eius ita omnibus proposita vita est : vt nec latere nec obtegi quicq̃
posit:ac vel minima eius culpa maximæ obscurari virtutes queunt:ni-
hil prorsus vnquã delinquat necesse est.quod cum pręstare permagnum
est:tum longe id maximum:vnum esse,cuius consilio omnia gubernen-
tur:qui non sui solum, sed & omnium , qui in imperio eius sunt, curam
gerat : eorum commodis consulat : incommdis medeatur : saluti proui-
deat:qui & præsentia recte disponat:& ea etiam , quæ futura sunt,multo
ante præuideat. Ac cum hæ difficultates ijs omnibus , quibus aliquod sit
imperium administrãdum,propositæ esse videantur:tum & has,& mul-
to his maiores subeat,necesse est,qui nostræ reip.dux præficitur. atq; hu
ius ego rei ostendendæ causa , dum altius quædam repeto:ne me quæso
oblitum instituti mei putetis. nihil loquar,quod non ad rem pertineat:
nihil,quod non & nostro huic Principi,& vobis omnibus laudi sit. Tan
ta prudentia maiores nostri , tanta ac tam singulari in rebus omnibus sa-
pientia fuerunt:vt eos potius nunquã satis admirari,q̃ pro meritis lauda-
re poßimus.hos ego quanquam in oĩbus tum dictis,tum factis diuinos
quosdam viros inuenio:nihil tamen ab his præclarius,q̃ hanc huius reip.
administrationem,aut excogitatum,aut constitutum arbitror. Tres re
gendarum ciuitatum rationes sunt:vnius , optimatũ,populi dominatus.

A vnius imperium, siquis id recte gerat, cæteris præfertur: secundo loco optimatum, postrema omnium popularis administratio existimatur. quod sæpissime is tamen, qui omnia vnus potest: pro libidine plurima, nihil iure agit: atq; eò cęca quadam cupiditate fertur: vt omnia vnus possidere, nihil cuiusquam esse proprium velit: quodq; extremum ciuitatibus exitium esse consueuit, suis ipse ciuibus, quorum saluti præcipue consulere deberet: infensissimus hostis est: & quod populi dominatio velut mare quoddam, ita multis sæpe ventis, atq; adeo auris omnibus agitatur: vt nihil illa sit commotius: ac tanti plerunq; in ea fluctus excitantur: vt in ciuitatem etiam redundent: atq; eam sępe demergant. ob hæc optimatum potentia, quanquam & suis ipsa vitijs non careat: maxime tamen tuta, atq; omnium optima existimata est. hæc cum maiores animaduerterent: quod in vnaquaq; optimũ visum est, transferentes, ac vitia omnia quantum fieri poterat, amputantes, hanc reipu. formam constituerunt. quæ quidem ita ex omnibus mista est: vt, cum optimatum quidem illa gubernatio esse maxime videatur: cæterarum tamen etiam administrationum quodãmodo expers non sit. Comitia, quibus magistratus creantur, quod maxima in his ciuium multitudo est: atq; eo omnes conuenimus: quanquam nullo pacto huc quisquam è populo aspirare possit: atq; vnius sint nobilitatis omnia: speciem tamen quandam popularis gubernationis præ se ferunt. vnius dominatio in eo, qui dux creatur, conspicitur:

B cætera omnia optimatum administrationi conueniunt. atq; vnum quidem ex omnibus eligi, qui toti præesset reip. cum ob alia multa, tum ob id maxime constituerunt: quod videbant id in hac rep. quod in omni & optimatum, & populi imperio fit, fieri necesse esse: vt annui scilicet magistratus, aut aliquo certe non longo tempore definiti, crearentur. in eo vero id esse incommodi: quod, cum ij plerunq;, qui ea, quæ in rep. agenda, ac quo omnia dirigenda consilia essent, tenerent: peracto magistratus tempore priuati fierent: noui vero, ac rerum, quæ gererentur ignari, succederent: prætermitti multa, ac magno affici remp. detrimento necesse erat. ob hæc illi vnum aliquem reip. præfici vtile esse opinati sunt: qui ad reipu. gubernacula assiduus sedeat: cęteri munus quisq; suum exequatur: ille omnia disponat: & quę visa fuerint, imperet: atque eo cursum dirigat, vbi maxime & salutem, & vtilitatem reip. esse cognoscat. neq; vero, quemadmodum in rege suo Lacedæmoniorum resp. successione hoc fieri, sed ex ijs, qui in rep. versati essent: atq; egregij in remp. animi, ac virtutum omnium signa multa dedissent, sapientissimum eligi voluerunt. huic autem, ne imperandi dulcedine transuersus aliquando rapi posset: ita suas dixerunt leges: vt cum in summa rerum omnium potestate sit: non minus tamen, quàm nostrum quilibet legibus teneatur. maximo

mo igitur conſilio,& alta quadam ſit mente præditus neceſſe eſt: qui in C
noſtra rep. princeps conſtitutus, quæ ab eo debentur, præſtare,ac recte exequi voluerit. ac cæteris quidem omnibus, qui ciuitatibus ſoli imperant:ſi eas recte adminiſtraturi ſint: multi & magni ſuſcipiendi labores ſunt:ſed quod pro ſua illi voluntate, omni præſcripto liberi,multa gerere poſſunt· minus id difficile haberi debet. noſtræ reip. Principi ſimul omnia,quæ illis,onera incumbunt: ſimul ſeueriſsimis legibus obtemperandum eſt.quod ſiquis hoc,quod omnium difficillimum eſt,recte geſſerit:non'ne immortales illi laudes,& diuini honores debentur?quis igitur noſtrum hunc Principem ſatis pro meritis vnquam laudauerit? qui talis in diuerſiſsimis his rebus inuentus eſt: vt recte principatum adminiſtrando,ijs,qui in imperio ſunt,quemadmodum adminiſtrari imperia debeant: legibus parendo, priuatis, quemadmodum legibus parendum ſit, propoſuiſſe exemplum videatur. quæ vt ab omnibus cognoſci poſſint: quemadmodum per. xx. hic annos remp. adminiſtrarit: quem ſe principem oſtenderit, quo cœpimus ordine perſequemur. Qua tempeſtate Princeps is veſter creatus eſt:quanquam ne id quidem prætermittendum eſt:maximo illum conſenſu, atq; eodem die,quo ferri ſuffragia cœpta ſunt, quod raro admodum fieri conſueuit, creatum eſſe: neque paruum hoc teſtimonium illius virtutum haberi debet:in refertiſsima ſapientiſsimorum ciuium rep. ne diu quidem dubitatum eſſe: quiſnam D
præferri omnibus deberet.ſed qua tempeſtate is princeps creatus eſt: bellum nos cum Baizeto Turcarum rege aliquot iam annos acerrimum gerebamus:& cum iam Benedicti Piſaurij clariſsimi ac fortiſsimi viri ductu meliore loco res eſſe noſtræ cœpiſſent: ac pleriſque hoſtium oppidis eius conſilio, ac militū virtute captis, repreſſus aliquantum illorum furor videretur: & iam ſatis oſtenſum, non eos nos eſſe, qui illatas vlciſci iniurias nequiremus: non multo poſt de pace agi cœptum eſt. qua tandem,diu re vltro citroq; agitata,maxima cum dignitate veſtra conſtituta, per plures vobis annos omnia ſecunda euenere. vos pacatiſsimo in ocio,ampliſsimo in imperio maxima cum dignitate agitabatis.Princeps ipſe interea,cum nullæ eſſent in rep. tempeſtates: quæ magnum admodum gubernatoris laborem poſcerent: non minoris tamen eſſe artis remp.in pace adminiſtrare,oſtendebat. Hic,ne idem mihi ſæpius dicendum ſit: egregie illæ animi dotes, de quibus ante dixi, quæ iam tot annos,quibus ille in repu.verſatus fuerat:omnibus perſpectæ erant:eædem tanto etiam tum in eo maiores videbantur: quanto ijs, qui ad aliquam regendæ reip.partem admittuntur,præſtare totius reip.Principem oportet.per hæc tempora,cum alia ille multa preclare geſsit: tum id maxime: quod, cum eiuſmodi eſſe omnes reſpu. & inter cæteras noſtram hanc

præcipue

A præcipue arbitraretur:vt nihil illis magis cauendum,quàm bellum esset, nihil magis quàm pacem expetendam duceret: hac foueri eas atque alì: neque subita aliqua vi,sed ipso tempore,atq; occasionibus, quæ plurimæ in dies accidunt,augeri oportere:& cum vos hoc illi assentiremini: ita id præstitit:vt cum multa illis temporibus tum ab Italis,tum ab externis regibus,tota Italia bella gesta,multa varijs in locis prælia plurimo sanguine commissa, atq; omnibus odijs certatum sit:nemo tamen Venetis hostis fuerit:sed cum æque ab omnibus colerentur: vt arbitri illi quidam potius ad componendas inter eos res adhiberentur.atq; hac quidem ille ita pace fruebatur: vt, cum eam omni ratione perpetuo conseruandam putaret: animaduerteret tamen, ea nonnunquam tempora incidere, quibus vel necessario bellum gerendum sit.itaq; vt periti gubernatores solent,qui,quanquam omnia obseruaturi signa sint:omnem in eo curam collocaturi:vt tranquillo mari nauigent:neq; sæuientibus se ventis committant:quod momēto tamen plerunq; tempestas incidit:iam tum,cum in portu sunt, omnia præparant: quæ tolerandæ tempestati necessaria esse videantur. sic ille iam tum in pace, quæ bello, siquod incideret,opportuna essent, considerabat. qua in re, cum nihil eorum, quæ agenda essent, prætermitteret: tum præcipue ærario ac publicis opibus prospiciendum censuit. cum vero ob ingentes, multis quæ gesseratis bellis factas

B impensas, maximo alieno ære vrgeri rempublicam, ac tantum deberi ciuibus videret:vt vel eo,quod illis,dum plene aliquando satisfieret, quotannis pendebatur:propè omnia vectigalia, ac reip.redditus absumi necesse esset:omni cura inuigilandum, vt id ratione aliqua dissolui posset,existimauit.eo dissoluto,tam late patere imperium vestrum: tam opimas,tam fertiles regiones sub ditione vestra esse cernebat:vt facillimum factu esset,maximas vobis diuitias exaggerari: ac tantum non multo tēpore in ærarium auri congeri:quantum nullis vnquam bellis,nullis sumptibus exhauriri posset. hanc vos eius sententiam cum secuti essetis: ita toto ille animo in eam rem incubuit:eam,vt id fieri posset, rationem inuenit: vt breui tempore tanta res, & qua nulla vnquam reipublicæ vtilior excogitata est,confici posse,ac propè iam confecta esse videretur.sed repens id quod præter omnium expectationem bellum subito exortum est:vt alia nobis multa detrimenta intulit:ita huic ēt rei fuit impedimento. Secuta sunt tempora, quæ si ex ipsa rerum natura euelli vllo pacto possent: non ego præclarissimi huius viri,ac vestrum omnium laudem, quam maximam proximo hoc bello adepti estis, tanti faciendam ducerem: vt non id mihi votis omnibus exoptandum existimarem. simul enim & molestię,ac calamitates omnes, quibus,his temporibus resp. affecta est,extraherentur.sed quoniam fieri id non potest: non mihi ego,si

eorum vobis memoriam renouaro:vulnus, quod iam obductum est,re- C
fricaturus, sed gloriam potius vestram prolaturus, atq; hominum ser-
monibus propositurus videor. Ac quo ego magis cogito: & res eas,
quę euenere,mecum ipse considero: eo magis fato nescio quo, cui nul-
lis hominum consilijs,nulla vi resisti posset:arma in nos illa concitata,ac
tantam subito belli molem extitisse comperio. quid enim maiores ve-
stri, quid vos vnquam aliud egistis? quis vestrarum cogitationum om-
nium alius vnquam terminus fuit? quid sibi aliud vestra vnquam vota
postularunt? nisi vt in pace,atq; ocio esse,ac vestra tranquille perfrui rep.
possetis. cum multas vos ciuitates, multa regna, ob nimiam imperandi
cupiditatem concidisse, eamq; ipsam non longissime prolatis finibus,
sed moderatione animi terminari posse cognosceretis:satis magnas vo-
bis opes, satis amplum esse imperium putabatis. id vero cum sola pace
diuturnum,ac perpetuũ fieri posse videretis:omnia vestra studia,omnes
cogitationes pacis erant. hac iam ab initio altam, ac auctam vestram
remp.noratis:hac illam in posterum omnem temporum ęternitatem su-
peraturam sperabatis.atq; ideo nemini vos vnquam vltro iniurij fuistis:
neminem bello lacessendum, sed vobis tantum, ac socijs vestris illatas
iniurias propulsandas censuistis. at vero officio cum omnibus semper
certauistis:inita fœdera sanctissime obseruauistis: fidem constantissime
coluistis.quibus rebus,cum fieri id deberet:vt oĩum maxime ab omni in D
iuria tuti essetis:neq; quisquam non beneuolus vobis esset:repentino ta-
men quodam impetu propè omnes totius Europæ nationes ad vos
tanquam omnium communes hostes extinguendos,confluxerunt. mul
ta ego hic mihi iustissimas ob causas silenda arbitror: vnum hoc tamen
dicam.si vlla vnquam ratione fidem aliqua in re non obstinatissime ser-
uandam esse persuaderi vobis potuisset: facillime hanc à vobis euitari
procellam potuisse. sed vos ne totius quidem orbis imperium tanti fa-
ciendum,neq; vllam tam extimescendam vim, vllum tam formidabile
periculum esse iudicauistis:vt à fide dimoueri,atque ab officio discedere
deberetis.hoc vos animo cum per vos etiam essetis:quippe qui in obser-
uantissima officiorum omniũ rep.nati,atq; educati estis:multum tamen
ad id constantissimus vos Princeps vester & oratione animauit:& aucto
ritate confirmauit.maximam igitur simul ille,simul vos omnes gloriam
consecuti estis.sed magnas,neq; eas tamen culpæ vllius, sed innocentiæ,
& laudis pœnas dedistis. Cum multi huius reip. splendorem, assueti ipsi
tenebris,ferre non possent:atq; extinctum cuperent: alij, qui Italiæ ipsi
oppressores, ac prædones essent, æquabile hoc imperium, hanc per tot
annos conseruatam libertatem,& odio prosequerentur: & timerent, ne
vestro aliquando exemplo,ac totius Italiæ iandiu extincta libertas reui-

A uiſceret:nonnulli florentiſsimi,atq; opulentiſsimi imperij diripiendi cupiditate tenerentur:factũ eſt: vt & in vos omnes inter ſe illi coniurarent: coniunctiſsimi vobis reges,ac veſtræ ſemper reip. amantiſsimi, ita fictis improborum delationibus à vobis diſtraherentur: vt arma etiam ſibi in hanc remp. ſumenda eſſe iudicarent. Hic vero cum vos ſubita, atque inexpectata re oppreſsi, veſtras his copias, quæcunq; tum repente contrahi potuerunt: opponere cogeremini: accepta illa calamitas eſt:de qua me quæſo Patres opt.ſilere patiamini.eiuſmodi enim fuit:vt ſine acerbiſſimo animi ſenſu,neq; à me dici,neq; audiri à vobis poſsit.hac clade nunciata, quod tantum animi robur, tanta vis, tanta firmitas eſſe potuit: quam non tanto incommodo labefactari,ac concidere neceſſe fuerit?& certe(vt verum fateamur)trepidatum aliquãtum à multis eſt:multorum animi perturbati ſunt:ciuitas diu paci, ac proſperis ſemper aſſueta,tanta, & tam repentina rerum omnium mutatione, non commoueri non potuit.ſed admirabilis quædam veſtri Principis fortitudo,& ſuis ipſa viribus inconcuſſa permanſit: & eam vocem emiſit: ea grauitate veſtri vos decoris ac dignitatis admonuit:vt erectis omnium animis, nemo vnquã in tollerandis aduerſis firmior,quàm vos vniuerſi fuiſtis,inuentus ſit.ſed non hæc ſolum eo tempore in vobis virtus enituit. permultæ ſe aliæ,quæ ante latuerant, vt quanq; difficillima illa tempora exigebant, oſtende-

B runt.cum tantam in vos procellam illam, nullo veſtro merito ſubito extitiſſe videretis: neq; facto ſemel periculo, ſuſtinere eius vim potuiſſetis: vel alicui deorum immortalium in vos iræ, vel maioribus quibuſdam viribus cædendum eſſe ſtatuiſtis: neq; quicquam, quod ad leniendos hoſtium animos accommodatum eſſe videretur:prætermiſiſtis. quanta hęc animi moderatio haberi debet?ſed cum ſæuiores in dies illi,ac ferociores fierent:ijdem vos,cum iam moderatione veſtra,& deos,ſiqui irati vobis erant, pacatos, & cauſam veſtram omnibus iam probatam iudicaretis: bellum vobis acerrime, atq; omni animorum contentione, gerendum eſſe decreuiſtis.& id vero ita geſsiſtis: vt cũ nihil iam vobis hoſtes, quod aut agere,aut ſperare poſſetis,reliquum eſſe exiſtimarent: tum vos recuperata vi Patauio, his & illam & Tauriſium præſidijs firmaueritis:vt his quaſi frenis quibuſdam hoſtium furori iniectis, cum toto hoc bello in has illi vrbes propè quotannis irruerent: omnis ſemper eorum audacia compreſſa,omnes impetus alio detorti,atq; infracti ſint. Sed nihil profecto eorum, quæ à vobis geſta ſunt,mihi æque memorandum videtur: ac prima illa recepta recens Patauio tolerata in ea vrbe oppugnatio. centum hoſtium millia ferociſsimis, ac pugnaciſsimis è nationibus, maxi mo cum tumultu, derepente, tanquam procella quædam ad eam occupandam vrbem irruerunt. vobis quidem, & egregij Imperatores veſtri,

& ſelecti,

& selecti, qui aderant, milites satis ad eos reprimendos esse videbantur. C
sed trecētis tamen ego patricijs illis viris, quos tumultu illo trepide nun-
ciato, eo mittendos censuistis: opportunissimam vobis vrbem potissi-
mum conseruatam puto. atq; in ijs quidem omnibus, quæ à me dicun-
tur: cum maxima vobis omnibus, tum vero præcipua quædam vestro
Principi laus debetur. ille enim rebus omnibus præerat: ille omnium vo-
bis consiliorum auctor erat. sed nulla tamen ille in re, quàm hac, quæ à
me postremo dicta est, maiori laude dignus existimandus est. recordami
ni patres optimi, cum vos de patricijs illis Patauium mittendis hortare-
tur: quæ verba locutus sit. Quatuor sibi esse filios dixit: omnes & mori-
bus (nisi patrius se amor fallat) & virtutibus ornatissimos: sibi certe iu-
cundissimos: eorum tum in omne se discrimen duos patriæ offerre: nec
recusare & reliquos, & se etiam (si id res poscat) pro salute reip. deuoue-
re. quæ cum maxima omnium acclamatione excepta essent: egregia illa
nobilium iuuenum manus hoc exemplo commota ad auxilium patriæ
ferendum, Patauium profecta est. hic vero, cum & ipsi illi Principis filij,
& reliqui patricij iuuenes vbiq; adessent: nulli non se periculo obijce-
rent: omnes vltro labores subirent: tanta militum vestrorum animis ala-
critas, tantus hostium contemptus innatus est: vt innumeras illas copias,
illam vndiq; circunfusam multitudinem, non solum ad eam, quam ipsi
tuerentur, expugnandam vrbem, sed ne ad congrediendum quidem se- D
cum acie, parem iudicarent. itaq; cum plures ibi dies hostes consumpsis-
sent: suosq; omnes conatus frustra esse cernerent: ab incepto desistere, &
abire turpiter coacti sunt. magna hoc facinore apud omnes gentes huic
reipu. parta est gloria: magna Veneto nomini auctoritas accessit: magnæ
vero à nobis omnibus nostro Principi, qui huius facinoris auctor fuit,
gratiæ haberi debent. neq; vero hac vna in re præclari huius viri auctori-
tate compulsi multum reip. profuistis. sed, cum plurimis graui hoc bello
sumptibus iam exhaustum ærarium esset: & impendi tamen in exercitus
nostros multa necesse esset: credo equidem & egregio vos in patriam
amore adductos, priuatas in remp. opes contulisse: non parum ad id vos
tamen assiduæ etiam nostri Principis cohortationes excitarunt. quoties
ille in senatu, quoties in comitijs vltra etiam ætatis vires magna conten-
tione grauissima, hac de re, verba habuit. factum est igitur: vt cum peni-
tus iam accisas Venetorum res, neq; vllum iam ab his diutius exercitum
sustentari posse, omnes crederent: tum vero tanta ac tam immensa subi-
to opum vis extiterit: vt mare potius huic ciuitati, quo interluitur: quàm
vllas vnquam reip. diuitias deesse posse, facillime omnibus persuasum
sit. Sed ne id quidem à me sileri decet: quod, nescio an ijs omnibus, quæ
à me hactenus dicta sunt, anteferendum sit. quod, cum multos diuturni

iam

A iam belli tæderet: multorum animi, aduersis ijs, quæ, vt in tam longo bello fieri necesse est, pleraq; acciderant, infracti essent: hic ea semper in sententia perseuerauit: quam vos secuti, & maximam admirabilis cuiusdam constantiæ laudem adepti estis: & in pristinam tandem imperij amplitudinem remp. restituistis. multæ quotidie pacis conditiones vobis proponebantur: ac cum de his sæpius ageretur: atq; in eas nõnulli imbecillitate quadam animi nimium pacis cupidi, non magna reip. dignitatis ratione habita, descensuri viderentur: cum præter senectutem, quæ grauissimus per se ipsa morbus est: aduersa etiam valetudine laboraret: ad hanc tamen ille dissuadendam nec satis fidam, nec decoram pacem præstò semper fuit: semper ea, quæ reip. dignitas posceret, locutus est. admirantur romanarum rerum scriptores Appium illum cæcum, cum illi ad cæcitatem grauis etiam senectus accederet: cum de Pyrrhi pace senatus consuleretur: ad eam se tamen impediendam deferri iussisse. nos de hoc silebimus? qui in summa itidem senectute, impeditiore etiam morbo quàm haberi cæcitas debeat, penè confectus, non semel, vt Appius, sed & hanc ad rem sæpius affuit: & alijs omnibus, quæ de rep. agerentur, rebus, toto hoc decennio semper interfuit. profecto nihil est patriæ charitate præstantius. ea vna omnẽ illius morbi vim repellebat: omnes senectutis molestias abstergebat. Hic vero, cum ille magnam quandam animi vim ostenderet: nihil cuiquam prius, nihil potius reipu. dignitate esse

B debere diceret: pericula & labores omnes, mortem ipsam deniq; bono cuilibet potius subeundam: quàm vllam vnquam pati reip. turpitudinis maculam inspergi: turpi pace suscepta, nulla vnquam re deleri hanc labem posse: fortunam reip. mutari posse, rerum omnium continuas mutationes esse: sperandum ex ijs, quæ pertuleramus aduersis esse, iam iam adesse, vt nostræ res in melius verterentur: nunquam reip. ad tolerandum bellum defuturas opes: deos etiam immortales, ciuitati, quæ tam pie eos semper coluisset, non defuturos: cauerent modo, ne ignominiæ notam aliquam reip. inurentes, deorum ab se animos, qui illam tutarentur, auerterent. Hæc cum ille commemoraret: vos ei patres optimi semper assensi bellum potius cum dignitate reip. vobis gerendum, quàm turpi pace quiescendum statuistis. neq; vero est, quod huius vos sententiæ pœnitere posit. nam non longo interiecto tempore opulentissimus ac potentissimus Gallorum rex, qui semper antea coniunctissimus huic reip. fuerat: ac multas vobiscum necessitudinis causas habebat: cum falsis se maleuolorum sermonibus ab amicitia vestra, quam fidissimam sibi semper expertus esset: auulsum videret: occultis in se illorum odijs ac fraudibus cognitis, id vobiscum fœdus inijt: vt quod intercesserat dissidium, reintegratio amoris quędam (quod nonnunquam fieri cõsueuit)

fuisse

fuiſſe videretur.is ita exercitu paratiſſimo, ita omni vobis auxilio preſtò C
fuit:vt tantis viribus additis,quæ violenta vobis illa proximi belli tempe
ſtas abſtulerat: ea propè omnia intra paucos dies in poteſtatem veſtram
redacta ſint. Tum vero, cum ſatisfactum iam dignitati veſtræ iudicare-
tis:atq; æqua iam tandem vobis pax afferretur:nullis vos ſumptibus,nul-
li rei parcendum eſſe, dum ea fieret, cenſuiſtis. quam cum item ad rem
conficiendam omnem operam amiciſſimus vobis rex, omne ſtudium
contuliſſet:factum eſt,vt ſub induciarum nomine,pax ſit vobis firmiſſi-
ma conſtituta. Sed quoniam cõmemorandis ijs, quæ cum omnium ve-
ſtrum laude coniuncta eſſe, & ad remp.pertinere viſa ſunt,longior for-
taſſe fui,q̃ vt plura iam à me hoc tempore dici poſſint:multa, quæ mihi
ipſe dicenda propoſuerã,prætermitti neceſſe eſt.ſed & ſatis ex ijs tamen,
quę dicta ſunt:qualis hic fuerit,quàm diuinus quidam vir haberi debeat,
cognoſci poteſt.quam enim è præclariſſimarum illi virtutum cœtu,quę
aut ſolæ,aut certe maxime in homine laudandæ ſunt: defuiſſe dicemus?
profecto ſiquis eum iam inde ab adoleſcentia penitus inſpicere,tum quę
ab illo,& in prouincialibus, & in vrbanis magiſtratibus geſta ſint,quem
admodum deniq; principatum adeptus,tum tranquillis,tum omnium,
quæ nobis vnquam inciderunt, difficillimis temporibus,remp.admini-
ſtrarit,conſiderare voluerit:nihil in hoc,eorum, quæ in magnis ac præ-
claris viris admirari conſueuimus, deſideratum eſſe cognoſcet.ſed ne eo D
rum quidem, quæ aut à natura, aut à fortuna hominibus dari ſolent,
quicquam illi admodum defuit.quæ quanquam nulla ratione cum ani-
mi bonis,de quibus iam abunde diximus,conferenda ſunt: eiuſmodi ta-
men ſunt: vt nec ſolam ad beate viuendum virtutem ſufficere, nec ſine
his fœlicitatem illam,quam omnes appetunt:conſequi quenquam poſ-
ſe,præclariſſimi etiam,ac ſapientiſſimi homines exiſtimarint. Ego qui-
dem quanquam nihil à dijs immortalibus humano generi virtute maius
aut præſtantius datum arbitror: non parum tamen ex his etiam eorum
in nos beneuolentiam declarari puto.quod ſi ita exiſtimandum eſt:quis
vnquam dijs immortalibus charior Leonardo fuit?quis eorum muneri-
bus ornatior?præclariſſima in ciuitate,maxime nobili,atq; illuſtri ortus
genere,& egregia quadam forma fuit:& honeſte partis diuitijs abunda-
uit:& ita proſperos rerum omnium ſucceſſus habuit: ita ſemper illius vir
tutes fortuna comitata eſt:vt nihil vnquam optarit: quod non ſit cumu-
latiſſime conſecutus.omnes in optime conſtituta rep. honorum gradus
adeptus,atq; illius demum Princeps creatus,in eius adminiſtratione ad
extremam vſq; ſenectutem vixit.acceſſit ad hæc, quod & rarum admo-
dum,& difficillimum haberi ſolet:vt & plures liberos,& egregiæ omnes
probitatis procrearet.è quibus,cum primarijs ciuitatis viris in matrimo-
nium

A nium filias collocasset:& HIERONYMO item è filijs vxorem despondisset:quod magnæ cuiusdam fœlicitatis esse creditur: & nepotes,& neptes,& ex his & pronepotes, & proneptes vidit. sed, vt hoc fœlicissime illi contigit: ita id non licuit: vt omnes sibi superstites filios relinqueret. nam vltima iam in senectute constitutus,cum ad id vsq; tempus incolumes oēs fuissent:importuna morbi vi,altero ab hinc anno BERNARDVM amisit:quo ingenio?qua comitate?quantæ spei iuuenem? non leuius ego huius morte illatum patriæ, quàm patri vulnus puto. quis hic vir?qualis senator?quantus in rep.administranda fuisset?sed iniqua illum fortuna nobis inuidit. At quanto id tibi optime ac miserrime omnium iuuenis fœlicius cecidisset:si,cum ad tuendam Patauium cū ALOYSIO fratre,& inuicto illo nostræ iuuentutis flore profectus, gloriosa pro patria arma ferres: ac nulla tibi in re parceres: omni te discrimini opponeres:tum hostium tibi telis occumbere,ac speciosissimam pro patria mortem obire, licuisset. Acerbissima hac præstantissimi iuuenis morte,cum nemo tota in ciuitate esset:qui non ingemisceret:qua eam constantia pater tulit? eadem, qua tot ante patriæ calamitates tulerat. non magis hac fortunæ iniuria deiectus,quàm secūdis vnquam vllis rebus,quæ plurimę illi acciderant,sublatus est. vt mihi dij immortales extremum hoc illius, quem paulo post in suas sedes,vbi veram vitam viueret: ac perpetuo secū
B æuo frueretur:vocaturi erant:virtutis periculum fecisse videantur. atque hoc quidem illi è filijs incommodum illatum est.quantas vero,& quàm magnas ex his eum voluptates percepisse arbitramini? quantas fortasse nemini vnquam contigisse credendum sit.quasi rarum, ac solum propè quoddam fœlicitatis exemplum,Metellus celebratur:quod, cū quatuor illi essent filij:eorum vnum prætorem,tres cōsules,atq; ex his vnum censorem,duos triumpho insignes vidit. Magnum profectò Metelli patris gaudium fuisse arbitrandum est:cum ea filios,quæ amplissima in ciuitate essent:consecutos intueretur.neq; tamen tam ego illum lætatum puto, quod hos ad eos delatos honores videbat: qui, quanquam maximi, quod in populi tamen manu sunt:mandari plerunq; etiam indignis solerent:quàm quod eiusmodi esse illos cognoscebat:vt digni essent,quibus summa omnia tribuerentur. Hoc verum demum gaudium est:eas in filijs virtutes aspicere: vt nullus non illis honos debeatur. quæ si ita sunt: ne hac quidem in re,vt alia omnia prætermittantur: minor nostro Principi quàm Metello fœlicitas contigit. cum enim quatuor itidem huic essent filij: cui tot vnquam virtutibus æque omnes ornatos intueri concessum est?sed & ijs etiam,quæ merebantur,dignitatis præmijs honestatos, & nullis non honoribus auctos vidisset:si nostri Principis filijs viuo patre magistratus petere per leges liceret. & sibi tamen id ille polliceri

potuit:fore,vt,cum ipse excessisset,nullum esset in hac rep.virtutis præmium,quod illis,cum id à vobis peterent,negari posset. & viuens etiam LAVRENTIVM filium,ne hoc sibi vnum defuisse queri posset: cum ea tempora incidissent:vt is legibus solueretur: in proximum post se dignitatis gradum sublatum vidit. Cum vero optatissimum esse parentibus soleat, quamsimillimos sibi nasci filios:cui hoc vnquam benignius, quàm nostro Principi concessum est?atq; ego non de hac tantum corporis, sed multo de illa magis, quæ in animo conspicitur, similitudine loquor.qua in re ita,& inter se & patri similes huic filij contigerunt:vt facillimum fuerit in omni virtutum ac morum optimorum genere,& in patre filios, & in filijs patrem, & in fratribus etiam fratres agnoscere. quæ,quamuis ita sint, nescio quo pacto tamen magis omni in re in Laurentio conspici imago patris potest.quem quidem ego cum intueor Patres optimi,non video cur Leonardum nobis ipsum ereptum queri possimus.en eadem oris lineamenta aspicere, eandem verborum grauitatem audire, ijsdem omnibus virtutibus frui licet. hanc ille egregiam & animi & corporis sui effigiem nobis reliquit, multo certe ijs omnibus anteferendam, quas plurimas Romani sibi quondam Imperatores ad propagandam sui memoriam, vbiq; gentium collocarunt. ob hanc ego quidem etiam causam, minus illi molestam fuisse mortem puto: quod cum ipse patriæ eriperetur,& in cæteris tamen filijs simillimam sui imaginem,& in Laurentio ipsum quasi se sibi superstitem relinqui reip. conspiciebat. Sed cum tam multa deorum immortalium benignitate nostro Principi contigerint:vt nihil propè optari à quoquam possit: quod non ad hunc abunde delatum sit: vna fortasse valetudo non benignissime ei concessa esse videri queat.nam neq; in iuuentute magnis quibusdam corporis viribus, & infirma, atq; affecta morbis senectute fuit.sed qua illi in parte naturæ munus defuit:in hac sibi ipse(quod multo est præclarius)animi virtute præstò fuit. nam eam temperantiam adhibuit: ita omnes semper,quæ corpori officerent,voluptates neglexit: vt in hac imbecillitate tamē ad nonagesimum propè vsq; annum,quod ne robustissimis quidem sæpe accidit: vitam produxerit. maior profectò ex hac illi virtute laus debetur:quàm si illi, vel ipsum illud Milonis Crotoniatæ robur à natura contigisset. atq; in hac quidem re Patres optimi magnum quiddā est:quod nostro à nobis omnibus Principi debeatur. ab eo enim tempore, quo proximo hoc maxime sæuiente bello, grauissimo penè morbo oppressus est:quicquid ad pristinam illam prorogandæ vitæ diligentiam addidit:quæcunq;,vt viueret,passus est:quæcūq; fecit:ea omnia singulari illius quodam in remp.amore facta esse, existimādum est.neq; vlla in re magis quàm chara illi esset patria,cognosci potuit. quid enim?

desiderio

A desiderio hæc illum viuendi fecisse arbitramini? quid erat? cur tantopere
in vita diutius esse vellet? tot iam annos vixerat: vt, quod in omni re fieri
consueuit, satietatem iam tum illum vitæ quandam cepisse credendum
sit. eum ex recentibus patriæ incōmodis dolorem acceperat: vt ægerrime
illius se superesse calamitati passus sit. cum omnes etiā tum filios incolu-
mes haberet: atq; omnia propè adhuc illi secunda in priuatis rebus fuis-
sent: magis erat vt vereretur, ne viuendo quicquam, quod nollet, aspice-
ret: quàm vt lætius quippiam sperandum esset. ad hæc, quæ illi iam eius
vitæ cupiditas esse poterat: quæ eò iam venerat: vt nihil aliud quàm gra-
uiores quotidie morbos, & asiduos ex his dolores, ac cruciatus expecta-
re posset? quò hæc ergo tam diligens tuendæ vitæ cura? quò hæc viuendi
cupiditas? cum videret, si media ipse in tempestate ereptus, tantis in flu-
ctibus remp. reliquisset: fore, vt vel eo vno, quod diu in substituendo gu-
bernatore occupata futura erat: multa illi inferri detrimenta possent:
omnia sibi perpetienda esse censuit: vt, dum eam in tranquillo sisteret:
cum sibi iam satis vixisset: patriæ certe, cui non minus viuendum esse co-
gnosceret: vitam proferret. Non minores huic igitur gratiæ à nobis ha-
bendæ sunt: quod patrię vtilitate permotus, in vita esse sustinuerit: quàm
ab alijs quondam ciuitatibus ijs sunt habitæ: qui vitam pro patria reddi-
derunt. eorum enim nonnulli ne morte quidem illa quicquam profue-
B runt. hic tantum vita profuit: vt eius potissimum consilio, quod nulla illi
vnquam ætas debilitauit: sed semper auctius factum est: & plurima pro-
ximo hoc bello præclare à vobis gesta, & in tuto demum remp. colloca-
tam putem. Quod si aliqua in morte etiam fœlicitas esse existimanda est:
quæ certe est: quis in hac illo fœlicior vnquam fuit? cui quidem eo ipso,
quo optauerat, tempore, erepta iam è belli fluctibus rep. & ea firmissima
in pace constituta, mori contigit. quin id etiam credendum est, nullo il-
lum cum dolore decessisse. neq; enim eundem in omni morte doloris
sensum esse existimandum est. nam cum omnia, quæ natura fiunt, cum
voluptate fiant: ac, quoniam nati mortales sumus, certus quidam termi-
nus, quo moriēdum nobis sit, natura sit constitutus: mortem illam, quæ
natura contingit, vt non contendam, cum voluptate esse: sine dolore cer
te est. sit illa acerba pueris: sit ijs, qui in iuuentute sunt: quos è vita, tanquā
immatura ex arboribus poma, vi quadam auelli necesse est. senes certe,
quibus iam sua maturitas aduenit: quod sensim his sine sensu vita surri-
pitur: paulatim deficiunt: ac sine vllo dolore, sua quasi sponte extinguun
tur. quæ cum ita sint: nunc demum est: cum peracto iam totius vitę cur-
su, & beatum hunc, & fœlicissimum fuisse, affirmare posimus. Quam
obrem, vt ad id iam veniam, quod mihi postremum faciendum est: & ad
leniendum hunc, quem in vobis omnibus intueor, mœrorem aliquid à

me dicatur: non video Pat. optimi, cur illius mortem, qui omnes vitæ C
actus fœlicissime peregerit, tam moleste vobis ferendam putetis. non in finitum nobis quoddam viuendi curriculum propositum est: sed suis & carceribus, & metis terminatum. ac fortasse medio quempiam è cursu abripi dolendum sit: quod quis omni fortissime decurso spatio, & ad metas puenerit: & promissa virtuti pręmia consecutus sit: si illi amici haberi volumus: lætari certe debemus. at ei, qui recte, ac cum virtute vixerit, pro imbecilli hac mortalitate, immortalē, ac fœlicissimam à superis post mortem vitam dari, cum omnes semper omni tempore homines crediderunt: tum nos pręcipue, quibus à Deo Optimo Maximo verum ad cœlum iter ostensum est: sine vlla dubitatione affirmare debemus. quod si hoc illi contingere potuisset: vt nunc morti ereptus, reliquo omni tempore nunquam moreretur: non tamen vos hoc illi optare debuissetis. quid enim? misera illa inter tot hominum calamitates īmortalitas, cum fœlici hac inter deos, & bonis omnibus refertissima, quam adeptus est, immortalitate conferri posset? tantum abest, vt id existimem: vt si illa etiam nobis non sit proposita: magis tamen optandum arbitrer, ex assidua hac humanæ vitæ iactatione aliquando eripi, quàm vel perpetuo in ea versari. quare omni iam dolore abiecto, illum potius imitari, & quæ ille consecutus est, à dijs vobis immortalibus optare debetis. Sed hæc in
vniuersum omnibus dicta sint. Vobis vero præclarissimi optimi Princi- D
pis filij, quæ à me consolatio adhiberi potest? priuari patre nemini non graue est: tali patre priuari, talibus, ac tam pijs, quales vos estis, filijs grauissimum. neq; fieri vllo pacto potest, neq; id natura concedit, vt nō maximo dolore afficiamini. sed profectò, si ipsa hæc eadem, & quo patre nati, & quales vos sitis, considerare volueritis: omnem à vobis doloris impetum fortissime reijcietis. q̄ forti pater animo Bernardi filij mortem tulit? qua constantia tot longe illi filij morte grauiores patriæ calamitates? at paternam hanc virtutem vos præcipue præstare conuenit. & hi vero uos estis: hæ iam in uobis uisæ uirtutes sunt: ut animi fortitudinem, quæ maxime uiros decet: uobis deesse turpissimum futurū sit. quam ne in uobis desiderare uidear: omittenda mihi hæc omnis orationis pars uidetur. & uos potius ad tam egregium imitandum patrem cohortandi. sed & eam etiam orationem uestra mihi uirtus eripuit. quid enim uos incitem? qui ita in cursu estis: ut non illius modo uestigijs insistatis: sed & omnibus iam eum uirtutibus æquaueritis: & si ulla id fieri ratione potest, etiā superaturi esse uideamini. Quamobrem uos quidem quò cœpistis, pergite: & quæ in uobis sunt, præstate: cætera, quæ patri concessa sunt, pro uirtutibus uobis uestris à dijs immortalibus euenient.

ANDREAE NAVGERII PATRICII VENETI LVSVS.

Aspice magna Ceres tibi quos semente peracta
Ducimus agrestes, rustica turba, choros.
Tu face, ne nimio semen putrescat ab imbre:
Neu sulcos rapido frigore rumpat hyems.
Neu sterilis surgat sylua infœlicis auenæ:
Et quæcunq; bonis frugibus herba nocet:
Neu terræ prostrata animosi flatibus Euri
Decidat: aut densa grandine læsa seges:
Neu direpta auidæ rapiant frumenta volucres:
Monstrá ue, quæ terræ plurima sæpe ferunt.
Sed quæ credidimus bene cultis semina campis:
Vberius largo fœnore reddat ager.
Sic erit. interea niuei carchesia lactis
Fundite, & annoso mella liquata mero.
Terq; satas circùm, fœlix eat hostia, fruges:
Cæsaq; mox sanctos corruat ante focos.
Nunc satis hæc. post messem alij reddentur honores:
Et sacras cingent spicea serta comas.

Auræ, quæ leuibus percurritis aëra pennis,
Et strepitis blando per nemora alta sono:
Serta dat hæc vobis: vobis hæc rusticus Idmon
Spargit odorato plena canistra croco.
Vos lenite æstum, & paleas seiungite inanes:
Dum medio fruges ventilat ille die.
Ille tuus Pan montiuage venator Iolás
Suetus in audaces cominus ire feras:
A quo & adhuc rictusq; suum, exuuiasq; leonum
Sacra tibi agrestis munera pinus habet:
Nunc iam annis grauis hæc deuicti cornua cerui
Dedicat, imbelli congrua dona seni.
Cum tamen herculeæ facta inter fortia clauæ
Is quoq; sit laudem visus habere labor.

Tu Diue hæc inter viridis decora illa iuuentæ
Suscipe: né ue illis esse minora puta.

Hanc vitem, multa quæ semper fertilis vua
Haud vnquam domini fallere vota solet:
Nunc etiam large florentem, consecrat ipse
Vineti cultor Damis Iacche tibi.
Tu face Diue tua hæc spem non frustretur: & huius
Exemplo fructum vinea tota ferat.

Longius à pecore errantem per deuia taurum
Dum sequitur nemorum per iuga longa Lycon:
Errantem scopulo capream conspexit ab alto:
Continuo certo deijcit hanc iaculo.
Mox etiam catulos sola sub rupe iacentes
Inuenit: hos Crocali donat habere suæ.
E caprea in viridi statuit conuiuia luco:
Addidit & veteris pocula multa meri.
Quod reliquum est, Pan semicaper cum cornibus ipsis
Suspensum è pinu hac tu tibi tergus habe.

Quod tulit optata tandem de Leucade Thyrsis
Fructum aliquem: has violas dat tibi sancta Venus.
Post sepem hanc sensim obrepens, tria basia sumpsi:
Nil vltra potui: nam propè mater erat.
Nunc violas, sed plena feram si vota: dicabo
Inscriptam hoc myrtum carmine Diua tibi.
Hanc Veneri myrtum Thyrsis, quod amore potitus,
Dedicat, atq; vnà seq; suosq; greges.

Et quercum, & syluam hanc ante omnia Thyrsis amabit:
Et certo feret his annua vota die:
Dum poterit memor esse, quod hac primum ille sub vmbra
Vltima de chara Leucade vota tulit.

Venator celerem mœrens Augona Melampus
Confossum rapido dente ferocis apri:
Hac illi in ripa tumulum, frondente sub vmbra,
Erigit: hoc ipso concidit ille loco.
Non impune quidem prædo sceleratus abiuit:

Procubuit

Procubuit iaculis cæsus & ore canum.
Tu tamen è cunctis canibus præstantior Augon,
Fide Augon, syluis qui modo terror eras:
Tu dilecte iaces. sed ab alta hac fascia pinu
Millusq;, & millo vincula iuncta suo:
Quin decisa feri ceruix tibi pendeat hostis:
Sintq; vnà ex animo signa dolentis heri.

Et gelidus fons est: & nulla salubrior vnda:
Et molli circùm gramine terra viret:
Et ramis arcent soles frondentibus alni:
Et leuis in nullo gratior aura loco est:
Et medio Titan nunc ardentissimus axe est:
Exustusq; graui sydere feruet ager.
Siste viator iter: nimio iam torridus æstu es:
Iam nequeunt lassi longius ire pedes.
Accubitu langorem, æstum aura, vmbraq; virenti,
Perspicuo poteris fonte leuare sitim.

Ante canes omneis pastori charus Amyntæ
Nuper ab illyrico littore missus Hylax,
Dum solitas agit excubias, & septa tuetur:
Nec vigilant socii cætera turba canes:
Qua rapidus se se media inter saxa Timauus
Mergit: & inde iterum prosilit amne nouo:
Ille quidem sæua vitulos tutatus ab vrsa est:
Ipse sed ingenti vulnere cæsus, obit.
Constituit viridi tumulum de cæspite Amyntas:
Hæc voluit raram præmia habere fidem.
Mœsta gemunt armenta: mali furesq;, lupiq;
Extincto hoc sibi iam cuncta licere putant.

Dat Cereri has Teleson spicas, hæc serta Lyeo,
Hæc niuei lactis pocula bina, Pali.
Pro quibus arua Ceres, vites fœcundet Iacchus:
Sufficiat pecori pabula læta Pales.

Cum primum clauso pecus emittetur ouili:
Vrbs mea Leucippe cras adeunda mihi est.
Huc ego venalemq; agnum, centumq;, Chariclo

Ipsa

Ipsa mihi mater quæ dedit, oua fero.
Afferri tibi vis croceos, niueos'ue cothurnos?
An'ne colum, qualem nata Lyconis habet?
Ipse feram quæ grata tibi. tu basia iunge:
Gaudia Leucippe nec mihi grata nega.
Cras, vbi nox aderit, odiosæ elabere matri:
Hasq; inter corylos ad tua dona veni.

Illi in amore pares, vicini cultor agelli
Thyrsis, cumq; suo Thyrside fida Nape.
Ponimus hos tibi Cypri immortales amaranthos:
Liliaq; in sacras serta parata comas:
Scilicet exemplo hoc, nullo delebilis æuo
Floreat æternum fac dea noster amor.
Sit purus, talisq; vtriusq; in pectore candor:
In folijs qualem lilia cana ferunt.
Vtq; duo hi flores serto nectuntur in vno:
Sic animos nectat vna cathena duos.

Candida Niconoe viduæ spes vna Terillæ
Montiuagas iaculo figere certa feras,
Hunc tibi syluipotens arcum Latonia ponit:
Atq; hæc in pharetra condita tela sua.
Illam chara parens tenero sociauit Icasto:
Ignotiq; iubet iura subire thori.
Tu dea, si syluis ægre discedit ab altis:
Si lacrimas cœtus deserit illa tuos:
Tu bona sis, fœlixq; illi: tu numine dextro
Optata lætam fac dea prole domum.

Quæ duo fert collis fœcundi vinitor Acmon
Expreßi primum cymbia plena meri:
Hæc auidis musti satyris, mustiq; parenti
Dat iucunde tibi vitis Iacche sator.
Illi illæsa sus linquant vineta rapinis:
Tu tua fac largis auctibus vua fluat.

AD VVLCANVM.

Has Vulcane dicat syluas tibi villicus ACMON:
Tu sacris illas ignibus vre pater.

Crescebant ducta è STATI propagine syluis:
Iamq; erat ipsa bonis frugibus vmbra nocens.
Vre simul syluas: terra simul igne soluta
Fertilior largo fœnore messis eat.
Vre istas, phrygio nuper mihi consita colle
Fac pater à flammis tuta sit illa tuis.

Iam telas, calathosq;, omnesq; perosa labores,
Quos vitæ quæstus pauperioris habet:
Palladio radium cum templo appenderet Eufro:
Iamq; sequi Venerem constituisset: ait.
Hactenus ô mihi culta vale dea: & hæc tua multi
Instrumenta tibi plena laboris habe.
Iam tua perpessam dudum mala, lenis habebit:
Adiungetq; suo me Cytherea choro.
Nec mirum, quam prætulerit phryx arbiter: à me
Si prælata tibi nunc quoq; Cypris erit.

Dum furit Alcippes forma Nonacrius Almo:
Crudeli demum tabe peresus obit.
Almo capripedi non impar arundine Pani,
Quo nullus nymphis gratior Arcas erat.
Spargite odorato pastores flore sepulchrum:
Et simul infusum lacq; merumq; fluat.
Non iacet ille sub hac (vt vos male creditis) vlmo:
In nemus Idalium transtulit alma Venus.
Hic Veneris pascitq; greges, cantatq;: canentis
Vnà astant charites versibus: astat amor.
Quin etiam hunc Paphij nymphe non vltima cœtus
Deperit: & parilis feruor vtrunq; tenet.
Nimirum fœlix Almo: modo perfida virgo
Aspera sæuitiæ det documenta suæ.
Pastoris pereat succensa informis amore:
Respuat assiduas surdior ille preces.
Præbeat hinc sæuis tam dura exempla puellis:
Formosa vt fastus discat habere modum.

ACON.

Candida nympha olim, & Pani dilecta lyceo
Crinibus, & culto conspicienda sinu:

Nunc vox, flebilibus quæ semper mœsta querelis
Desertos scopulos, deuiaq; antra colis:
Salue Echo officiosa. tibi sub rupe cauata
Ipse ego lanigeri ductor Acon pecoris
Constituam vmbrosum frondenti ex ilice lucum:
Molliaq; ex hœdera serta virente feram.
Tu leuibus allecta modis syluestris auenæ
Excipis è summo carmina nostra iugo:
Tu quoties querimur, duros miserata dolores
Nescio quid tristi flebile voce gemis.
Nec mirum, quod tu lacrimis mouearis amantum:
Perdidit infœlix te quoq; durus amor.
Ah misera, ipsa quidem & strophio subnectis olenti,
Et longa molles excolis arte comas.
Ipse puer cultus, ipse omnes odit amores:
Insequiturq; vagas per iuga summa feras.
Quin humiles addis voces: & verba precantis
Effugit: atq; omnes negligit ille preces.
Siste gradum immitis, non te violenta leæna,
Non curuo sequitur dente timendus aper:
Sed quæ candenti facie, niueisq; papillis
Vel magno posit nympha placere Ioui.
Hæc aget & celeres tecum per saxa lacænas:
Eq; suis tendet retia rara plagis.
Siste gradum immitis, & quas nunc tendis ad vndas
Effuge: causa tuæ fons erit ille necis.
Heu miserande puer, tales ten soluere pœnas.
Ten decuit tam crudelia fata pati?
Magna parens, quæ cuncta leues producis in auras:
Totaq; diuerso germine picta nites:
Quæ pasim arboribus, pasim surgentibus herbis
Sufficis omnifero larga alimenta sinu:
Excipe languentem puerum, moribundaq; membra:
Aeternumq; tua fac dea viuat ope.
Viuet, & ille vetus zephyro redeunte quotannis
In niueo candor flore perennis erit.
Tu mecum socias Echo coniunge querelas:
Et percussa nouis fletibus antra sonent.
Crudelis Telayra, meos quid spernis amores:
Quid miseras surda despicis aure preces.

Hei

Hei mihi nulla ouium tangit me cura mearum:
Ex quo me iste tuus perfida torret amor.
It miserum pecus: & seri sub vesperus umbras,
Per se ipsi redeunt in sua tecta greges.
Nec mihi iam niueo complent mulctralia lacte:
Densaq; permisso vellere terga gerunt.
Quin etiam aucupij studium, quo clarus habebar:
Languenti penitus excidit ex animo.
Ite leues passim syluis impune volucres:
Cuncta nouus nostra è mente fugauit amor.
Ocia agunt pedicæ, & lento lita vimina visco
In tenebris amites, nexaq; lina iacent.

DAMON.

Vos mecum è vitreis nymphæ Naucelides antris,
Vos mecum viridi paulum considite in herba:
Atq; hoc, quem canimus, dignum concedite carmen.
Sic vobis patrias circùm vernantia ripas
Prata, neq; hybernis niuibus viduata, neq; æstu,
Sufficiant varios in serta nitentia flores.
Quis dolor ó syluæ, quæ vos ó prata tenebat
Mœstities? quanto squalebant omnia luctu?
Cum ferus è gelidis descenderet alpibus hostis
Assidue: & Latias in prædam verteret oras.
Tum (reor) inuita creuerunt pabula terra:
Inuitæ è densis ceciderunt frondibus umbræ.
Quippe abigi raptas pecudes, passimq; videbant
Pastorum rapidos tectis inuoluier ignes.
Ipsi etiam hyrcipedes fauni, satyriq; bicornes,
Ipsæ etiam in solos nymphæ fugere recessus:
Et sese ignotis occultauere latebris.
Et furor is fines prope iam peruaserat omnes:
Iamq; fugæ deerat nobis locus: vndiq; sæuos
Cernere erat latis hostes discurrere campis.
Nulla vsquam tam secretis lustra abdita syluis,
Nulla aditu est tam difficili, tamq; inuia rupes:
Quò non sæpe greges subitis incursibus acti
Fessa reclinarint in nudo corpora saxo.
Et tamen hinc etiam crebri eiecere tumultus.
Insuetæq; maris pecudes (miserabile visu)

Quæ pelagi medijs iter intercluditur vndis:
Adriacos videre sinus: & littore curuo,
Pro viridi cytiso, pro molli graminis herba,
Et spinis paliuri, & acuta carice pastæ
Potarunt salsas nitidis pro fontibus vndas:
Et sæpe irati timuerunt murmura ponti.
Quod si non nouus ex alto demissus olympo
Hanc cladem nostris deus auertisset ab oris:
Ausonijs esset nullus iam pastor in agris.
Nos miseri patria extorres, rerum omnium egeni
Ah dolor, externas longe erraremus ad vrbes.
Hic nobis dulces saltus, hic pascua nota
Restituit, tutiq; inquit iam pascite tauros:
Iam solitas tuti collo suspendite auenas:
Et desueta diu responsent carmina colles.
Ergo omnes, veluti & Phœbo, Paniq; quotannis
Pastores certis statuent tibi sacra diebus
Magne pater: nostrisq; diu cantabere syluis.
Te rupes, te saxa, cauæ te maxime Iuli
Conualles, nemorumq; frequens iterabit imago.
At vero in nostris quæcunq; in saltibus vsquam
Quercus erit: vt quæq; suos dant tempora flores:
Semper erit varijs ramos innexa coronis:
Inscriptumq; geret fœlici nomine truncum:
Tum quoties pastum expellet: pastas'ue reducet
Nostrum aliquis pecudes: toties id mente reuoluens,
Vt liceat factum esse tuo pater optime ductu:
Nullus erit, qui non libet tibi lacte recenti:
Nullus erit, qui non teneros tibi nutriat agnos.
Quin audire preces nisi dedignabere agrestes:
Tu nostra ante deos in vota vocaberis omnes.
Ipse ego bina tibi solenni altaria ritu
Et geminos sacra è quercu lauroq; virenti
Vicino lucos Nauceli in littore ponam.
Hic ripa passim in molli viridante sub vmbra,
Vere nouo dum floret ager: dum germinat arbos:
Dum vario resonant volucrum nemora auia cantu:
Annua constituam festis conuiuia ludis.
Ductores pecudum hic omnes, rurisq; coloni
Contendent iaculo, & rapidi certamine cursus
Horridaq;

Horridaq; agresti nudabunt membra palæstra.
Ipse pecu & tenero victor donabitur hœdo.
Præterea dulci cantabit harundine Damon
Carmina, quæ puerum docuit Sebetheius Aegon:
Olim cum procul hinc illis habitaret in oris.
Scilicet vt quondam Aßyrij pastoris amore
Capta dea, & cœlum, & fulgentia sydera linquens,
Omnibus his chari præferret Adonidis ignes.
Fortunate puer tecum formosa Dione,
Vnà tondet oues: vnà ad mulctralia ducit:
Atq; immunda premit cœlestibus vbera palmis.
Dum te complexu teneat, non illa recusat:
Tecum inter pecudes vili requiescere culmo.
At Mars ipse deæ cura tabescit inani.
Fortunate puer, medijs pecus errat in agris:
Tu viridi deiectus in vmbra, aut carmina cantas:
Aut posita in Veneris gremio ceruice recumbis.
Illa tibi amplexus molles, illa oscula iungit:
Charaq; odoratis exornat tempora sertis.
Sed tu nimirum, sed fœlix tu quoq; Damon,
Cui licuit toties Aegonem audire canentem:
Diuiniq; senis sacros ediscere cantus.
Quod mihi magne pater, diuum si fata dedissent:
O quales tibi cantaret mea fistula laudes.
Et quodcunq; tamen fœlix concedet Apollo,
Hoc te vnum canet, hoc vni tibi seruiet omne.
Nec quicquam magis optarim, quàm digna triumphis
Posse tuis: videorq; canens tua maxima facta,
Inferior nullo, non ipso Aegone futurus.
Ipse suo certet mecum si carmine Daphnis:
Ipse suo Daphnis cum carmine victus abibit.
Interea agrestis dignatus sibila cannæ,
Dexter ades nobis: & quæ facis, ocia serua.

Florentes dum forte vagans mea Hyella per hortos
Texit odoratis lilia cana rosis:
Ecce rosas inter latitantem inuenit amorem:
Et simul annexis floribus implicuit.
Luctatur primo: & contra nitentibus alis
Indomitus tentat soluere vincla puer.

Mox vbi lacteolas, & dignas matre papillas
Vidit, & ora ipsos nata mouere deos:
Impositosq; comæ ambrosios vt sensit odores:
Quosq; legit diti messe beatus Arabs:
I dixit mea, quære nouum tibi mater amorem,
Imperio sedes hæc erit apta meo.

Nox bona, quæ tacitis terras amplexa tenebris
Dulcia iucundæ furta tegis Veneris.
Dum propero in charæ amplexus, & mollia Hyellæ
Oscula: tu nostræ sis comes vna viæ.
Ne ue aliquis nostros posit deprehendere amores:
Aëra coge atras densius in nebulas.
Gaudia qui credit cuiquam sua: dignus, vt vnquam
Dicier illius nulla puella velit.
Non sola occultanda cauis sunt orgia cistis:
Solá ue Eleusinæ sacra silenda deæ.
Ipse etiam sua celari vult furta Cupido:
Sæpius & pœnas garrula lingua dedit.
Vna meos, quos & miserata est, nouit amores
Officijs nutrix cognita fida suis.
Hæc quæ me foribus vigilans expectat in ipsis:
Inq; sinum dominæ sedula ducit anus.
Hanc præter, tu sancta, latent qua cuncta, silentq;,
Tu dea sis flammæ conscia sola meæ:
Quæq; libens astat nostrorum testis amorum
Nobiscum tota nocte lucerna vigil.

Iam tristi canos glacie concreta capillos
Afflatu tepidi fugit hyems Zephyri.
Iam nitidum os ver molle auras in luminis audet
Proferre: & teneros ferre per arua pedes:
Tempora diuersis tollens halantia sertis
Purpureo matris Cloridos è gremio.
Summittit varios tellus fœcunda colores:
Conuertit molles quò puer ipse gradus.
Et passim, quacunque vagos deflectit ocellos:
Diffugiunt toto nubila cuncta polo.
It prope, & incutiens blandas in pectora flammas,
Omnia iucundo accendit amore Venus.

Quam circùm vario texunt è flore coronas
  Perfusæ aßyrio rore comam Charites.
Hinc atq; hinc mille aligeri pueri aſſultantes
  Coniiciunt certa ſpicula acuta manu.
Concipiunt dulces animalia cuncta calores:
  Perſultántq; vagi pabula læta greges.
Ipſe ſuam de colle canens Amaryllida paſtor
  Paſcentes tenui carmine mulcet oues:
Percuſſæq; noua dulcedine corda volucres
  Dant lætos paßim per nemora alta ſonos.
Sola gemit, ramoq; ſedens miſerabilis alto
  Abſumptum mater Thracia plorat Itym.
Di bene, quod noſtræ tam longe à finibus oræ
  Exactum hoc dira eſt in regione ſcelus.
Heu puer infelix, matri dum brachia tendit
  Aſſueto cupiens ſe implicuiſſe ſinu:
Illa ferox animi, cæcoq; agitata furore
  Auulſum duro diripit enſe caput.
Quid facis ah demens? ferro quem perdis iniquo,
  Is lac dulce tuis hauſit ab vberibus.
Huic tu longinquam votis optare ſenectam,
  Huic ſolita es teneras dicere blanditias.
Heu miſerum genitor nati, infelixq; ſepulchrum,
  Vt tibi nunc toto pectore ſenſus abit:
Infandæ noſti cum coniugis impia facta,
  Atq; epulas menſis triſtibus appoſitas:
Nempe furis: ſtrictoq; ruis violentior enſe:
  Sed ſublata alis effugit illa nouis.
Perpetuum fleat, vt merita eſt: longisq; querelis
  Antiqui pœnas perſoluat ſceleris.
Nos TVRRI, dum florifero vere omnia rident:
  Spirat & è ſummis gratior aura iugis:
Nos hîc, qua nitida pellucens riuulus unda
  Labitur: & leni murmure dulce ſonat:
Cantemus molles formoſæ Amathuſidos ignes:
  Quidq; ferox arcu, quid face poßit amor.
Armenias domat hic tygres, ſæuasq; leænas:
  Eripit hic ſummo, cum libet, arma Ioui.
Hoc duce pallentes vmbras œagrius Orpheus,
  Triſtiaq; horrendi limina regis adit.

Nec

Nec timuit, sæuæ'ue Hecates immania monstra,
Armatas ue atris Eumenidas facibus.
Hoc cogente, omni cum pectore consternatus
Abrupto nollet viuere coniugio.
Paulatim Euridices, veterumq; oblitus amorum
In Calaim tota mente Boreiadem
Exarsit: penitusq; insano perditus igne
Sensit feruentes intima ad ossa faces.
Formose ó Calai pulchræ genus Orythiæ
Te virides syluæ, te caua saxa sonant.
In te suspirat: solum te cogitat Orpheus:
Per te sollicito nulla quies animo est.

Dum te blanda tenent æstiuas rura per vmbras:
Delitijs nimium rura beata tuis:
Ecqua tui mea lux tangit te cura poetæ:
An meus è toto pectore cessit amor?
Cessit amor certe: soluti cessere calores:
Absentis meminit nulla puella viri.
Non ita concussæ versantur in arbore frondes,
Cum grauis aduersum verberat aura nemus:
Quàm facile instabilem permutat fœmina mentem,
Exclusus queritur, qui modo charus erat.
Non sic Penelope, non sic Capneia coniux
Antiqui meruit temporis esse decus.
Altera defuncti mœrens ad busta mariti,
Noluit abrepto viuere sola viro.
Altera bis denos potuit durare per annos:
Dum cupidos cauta detinet arte procos.
Fœmina nunc varias tantum connectere fraudes
Nouit, & in nulla certa manere fide.
Quid queror hæc demens? duræ procul ite querelæ:
Ite: decent tristes tristia verba viros.
Lætus ego: hos neq; enim sequitur mea Gellia mores:
Mutare incertos nec solet illa thoros.
Quin & mansit amor: soliti mansere calores:
Absentis meminit nostra puella viri.
Multa tamen timeo: tu multa ignosce timenti.
Hei mihi pars nostro nulla timore vacat.
Ah quoties vereor, dum picta per arua vagaris:

Dum

Dum rutilæ texis florida serta comæ:
Ne ruat è summis in te Saturnius astris:
Sis'ue alij cui uis grata rapina deo.
Preßit Amimonen medijs Neptunus in aruis:
Dum premeret summum virginis vrna caput.
In medijs Io campis perpessa tonantem est:
Horridaq; hirsuta cornua fronte tulit.
Hinc quoq; tartareo raptam Deoida curru
Abstulit infernus in sua regna pater.
Sydonis errabat nitidos Europa per agros:
Cum medium ficto per mare vecta boue est.
Non tamen hos tantum causantur prata timores:
Hei mihi quàm multos dat quoq; sylua metus?
Hic habitant Satyriq;, & agrestia numina Panes:
Et timor errantum Faunus Hamadriadum.
Hic versa in virides Daphne peneia frondes:
Hic fera mutato Parrhasis ore fuit.
Hic & semicaper spreta Nonacrius Aegla
Arcadicæ forma virginis incaluit.
Quod si tecum ijsdem pariter versarer in aruis:
Et domus vnanimes clauderet vna duos.
Non ego cœlicolum fraudes, non furta timerem:
Vndique me socio Gellia tuta fores.
Si versa est Daphne: Sicula Proserpina ab Aethna
Si vecta est stygijs in noua regna rotis:
Quid mirum? facile est deceptas fraude puellas
Fallere, nullius quas tueatur Amor.
Ipse ego perpetuo tecum mea vita manerem:
Sic possem nullos extimuisse deos.
Sæpe pererrabat tacitos Atalanta recessus:
Tuta tamen fido Mimalione fuit.
Cingeret obsessos seu curua indagine colles:
Seu cuperet sæuas cominus ire feras:
Hærebat lateri semper comes ille: nec vnquam
A domina lato longius vngue fuit.
Ergo huic non summi fraudes nocuere tonantis:
Inq; suo nullos sensit amore dolos.
Sic ego per syluas tecum, & per prata vagarer:
Grata essent sine te gaudia nulla mihi.
Nunc pariter nitida recubare iuuaret in vmbra:

Et capere in viridi somnia grata thoro.
Nunc pariter nuda fontes inuadere sura:
Torrida dum siccus finderet arua canis.
Sæpius in syluis lepores captare fugaces:
Et volucres fictis fallere carminibus.
Sæpius in denso conuicia dicere luco:
Et madidas uerno flore ligare comas.
Sæpius vmbroso choreas ductare sub antro,
Cum daret agrestes tibia pulsa sonos.
Ah quoties tales inter mea Gellia lusus
Iniјcerem cupidas in tua colla manus:
Dulciaq; è roseis furarer basia labris,
Basia mi cunctis anteferenda bonis.
O niueam, siqua hæc referet mihi gaudia, lucem:
Gratior optatis non erit vlla meis.
Semper Erythræis signabitur illa lapillis:
Semper erit sacros inter habenda dies.
Nunc, quoniam tecum me non licet esse, caueto
Mutuus extincto ne cadat igne calor.

IOLAS.

Pascite oues teneras herbas per pabula læta,
Pascite, nec plenis ignauæ parcite campis:
Quantum vos tota minuetis luce, refectum
Fœcundo tantum per noctem rore resurget:
Hinc dulci distenta tumescent vbera lacte:
Sufficientq; simul fiscellæ, & mollibus agnis.
Tu vero vigil, atq; canum fortissime Teucon,
Dum pascent illæ late per prata, luporum
Incursus subitos, sæuasq; auerte rapinas.
Interea hic ego muscoso prostratus in antro
Ipse meos solus mecum meditabor amores:
Atque animi curas dulci solabor auena.
O' formosa Amarylli, nihil te absente videtur
Dulce mihi: nunc & nitido vere omnia rident:
Et vario resonant volucrum nemora auia cantu:
Exultim virides ludunt armenta per herbas:
Lasciuiq; agni, infirmisq; artubus hœdi
Cornigeras matres per florida prata sequuntur.
Non tamen ista magis sine te mihi læta videntur:

Quàm si tristis hyems, nymbisq; rigentibus horrens
Agglomeret gelido canas aquilone pruinas.
Dulce apibus flores, riui sitientibus herbis,
Gramen oui, capræ cythisus, Amaryllis Iolæ.
Non ego opes mihi, non cursu præuertere ventos
Optarim magis, aut pecoris quodcunque per orbem est,
Quàm te Amarylli meis vinctam retinere lacertis:
Et tecum has inter vitam deducere syluas.
Est mihi præruptis ingens sub rupibus antrum,
Quod croceis hœderæ circùm sparsere corymbis:
Vestibulumq; ipsum syluestris obumbrat oliua:
Hanc propè fons, lapide effusus qui desilit alto,
Defertur rauco per læuia saxa susurro:
Hinc late licet immensi vasta æquora ponti
Despicere, & longe venientes cernere fluctus.
Hoc mecum simul incoleres Amarylli: simulq;
Mecum ageres primo pecudes in pascua sole:
Mecum abeunte die pecudes caua in antra vocares.
Sæpe etiam denso in nemore, aut conualle virenti
Dum tenue arguta modularer harundine carmen:
Tu mecum ipsa esses simul, astaresq; canenti:
Quin & nunc pariter caneres: nunc dulcia nostro
Basiaq;, & veneris misceres gaudia cantu:
O' solum hoc superi misero concedite amanti.
Tum licet & rapiantur oues, rapiantur & agni,
Ipse tamen Crœso mihi ditior esse videbor.
Mollibus in pratis Lycidæ post Daphnidis hortos,
Purpureos flores texenda in serta legebas:
Cum te succincta tunica, fusisq; capillis,
Et vidi simul, & totis simul ossibus arsi.
Ponè sequebatur Gorge soror, & tamen audax
Accessi: sumq; ipse meos tibi fassus amores.
Risisti, & sertum, nitida quod fronte gerebas,
Tanquam ex se cecidisset humi, iecisti, abiensq;
Liquisti, aduertens collegi protinus ipse:
Seruauiq;, & adhuc tanquam tua munera seruo.
Et quamuis dudum folijs languentibus aret:
Non tamen est serto quicquam mihi charius illo.
Ex illo, semperq; fui tibi deditus vni,
Pulchraq; nulla meis oculis te præter habetur.

Sæpe mihi Alcippe vicina & munera misit:
Et dixit, formose puer, quæ munera mittit,
Mittit & ipsum animum: tu & munera suscipe, & illum.
Sed potius Amarylli alio quàm tangar amore,
Sudabunt humiles flauentia mella genistæ:
Et molles violæ dura nascentur in orno:
Incultiq; ferent candentia lilia vepres.
Et mœstis vlulæ cædet philomela querelis.
Quantum ver formosum hyeme est iucundius atra:
Quantum mite pirum sorbis est dulcius ipsis:
Quantum hirsuta capella suo setosior hœdo:
Quantum nocturnis obscuri vesperis vmbris,
Puniceo exurgens aurora nitentior ortu est:
Tantum Amarylli alijs mihi charior ipsa puellis.
Hæ testes mihi sunt syluæ, vicinaq; syluis
Populus hæc: cuius tale est in cortice carmen.
Vellera cum setis aries mutarit, & hyrcus
Velleribus setas, Amaryllida linquet Iolas.
Sed nos dum longum canimus, iam roscida luna
Apparet cœlo: & rapidus deferbuit ardor
Demerso iam sole: tamen miser ardet Iolas.
Nimirum nostros nequeunt lenire calores,
Nec quæcunque rigent Rhyphæo in monte pruinæ,
Nec quæcunque simul gelido durantur in Hebro:
Fors tamen hos illa ipsa, potest quæ sola, leuabit.
Sperando interea duros solabimur ignes.
At vos, ne sero dum nox insurgit Olympo,
Præsidio vmbrarum fretus malus ingruat hostis,
Iam pasti secura greges in ouilia abite.

Quam tibi nunc Iani donamus Hyella calendis
Exprimit hæc vultus parua tabella meos:
Nulla fuit cuiquam similis mage, pallet imago,
Assiduus nostro pallor in ore sedet.
Est excors: sine corde & ego, quod pectore nostro
Ipse amor ereptum sub tua iura dedit.
Non loquitur, mihi sic tua cum datur ora tueri:
Torpet nescio quo lingua retenta metu:
Vnum dissimile est nobis: fœlicior vno est
Tam sæua quod non vritur illa face.

Quod

Quod si etiam vretur, tuo enim sub lumine quicquam
Illæsum flammis non licet ire tuis:
Non vt ego aßiduo infœlix torrebitur igne:
In cinerem primo corruet illa foco.

Beate somne, nocte qui hesterna mihi
Tot attulisti gaudia:
Vtinam deorum rector ille cœlitum
Te è cœtu eorum miserit:
Quæ sæpius mortalibus vera assolent
Mitti futuri nuntia.
Tu, quæ furenti surdior freto meas
Superba contemnit preces:
Facilem Neæram præbuisti: quin mihi
Mille obtulit sponte oscula:
Oscula, quæ Hymeti dulciora sint fauis:
Quæ suauiora nectare.
Vere beate somne, quod si sæpius
His diue me afficias bonis:
Fœlicior cœlestibus Deis ero,
Summo nec inferior Ioue.
At tu proterua quolibet fuge: eripe
Complexibus te te meis:
Si somnus iste me frequens reuiserit:
Tenebo te, inuitam licet.
Quin dura sis, sis quamlibet ferox: eris
Et mitis, & facilis tamen.

CANALE optime, tuq; BEMBE, nostri
Amantißimi vtrique, amati vtrique
A me non minus atque vtrique ocelli,
Quid rerum geritis? valetis? atque
Absentis memores sodalis estis?
Quid vestræ faciunt bonæ camœnæ?
Scripserunt'ne aliquid noui, meum post
Discessum? puto: nanque quicquid oci
Per vestras datur occupationes,
Id vos in studijs bonis locatis.
Ad me mittite siquid ædidistis,
Oro: nec socium bonum negate

Vestri

Vestri participem leporis esse.
Sed quid cum Venere ipsa, amoribusq;
Quàm vobis bene conuenit? caletis?
Amatis'ne? dei deæq; faxint
Et fœliciter, & bene ipsi ametis,
Quamq; ego leuiusq;, leniusq;.
Heu heu me miserum mei sodales
Quàm sæuo teneor furore: quàm mi
Totus, quàm grauis incubat Cupido.
Non quod non amer: intimis medullis
Ardet me mea Hyella, perditeq;
Quantum quid pote perditissimum esse.
Verum hoc me excruciat magis: potiri
Mea nam vetitum mihi puella.
Quod si quando licet: nihil leuatur,
Sed ferus magis excitatur ardor.
Nam cum nec saturum recedat inde
Cor mi: nec furor expleatur vnquam
Charis basiolis, papillulisq;,
Atque his, qui miserum necant, ocellis:
Augescit magis, & magis. quid heu heu
Aduerso paterer deo, atque iniquo:
Si hæc incommoda sunt secundo amore?

Quamuis te peream æque Hyella totam:
Nec pars sit mea lux tui vlla, quæ me
Sæuo non penitus perurat igne:
Fulgentes tamen illi, amabilesq;
Illi, syderibus pares ocelli
Nostri maxima causa sunt furoris.
O'chari nimis, ò benigni ocelli,
O'dulci mihi melle dulciores,
Quando vos misero mihi licebit
Vsque ad millia millies trecenta,
Aut vltra hæc etiam, suauiari?
Di concedite mi, hoc misello amanti:
Dein nil graue perpeti recuso:
Quin & si peream, lubens peribo.

Dispeream nisi tu vita mihi charior ipsa,

Atque

Atque anima, atque oculis es mea Hyella meis.
Dispeream nisi ego vita tibi charior ipsa,
Atque anima, atque oculis sum mea Hyella tuis.
Nec satis hoc: vellem pote quicquam his esset haberi
Charius, vt posses charior esse mihi.
Tu quoque idem velles, pote quicquam his esset haberi
Charius, vt possem charior esse tibi.
Di facite hæc longos concordia duret in annos,
Tamq; bonos mutent secula nulla animos.

Iam cœli reserat fores
Aurato è thalamo exiens
Mater Memnonis, & diem
Læto prouocat ore.
Nos te maxime maximi
Minister canimus patris:
Quo nullus qui hominum genus
Iam præsens iuuet, vsquam est.
Tu nostras celer ad preces,
Aures protinus ad Deum has
Defers: nec tenues sinis
Euanescere in auras.
Tu, dum fers noua nuntia
VIRGINI ætherio patri
Dilectæ, quibus indicas
Magni vota tonantis:
Nobis fers noua nuntia:
Quis è faucibus impij
Erepti hostis, in aurea
Cœli templa vocamur.
Adsis ò bone: & in dies
Semper nos propius iuua:
Nec patrocinio tuo
Vnquam mitte tueri.

Vrbs, quam vetusto vectus ab Ilio
Post fata Troum tristia, post graues
Tot patriæ exhaustos iniquo
Tempore, tot pelago labores,
Ducente demum Pallade, qua rapax

Cultos

Cultos per agros Medoacus fluit,
Dijs fretus Antenor secundis
Condidit, Euganeis in oris.
Tu nuper flos, & decus vrbium,
Quascunque tellus Itala continet:
Magnas tot artes, tot virorum
Ingenia, & studia vna alebas,
Te septicornis Danubij accola,
Te fulua potant flumina qui Tagi,
Longeq; semoti Britanni
Cultum animi ad capiendum adibant.
At nunc, acerbi heu sæua necessitas
Fati, seueras vt pateris vices:
Vt te ipse vastatam vel hosti
Conspicio miserandam iniquo.
Quid culta tot pomaria conquerar?
Tot pulchra flammis hausta suburbia?
Quid glande deturbata ahena
Mœnia? præcipitemq; sæui
Mauortis iram? bellaq; persequar
Horrenda? squammis ille adamantinis,
Ferroq; consertam rigenti
Induerat clamydem trilicem.
Fremensq;, & atrum lethifera manu
Telum coruscans, secum odia, & necis
Contemptum, & insanos tumultus,
Secum animos, rabiemq; agebat.
Ille vrbe ab imis sedibus eruta
Implesset omnes funeribus domos:
Non ille vel sexu, vel vllo
Efferus abstinuisset æuo.

Qui modo ingentes animo parabam
BEMBE bellorum strepitusq; & arma
Scribere, hoc vix exiguo male audax
carmine serpo.
Nempe amor magnos violentus ausus
Fregit iratus: velut hic tonantem
Cogit, & fulmen trifidum rubenti
ponere dextra.

Sic eat, fors & sua laus sequetur
Candidæ vultus Lalages canentem, &
Purius claro radiantis astro
frontis honores.
Nota Lesboæ lyra blanda Sapphus:
Notus Alcæi Lycus, altiori
Scripserit quamuis animosum Homerus
pectine Achillem.

Dia Tithoni senioris vxor,
Quæ diem vultu radiante pandis:
Cum genas effers roseas rubenti
præuia soli:
Roscidos vt nunc per agros vagari
Sub tuo aduentu iuuat: & recenteis,
Quæ tuos semper comitantur axes,
excipere auras.
Sicca iam sæuus calor vret arua:
Iam vagi aurarum leuium silescent
Spiritus: iam sol rapidus furentes
exeret ignes.
Dum licet, læti simul ite amantes:
Dum licet, molles pariter puellæ
Ite, flauentes vario capillos
nectite serto.
Nunc simul telis positis amores
Matris hærentes lateri, & decentes
Gratiæ plenos referunt resecto
flore quasillos.
Per feros saltus, per iniqua lustra
Vndique occultas agitans latebras
Fertur, & syluas varia ferarum
strage cruentat,
Clara Latonæ soboles: nitenti
Huic comæ in nodum religantur auro:
Pendet aurata ex humeris pharetra:
pendet & arcus.
Circum eunt nymphæ simul: illa cursu
Gaudet effusos agitare ceruos:

Hanc iuuat certis iaculis fugaces
figere lyncas.
Nunc ab vmbroso simul esculeto
Daulias late queritur: querelas
Consonum circa nemus, & iocosa
reddit imago.

Nil tecum mihi iam Phœbe est, nil Nox mihi tecum:
A vobis non est nox'ue, dies'ue mihi.
Quantum ad me, vt libet, auricomo Sol igneus axe
Exeat eoæ Thethyos è gremio:
Vt libet, inducat tacitas Nox atra tenebras:
Fert mihi noctem oculis, fert mihi Hyella diem.
Nam quoties à me nitidos auertit ocellos:
Ipsa in luce etiam nox tenebrosa premit.
At quoties in me nitidos conuertit ocellos
Candida & in media fit mihi nocte dies.

Diua, quæ has cœli generatim in auras
Cuncta producis: cupidumq; amorem
Vndique infundens, facis, vt perenne
sæcla propagent:
Qua nihil lætum sine, amabile est nil:
Nilq; iucundum: sine qua nec ipsæ
Gratæ erunt cuiquam Charites, nec ipsa
blanda voluptas:
Dum tibi lætus reparatur orbis:
Dum per herbosos pecus omne campos
Vim tuam sentit: tibi plaudit omnis
Diua volucris:
Dum nihil, quamuis rigidum, feroxq; est,
Ossibus quod non penitus sub imis
Sit tua tactum face: quod tuos non
sentiat ignes:
Vna erit flammarum, & amoris expers?
Vna secura his Lalage resistet?
Tange age vltrici Dea, pertinacem
tange flagello.
Quod si ita tanges, fera vt obstinatum
Applicet nostris animum querelis,

Nec

Nec preces vltra miseras, superba
negligat aure:
Conseram lætam tibi Diua myrtum,
Vancius qua se rosifer reuoluit:
Hanc mero supplex, niueo & rigabo
lacte quotannis.
Hanc & immistæ pueris puellæ
Circùm agent lætas pariter choreas:
Teq; prima vnam, simul vltima vnam
voce canent te.
Te canent vnam, volucremq; natum:
Qui ferox, duro & similis parenti,
Acer & flamma est, & agente certum
cuspide vulnus.
Spargam odoratas violas, rosasq;
Ipse ego, votiq; reus secabo
Grata torquatæ ante tuas columbæ
guttura flammas.

Borgettus lepidus catellus ille,
Cuius blanditias proteruiores,
Et lusus herus ipse tantum amabat,
Quantum tale aliquid potest amari.
Nec mirum dominum suum ipse norat,
Charam bima velut puella matrem:
Et nunc illius in sinu latebat:
Nunc blande assiliebat huc & illuc
Ludens, atque auido appetebat ore,
Erectis modo cruribus, bipesq;,
Mensæ astabat herili, heroq; ab ipso
Latratu tenero cibum petebat.
Nunc raptus rapido maloq; fato
Ad manes abijt tenebricosos,
Miselle ò canis, ò miser catelle
Nigras paruulus vt timebis vmbras:
Vt sæpe & dominum tuum requires:
Cui pro delitijs, iocisq; longum
Heu desiderium tui relinquis.

Vos mihi nunc magnos partus, ortusq; beatos

Fœlicis pueri, quo pinguia culta vetusti
NAONIS exultant, quo Carnia tota superbit:
Dicite pierides. vos illum è matre cadentem
Exceptisq; sinu: & vestris fouistis in vlnis:
Et teneram molli cinxistis baccare frontem.
Nec vero vos tantum has accessistis ad oras,
Nec solæ venistis ad hæc vos munera musæ:
Affuit ipsa etiam pariter, spagensq; salubres
Pyxidos arcanæ succos, partusq; dolores
Leniit: & matrem fœtu Lucina leuauit.
Affuit Idalio veniens è colle Dione:
Nectare odorato crines perfusa fluentes.
Assuetæq; leues Charites ductare choreas.
Hæ simul ambrosia puerum lauere liquenti:
Et paruas tenui cunas strauere lygustro.
Venit & undifluis properans Naucelus ab antris:
Quem propè cœruleo è fluctu formosa Metune
Ibat: eos circùm violasq; rosasq; rubentes
Vimineis nymphæ calathis, & serta ferebant
Purpureo è narcisso, eq; auricomo chrysantho.
Quæ postquam totas passim sparsere per ædes:
Iucundoq; domus late fragrauit odore:
Protinus ecce Iouis magni de limine parcæ,
Antiquæ parcæ, niueo queis corpora amictu,
Canaq; chaonia velantur tempora quercu.
Hæ postquam & matrem complexæ, & fronte serena
Oscula iunxerunt paruo fœlicia nato:
Candida versato torquentes vellera fuso,
Fatidico tales fuderunt pectore voces:
O' fausto nimium cœlo, diuisq; benignis,
Nate puer, cresce, & dulces solare parentes:
Et fatis lætare tuis. tuq; optima mater,
Tuq; boni genitor pueri, quos omine dextro
Castus Hymen quondam thalamo sociauit in vno:
Accipite hæc lætis animis, neu posse moueri
Credite quæ vero concordes ore canemus.
Qualis in aprico se tollit amaracus horto:
Quam studio solers omni formosa puella
Ipsa suos alit in lusus: & lenibus vndis
Irrigat: illa leuis paulatim surgit in auras

Pulchrior:

Pulchrior: & dulcem late diffundit odorem.
Sic puer augescens primo se tollet in æuo:
Nec se quisquam illi formoso conferet ore.
Mox vbi iam validus teneris excesserit annis:
Tunc illum sacras artes, doctæq; docebunt
Aonides, princepsq; chori formosus Apollo.
Illi & diuini latices Aganippidos vndæ,
Et virides Hemi saltus, Pindiq; patebunt.
Mars quoq; bellipotens simul, & Tritonia virgo
Muneribus bellorum, & sæuis instruet armis.
Doctior haud illo quisquam seu cominus ense,
Seu sit opus valida concurrere longius hasta:
Siue inflectere equum, atq; arctis compescere habenis:
Seu libeat laxare, & aperto currere campo.
O' quoties medio feruentem in turbine belli
Conuersæ fugient acies: at percitus ille
Obuia quæq; metet infesto corpora ferro.
Non secus ac præceps hyberno flumine torrens,
Cum tumidus late, ac pluuijs hyemalibus auctus
Proruit aduersas insano vortice syluas:
Obstantesq; trahit ripas: camposq; per omnes
Cum sonitu ruit: & rapido rotat omnia fluctu.
Fortunate puer: nunquam non victor in hostem
Bella geres: magniq; æquabis facta PARENTIS.
Ille olim magnos Gallorum strauit aceruos:
Italaq; hostili manarunt arua cruore:
Tum, cum cæsa virum serpens per corpora Lyris
Aequoreas cursum vix tandem inuenit in vndas.
Ille idem gelida cum gens immanis ab arcto
Ausonios paßim se se effudisset in agros:
Audaces animos ingenti strage repreßit:
Alpinasq; niues Germano sanguine tinxit.
Nunc quoq; fallaces abrupto fœdere Gallos
In latios iterum fines, prædamq; ruentes
Proteret: & victos (diuinis credite parcis)
Italia expellet: cœloq; æquabit honores.
At tu si qua tuo restabunt bella parenti:
Ausoniam infenso nec dum pacarit ab hoste:
Ipse tua fidens animi virtute subibis
Hæc primum: mox externas egressus in oras

Implebis

Implebis totum factis audacibus orbem,
Te duce & Ausoniæ rursum rediuiua resurget
Gloria: & antiquum late victricibus armis
Reddetur Latio imperium. tua signa timebunt
Vnà omnes passim populi, quaq; incidit alto
Aequore, & oceano feruentes abluit axes,
Quaq; coloratis effert se Phœbus ab Indis.
Tum demum placida contentus pace quiesces:
Sæuaq; mitescet posito discordia ferro.
Aurea tum veniet sæclis melioribus ætas:
Fœlicesq; anni, & Saturnia regna redibunt:
Tum pax alma colet terras, Astreaq; virgo:
Immersumq; gemet stygio scelus omne baratro.
Fœlices, qui tam læto nascentur in æuo.
Tu vero ante alias superis gratissima tellus,
Quam tanto Diuûm genitor dignatur alumno,
Tu nitidas passim fruges, arbustaq; læta,
Sponte tua, nulloq; hominum cogente labore
Produces: humiles sudabunt mella genistæ:
Incultiq; ferent candentia lilia vepres:
Finierant parcæ. tum Iuppiter æthere ab alto
Intonuit læuum: & cœli de parte serena
Perspicuus multo fulgor cum lumine fulsit.

EX PHILEMONE.

Siquid remedi lacrymæ afferrent malis:
Minorq; semper fieret lugenti dolor:
Auro parandæ lacrymæ nobis forent.
Sed nil here istæc prosunt: res ipsæ nihil
Mouentur istis: siue tu semper fleas,
Seu nunquam, eandem pergere insistent viam.
Quid his iuuamur ergo? nil certe: at dolor
Vt ipsa fructus arbor, sic lacrymas habet.

EX MAENANDRO.

Nam si te alumne genitrix cum peperit tua
Hac sorte es vnus omnium in lucem æditus:
Tibi cuncta vt euenirent quæ velles bona:
Idq; annuit magnorum quispiam Deûm:
Iure optimo indignaris: valde enim is tibi

Fallax

Fallax repertus. quod, si eisdem legibus
Quibus nos omnes (tragicis vt verbis loquar)
Aeque patentem cunctis aërem trahis:
Ferenda sunt hæc leuius, & omnis rectius
Ratio habenda. deniq; hæc summa est, puta
Hominem esse te, quo nullum animantium omnium
Extolli, itemq; deprimi citius solet.
Ipsumq; id haud iniuria, minimarum enim
Id virium est: & maximis semper studet:
Plurimaq; secum commoda conterit cadens
Tu vero & magna non amisisti bona,
Et mediocria sunt ipsa ea, quæ pateris mala.
Ergo & modeste alumne quod reliquum est feras.

Quum ex Hispanica legatione in Italiam reuerteretur.

Salue cura Deûm, mundi fœlicior ora,
Formosæ Veneris dulces saluete recessus.
Vt vos post tantos animi, mentisq; labores
Aspicio, lustroq; libens: vt munere vestro
Sollicitas toto depello è pectore curas.
Non alijs Charites perfundunt candida lymphis
Corpora: non alios contexunt serta per agros.

Desunt nonnulla quæ erant in litura.

REGISTRVM.

✱ a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y z aa bb cc dd ee ff gg hh
ii kk ll mm nn oo pp qq rr ſſ tt uu xx yy zz aaa bbb
ccc ddd eee fff ggg hhh iii kkk lll mmm nnn ooo ppp
qqq rrr ſſſ ttt uuu xxx yyy zzz &&& a b c d e f g h.

Omnes ſunt duerni præter ✱ et &&&, qui ſunt terni.

VENETIIS APVD HAEREDES
LVCAEANTONII IVNTAE.
M D L V.

Bibl. Jag.

138


Biblioteka Jagiellońska
stdr0029021

SIGISMVNDI
AVGVSTI
REGIS
POLONIAE
MONVMENTVM
ANNO
1560

